 σάμνος ὁ μολῶν ὡσ ἐπιστάτῳ γίνετα καὶ ὑπερησασ τοῖσ ἀποστάτῳ πρὸς ὅσ βασιλεῖσ ὅ
 μεθῆμεραν καὶ κατὰ πρὸστωπὸν κίνδωσ, ἐπὶ βάλθοσ νυκτῶσ ἐγχεῖν τοῖσ ποδὶ ἐν ἀπότοχοι.
 ἐπὶ λέξασ δὲ ὅσ ἐπιπέου τοῖσ καὶ ὅσ ἀκμοιοτάτοισ ἐκ πᾶντοσ τοῦ στρατοπέδου ποδὶ



NICOLAI PEROT
TI IN POLYBII HISTORIARVM
libros Procecion, ad Nicolaum V.
Pontificem Maximum.



Abfolui tandem aliquando delegatum mihi
abs te munus, Pontifex Maxime, cōuerſis in
latinum ſermonē quinq; libris Polybii, qui
ſoli nobis ſuperſtites ex ampliffima illius hi-
ſtoria remanſere: quare immortalē ſuperis
habeo gratiam, quorum maiestate ſuggeren-
te mihi fauorē opus perfecī, ut optatum San-
ctitati tuę, ita, niſi me animus fallit, gratiffi-
mum futurum: tibi uero ingētes ago gratias
agamq; dum uiuam, quod me unum ex multis, cui hoc munus delega-
res, elegiſti: nam per Immortalem Deum, quid mihi, uel in preſentiarū
gratius, uel ad poſteritatis memoriam glorioſius iniungi potuit: quam
ut ueterem atq; reconditam, ſed tamen egregiam ac luculentam præſtā-
tis, et ſynceri authoris hiſtoriam in lucem proferrem, & quaſi de nouo
ſcribens, noſtris hominibus, tanquam per manus traderem. Mihi qui-
dem ita iucūduſ hic labor fuit, ut maiorem mihi fingere uoluptatem, ne
uoto quidem potuiſſem: primum, quod morem gerebā uoluntati tuę,
cuius maxima ſemper, ac pene immortalia fuerunt erga me, & meos be-
neficia: deinde, quod tanta uarietate rerum, et copia mirum in modum
oblectabar: quis enim ſuauior animi cibus offerri poteſt, q̄ lectio hiſto-
rię: huius præſertim, in qua cum magnitudine ac diuerſitate rerum ge-
ſtarum, ſplendor quoq; uerborum coniunctus eſt, & ſuauiſſima orationis
quibuſdā quaſi luminibus ſententiā reſperſa, ut mihi uideatur uno in
ope Polybius & ſummus hiſtoricus, & Orator maximus, & optimus
philoſophus fuiſſe: poſtremo, q̄ nō mediocrē me apud noſtros hoīes
gloriā cōſecuturum ſperabam, ſi mea opera tam præclarus author ex pe-
regrino, aliquādo Romanus factus eſſet, & omiſſa gentili lingua, latine
loqui didiciſſet. Veruntamen om̄em hanc meam uoluptatem, atq; hoc
omne ſolacium non parum ad extremum conturbauit imperfectio ope-
ris, quod ex quadraginta ab illo editis uoluminibus, uix quinq; prima
nobis ſuperſunt, atq; hæc quidem ad adparatum cæterorum ſcripta, ut

mihi certe uideatur quasi de industria, huius authoris sermo interruptus, dum comparata, ueluti quodam exordio, auditorum beneuolentia, atque omnium auribus sibi conciliatis, rem ipsam aggressurus erat, de qua agebatur. O grauem, detestabilemque iacturam, o cladem eo magis ab omnibus deplorandam, quo nemo non modo ex graecis, uerumetiam ex latinis historicis Romanorum res gestas, uel uerius, uel copiosius, uel maiori cum diligentia complexus est: scripsit enim, ut facile ex his quinque libris intelligi potest, quaecumque a Romanis sunt gesta, a tempore quo primum extendere manus extra Latium ceperunt, quousque totius orbis imperium adepti fuere: atque haec ita scripsit, ut Latini fere omnes eum deinceps sint secuti: nam, ut de reliquis taceam, manifestissimis argumentis deprehendi potest Titum Liuium Patavinum, historicorum apud Latinos principem, hunc potius, quam Fabium pictorem, aut Pisonem, quos ipse memorat, secutum fuisse: quippe & in his, in quibus Polybius illos reprehendit, Polybij sententiam haud obscure sequitur, & ita nonnunquam illius uestigiis inhæret, ut mihi quidem uigesimus primus liber Liuij, ex tertio Polybij libro fere ad uerbum tralatus esse uideatur: ac nihil sane inter eos interest, nisi quod Liuius aliquanto breuius res gestas refert, Polybius diffusius. Liuius portenta, ac prodigia plurima, et oracula, ac uisiones Deorum commemorat, Polybius his omnibus dimissis, precepta quaedam inserit, ad uitae institutionem necessaria. Postremo Liuius contiones integras, atque directas, Polybius obliquas exponit, quibus in rebus uter eorum magis sit probandus, non est mei uel ingenij, uel aetatis iudicare, quippe qui ne admirari quidem satis eorum uirorum doctrinam pro merito possem, uerum equidem in Polybio breuitatem non desydero, in Liuiio interdum fortasse aliquid latius: flosculi uero sententiarum quos operi suo Polybius inserit, magis profecto mihi mentem implent, quam portenta Liuii, atque prodigia: quid enim dici minus credibile potest, quam aut apparuisse Deum Annibali: aut ingenuum infantem semestrem in foro Olitorio, triumphum damasse: aut bouem sua sponte in tertiam contignationem ascendisse: aut in agro Piceno lapidibus pluuisse: aut aliud quidpiam huiusmodi factum esse: quæ res ne ab eo quidem sunt creditæ, a quo scribuntur, nec dignæ sunt quæ in somniis uisæ referantur: nam de obliqua oratione manifestum est, quid Trogius Pompeius senserit: qui, ut Iustinus refert, in Liuiio & Salustio reprehendere solebat, quod contiones directas, pro sua oratione, operi suo inserendo, Historiarum modum excessissent. Sed quo magis in hoc uagatur oratio mea, eo magis augentur mihi luctus, et commiseratio quaedam de tanta clade, iacturâque librorum. O si reuiuisceret Polybius, atque hanc deformatam operis sui fa-

sui faciem agnosceret, uix octaua sui parte superstitis, quam moleste, quam grauius, quam acerbe ferret platos a se incassum tot labores, tot frustra euigilatas noctes, tota se susceptas, tam breui tempore euanituras, atque occasuras cogitationes: quam eandem fortunam alij quoque infiniti tam graeci, quam latini authores sunt experti: quantum enim in utraque lingua a doctissimis uiris relictum legimus: quantum est, quod superest librorum: quod uitio temporum accidisse manifestum est: nam, quia homines longo iam tempore, optimarum artium, ac disciplinarum rudes, atque ignari erant, nullo in precio habebantur libri, & aut situ squaloreque paulatim marcescebant: aut aromatibus, ac pensis muliebribus tegendis dilacerabantur: omnem huius rei culpam in principes eius seculi refundendam arbitror, neque enim idcirco illiteratos fuisse eos homines existimo, quod, aut tardiori ingenio, aut imbecilliori memoria essent, quam uel presentes sint, uel ueteres illi fuerint: sed quia ea tempestate ciuitatum principes nimio luxu ad segnitiam se, torporeque conuerterunt, similes quoque reliquos ciues euadere necesse fuit: est enim ita comparatum, ut qualescunque summi ciuitatis uiri fuerint, talis quoque sit reliqua ciuitas: & quaecumque morum immutatio in principibus extiterit, eadem semper in populo sequatur: quoniam ergo illiterati principes erant, ceteri quoque rudes erant atque indocti: quod si qui forte ad studia se contulissent, nullus honor, nullum premium proponebatur: quæ res in primis accendere, atque inflammare homines ad studia consueuit: nam sicuti temperies, ac dementia aeris copiam, atque ubertatem frugum: ita humanitas, & honor, & beneficentia principis bonas artes, excellentiaque ingenia producit. Quid tandem causæ fuisse arbitramur, quod tempore Alexandri regis multa clarissimorum uiroque ingenia floruerunt: nempe, quia & ipse doctus erat, & doctos maximo in honore pretioque habebat: ferunt enim, cum interiecto post illius mortem tempore Arcestratus nobilis poeta, præter modum inopia premeretur, dixisse ei quendam: tu uero, si Alexandri aetate fuisses, in premium cuiuslibet carminis Cyprum, aut Phoenicem habuisses. Lycon uero Scarpensis comicus poeta Alexandri equalis, cum audiente illo comœdiam recitasset, in qua uersum quendam nescio quid æris petentem inseruerat, confestim decem talentis donatus est. Hac eadem ratione Atheniensium & Lacedæmoniorum, & Romanorum tempore multi clarissimi uiri floruerunt: sed ne ueterum duntaxat exempla sectemur, quæ causa est, quod in præsentiarum ita uigeant studia literarum, & tot se ingenia hominum proferant, atque ostendant: profecto quia te principem habet Nicolae Quinte Pontifex Maxime, qui, ut es in omni doctrinarum genere excellens, ita doctos, & studiosos omnes sustetas,

P R A E F A T I O

suscipis, foues, amplecteris: quando enim memoriae proditum est in tanta ueneratione literas, seu literatos homines habitos fuisse, quanta hoc tempore habentur: quo uel primi abs te, uel soli honorantur: sub quo Rege, siue Imperatore, siue Repub. tantam unquam liberalitatem ac beneficentiam sunt experti: quantam sub te optimo ac demetissimo Pontifice experiuntur: testes huius rei possem afferre quam plurimos: nisi excedere procemii modum uererer: quis est enim non modo in Italia, uerum etiam in Graecia, atque adeo omni orbe terrarum, uel mediocriter doctus, qui haecenus liberalitatis tuae periculum non fecerit: ut iam uulgatum apud omnes gentes sit, munera tuae Sanctitatis omnium ueterum principum & Imperatorum, & regum munificentiam non modo equare, uerum etiam longo, ut aiunt, interuallo excedere. Quamobrem omnes iam spe premii, gloriaeque erecti, ad studia literarum incumbunt, & pro sua quisque facultate, aut componunt nouum aliquid, aut graecum transferunt: multi etiam uetera, & iam obsoleta, ac fere deperdita conquirunt: ex quo fit, ut ego maximas immortalis Deo habeam gratias, quod mihi datum sit nasci temporibus uitae tuae, neque desperem aliquando futurum, ut sicuti multa ante hac tuis auspiciis reperta sunt, quae prius abdita erant, ac prorsus ignota, ita reliqui quoque Polybii libri in lucem redeant: quod si nobis Fata concesserint, non recuso quantulumcumque mihi uitae deinceps superum uoluntate erit, quantumque a cura, & seruitio

Principis mei mihi dabitur otii, ad eorum translationem conferre, tuum modo mihi numen adsit. Summe Pontifex, tantumque ingenii aspiret quantum eius operis magnitudo uidebitur postulare. Interea si quando te a gubernaculis Ecclesiae Romanae ad otium transtuleris, horum quinque uoluminum lectione animi ualebitis. Vale.

P O L Y B I I H I S T O R I A R U M L I B E R P R I M U S, E

Græco in Latinum conuersus,
Nicolao Perotto Interprete.



ab iis, qui res gestas ante nos scripserunt, laudem historiae praetermissam esse contingeret, fortasse necessarium uideretur, ut in nostri operis initio uniuersos ad suscipiendam, capeendamque historiam hortaremur, cum nulla hominibus facilius ad uitae institutionem uia sit, quam rerum ante gestarum cognitio: uerum cum non aliqui, neque aliquatenus, sed omnes, ut ita dicam, hoc principio, hocque fine utantur, ut ueram disciplinam, exercitationemque ad res ciuiles historiae cognitionem esse dicant, eamque solam ob exempla alienorum incommodorum effectricem, & magistram: ut quis possit fortunae uarietatem aequo animo ferre: profecto neminem puto iudicaturum necessarium fuisse, ut de iis, quae recte, & a multis dicta sunt, denuo sermo haberetur, a nobis praesertim quibus nouitas ipsa rerum, de quibus scribere instituimus, satis superque est, adhortandos alliciendosque omnium, tum iuuenum, tum natu grandiorum, ad hanc nostram historiam animos: quis enim adeo est hominum, uel prauus uel ignauus, qui nosse refugiatur, quo modo, quo uergerendi genere uniuersae totius fere orbis nationes domitae, & intra trium et quinquaginta annorum spatium, imperio populi Romani subiecta fuerint: id quod ante id tempus uisum fuerat nunquam: aut quis rursus ita caeteris spectaculis, ac disciplinis deditus atque affectus est, ut aliquid huic cognitioni preponendum ducatur: atque quod grande, quantumque excellens sit hoc nostrum opus, palam erit, si principatus, qui maxime, & dignitate, & gloria floruerunt, de quibus amplissime scripserunt historici, Romani imperij excellentiae comparabimus: digni autem hi tandem sunt, qui comparentur. Persarum quibusdam temporibus magna potentia fuit, sed quotienscumque transgredi Asiae terminos ausi fuere, non in principatus solum, uerum etiam in proprii capitis periculum inciderunt. Lacedaemonii cum diu de Graecorum imperio certauissent, tandem desiderij sui composites facti, uix annos duodecim imperare libere potuerunt. Macedones in Europa quidem dominati sunt ab Adria ad flumen Istrum, quae exigua quaedam eius regionis pars est, postea debellatis Persis, Asiae quoque principatum habuerunt: sed tamen hi quoque, & si complurium rerum

atq; locorum domini sunt uisi, magnam tamen orbis partem intactam reliquerunt: nam de Sicilia, Sardinia, Africa ne cōtendere quidē cœperunt: ferotiores uero Europæ nationes, & quæ magis ad occidentē uerunt, uix, ut sic dixerim, cognouere. Romani non aliquam orbis partē, sed uniuersum fere orbem subiugarūt. Cæterum initium nostri operis erit, a temporibus quidem, olympias centesima & quadragesima: a rebus uero gestis, apud Græcos quidem, bellū sociale appellatum, quod primum cum Achæis aduersus Aetolos Philippus incœpit, Demetrii filius, ac Persei pater: apud eos uero, qui Asiam colunt, bellum Syriacū quod Antiochus & Ptolemæus Philopater inuicem gesserunt. In Italia uero & Africa bellum Romanorum, Carthaginensiumq; , quod complures bellum Annibalis appellant. Hæc autem ea sequentur, quæ sunt ultimo loco a Sycionio scripta. Ante hæc igitur tempora bella diuersis in locis sparsim gesta sunt. Postea uero euenit, ut in unum quasi corpus coalesceret historia, & res Italice, Libycæq; cum Græcis, atq; Asiaticis miscerentur, & ad unum finem omnia tenderent. Quapropter & exordiū nostri operis ab eo tempore sumpsimus, etenim cum in eo bello Romani Carthaginenses superassent, maiorem a se partem iam gestam rati, quō uniuersum aggredi possent, eo primum tempore ausi fuerūt ad reliqua manus extendere, & cum potentia, ac uiribus in Græciā, Asiamq; traicere: quod si eorū mores atq; instituta, qui de principatu orbis inter se contenderunt, cognita perspectaq; haberemus, fortasse non esset opus altius repetere, quibus uiribus, quauē potentia freti tales tantæq; res aggressi fuerunt. Verum cum neq; Romani populi, neq; Carthaginensium instituta cōpluribus Græcorum nota sint, neq; eorum uires, neq; res geste, necessarium arbitrati sumus hunc, & sequentem librum, anteq; historiam ingrederemur, præscribere: ne quis forte, cum ad lectiōnem nostri operis se cōtulerit, dubitare possit, quo consilio, quibusq; uiribus, aut facultatibus fretus Romanus populus eo animum induxerit, quo & orbe terrarum, & uniuerso mari nostro potiretur: cum potius ex his principiis, atq; hac nostra preparatione manifeste omnes intelligant necessarias Romanos facultates habuisse, quibus & rem talem tantæq; aggredi, & desiderii sui compotes fieri potuerunt: nam & huius nostri operis & rer; hac tēpestate gestar; pulchritudo in primis hæc est: q̄, quemadmodū fortuna omnes fere totius orbis terrar; res, ad unā partem inclinauit, & omnia ad unum, eūdemq; finē referri coegit: ita etiam per historiā uniuersa eo ordine, quo gesta sunt, facile scribi, & simul omnia cerni, atq; uideri possunt. Hoc aut uel in primis nos animauit ad scribendam historiā: simul, q̄ tēporibus nostris nemo adhuc fuit, qui in

uniuer

uniuersum res gestas scribere uoluerit: nam id multo minū nos fecissemus. Verum, cum plerosq; uideremus singillatim bella quedā particularia, & res in illis gestas annotasse, uniuersalem uero, & dicam coniunctam rerum gestar; cōmemorationem, quando, aut unde incœperint, quomodo gestæ sint, quem finem habuerint, neminem profus, quod mihi notum esset, usq; in præsentem diem attigisse: operepretium fore censuimus, si nostra opera daretur hominibus nostris facultas legendi, id quod optimū simul, & utilissimū fortunæ opus fuit: nam cum multa in uita hominū fecerit præclara illa quidem, & admiratione digna: nihil tamen usq; in præsentem diem fecit, quod sit rebus nostri tēporis comparandum: quæ res quidem ex iis, qui priuatas scripserunt historias, minime intelligi posset, nisi forte quis sit, qui, cum præclaram aliquam ciuitatem transierit, aut seorsum pictam uiderit, putet se propterea uniuersū orbis situm, figuram, atq; ordinē intellexisse. Quod nullo modo uerisimile est, ac mihi quidē uidentur, qui per particularem historiam satis intelligi posse uniuersa existimant, non minus a uero deflectere, quam si quis, cum animati, atq; formosi corporis separatas inuicem partes consideret, putet se propterea omnem eius animalis pulchritudinē atq; ornatum intellexisse. Etenim si quis distinctas illas, ac separatas partes sumat, cōiungatq; inuicem, & animal adhibita forma, atq; ornatu animi perfectum efficiat, deinde id rursum illis ostendat, profecto fateantur se longe antea aberrasse, simileq; somniantibus fuisse: quendā enim conceptum totius uisus partibus facere certe licet, certam uero scientiam, ac cognitionem eius habere impossibile est. Quapropter paululum cōferre posse particularem historiam putandum est ad uniuersū notitiam, ac cognitionem: ex cōmixtione uero rer; & similitudine, & differentia accidere, ut nemo sit, qui ea legens singularē non capiat ex historia fructū ac uoluptatem. Faciemus autem principiū huius libri primā Romanorum ex Italia transfretationē, quæ est iis continua, quæ Timeus ultimo loco scripsit. Fuit autē olympiade centesima & uigesima nona: quā obrem dicendum quidem est, quomodo, quoue tempore res Italicas cōposuerint, quibus facultatibus freti in Siciliam transfretauerint: nam in eam terrā primo extra Italiam sunt pfecti: & eius quidē transfretationis causa simpliciter, & ut ita dicam, nude dicenda est, ne causa causam querēte, totius rei principiū & cōsideratio perplexa sit: sumendū etiam tale principiū, qd sit tēporibus ac rebus consentaneū, & uniuersis cognitū, qd ipsum ex seipso cōsiderari possit: etiā si oportuerit tēporibus paulo altius repetitis, res interea loci gestas summatim cōmemorare: nam principio quidē ignoto, uel per louē subobsuro, neq; ea quidem, quæ

A iiii

sequuntur, persuadere, aut facere fidem possunt: quod si opinio de principio uera sit, tunc omnis quoque consequens sermo facile auditorum auribus satiffacit. Annus erat post eam naualem pugnam, qua Cymon Atheniensis Xersem superauerat, decimus nonus: ante bellum uero in Leuctris gestum, quo Lacedæmonij pacem cum rege Persarum inierant, sextusdecimus: cum Dionysius senior Græcis, qui Italiæ oram incolebat, circa Elleporum superatis, Rhegium Calabriae ciuitatem obsidebat. Galli uero Romam Capitolio dumtaxat excepto, occupabant: quo tempore Romani percussio cum Gallis foedere, & præter spem recuperata iterum patriæ libertate, gerere cum finitimis bella cœperunt. Et mox Latinis omnibus superatis, bellum Tyrrhenis, deinde Celtis, postmodum Samnitibus intulerunt. Non multo interiecto tempore cum Tarentini ob ea, quæ in Romanorum legatos patrarant, se non satis tutos putantes, anno uno ante Gallorum in Italiam aduentum, Pyrrhum regem ad se uocassent, & simul ii, qui apud Delphos erant bello superati in Asiam confugissent. Romani deuictis iam Tyrrhenis, atque Samnitibus, Celtis uero in Italia compluribus prælijs profligatis, tunc primum in reliquas Italiæ partes facere impetum cœperunt, ueluti iam non de alienis, sed de proprijs, & ad se pertinentibus rebus contendentes, pugnandi artem ex bellis, quæ iam cum Celtis atque Samnitibus gesserant, optime edocti: acriter igitur huic bello insistentes, Pyrrho eiusque copijs tandem ex Italia expulsis, rursus eos quoque, qui cum Pyrrho senserant, persequabantur: ac mox ueluti ex insperato omnium domini facti, & uniuersis, qui Italiam habitabant, præter Celtas subiugatis, deinceps Romanos qui Rhegium tenebant, obsidere cœperunt: proprii enim quiddam, ac par duabus ciuitatibus, quæ in freti illius angustijs sitæ sunt. Ea tempestate accidit Messanæ, & Rhegio: Messanam enim non multo ante hæc tempora Campani sub Agathocle in Sicilia militantes urbis splendorem atque opulentiæ admirati, cum primum patrandæ rei oblatam sibi opportunitatem uiderunt, per amicitiam intra moenia recepti, uiolata foederis fide, in urbem impetum faciunt: ciues partim urbe eiciunt, partim trucidant: uxores, liberosque eorum, prout cuique in ipso conflictu fors tulit, item postea fortunas, agrosque inter se partiuntur: ita pulcherrimæ, opulentissimæque urbis compotes facti, confestim huius sui facinoris imitatores repererunt. Rhegini enim tempore, quo Pyrrhus Epyrotarum Rex in Italiam copias traiecit, aduentu eius deterriti, simul quod Carthaginenses tunc mari dominantes metuebant, populi Romani opem, atque præsidium postularunt. Missi ab Romanis ad Rheginos milites aliquandiu urbem tutati fidem ciuitati seruauerunt: erant numero quatuor millia

millia hominum, quibus duces præerant Decius & Campanus, sed tandem Mamertinorum exemplo permoti, & eos tanti facinoris conspiratores habentes, ipsi quoque Rheginis fidem uiolant, tum rei opportunitate, tum Rheginorum opulentia pellecti: ciues alios ex urbe depellunt, alios cedunt: denique, ut Mamertini fecerant, ciuitatem detinent. Romani, & si hanc Rheginorum calamitatem graui, & iniquo animo ferrent, superioribus tamen bellis occupati, subsidium ferre non poterant: confecto autem bello Rhegium, ut mox dicebamus, profecti, urbem obsederunt, ac tandem expugnarunt: interfectis compluribus, qui in ipsa etiam uictoria præscii, que passuri forent, si superuiuerent, usque ad extremum fortissime repugnarunt: trecenti solum uiui in potestatem redacti, quos Romam euestigio missos Consules in forum produci, ac uirgis cædi, & tandem secundum patriæ morem, securi percuti fecerunt, quo, & illi scelerati facinoris poenas darent, & ipsi suam erga socios fidem, quantum fieri posset, confirmarent, urbem & agros, cæteraque quæ superfuerant Rheginis continuo restituerunt. Mamertini, sic enim Campani se, capta Messana nuncupabant, quandiu legio illa Romanorum Rhegium detinuit, præsidio eorum freti, non solum ciuitatem, & agrum suum turbantur, uerum etiam finitimas plerasque tum Carthaginensium, tum Syracusanorum ciuitates magnopere infestabant, nonnullas etiam Siciliae urbes sibi tributarias fecerant: mox uero restituta Rheginis urbe, Romanæ legionis præsidio destituti, ipsi quoque a Syracusanis obsidione passi sunt ob causas, quas dicemus. Non multo ante tempore, Syracusanorum copiarum, cum inter se, atque eos qui Reipublicæ præerant, orta seditio foret, duces sibi creauere Artemidorum, & eum, qui postea rex fuit, Hieronem admodum quidem adolescentem, sed ita uniuersis naturæ, atque ingenii dotibus ornatum, ut nihil sibi regium, præter regnum, deesse uideret. Hic suscepto magistratu, cum tandem caterua amicorum stipatus in urbem introisset, ac diuersæ factionis ciues superasset, adeo clementer, moderateque uictoria usus fuit, ut consentiente unanimes Syracusanorum omnium, qui non facile in huiusmodi rebus conuenire consueuerant, fauore dux iterato crearetur. Hieron igitur cõfestim maiora se, quam ut dux esset, animo concipere manifestissimis argumentis ostendit. Principio enim cum Syracusanos animaduertisset, quotienscunque copias ducesque eorum extra urbem mitterent, seditionibus inter se uexari consuetos, Leptinem autem intellexisset fide, atque autoritate inter cæteros Syracusanos plurimum pollere, & multitudini gratissimum esse, non inutile futurum putauit, si affinitatem cum ipso contraheret, quo haberet, quem pro se in ciuitate posset relinquere, quotiens eum ad res gerendas

exire, copiasque in expeditionem educere oporteret. Accepta itaque in matrimonio Leptinis filia, cum sciret ueteres Syracusanorum copias, quae ex conductis militibus erant instabiles esse, rerumque nouarum audas, dedita opera exercitum in Barbaros, qui Messanam tenebant, educit, castrisque iuxta Centoripam positis, ac strictis circa Cyamiosorum fluium aciebus. Syracusanos equites, peditesque secum tenet, quasi per aliud iter hostes aggressurus foret. Gregarium uero, ac conductitiu militem circumueniri ab hostibus ac profligari patitur. Ipse diuerso itinere cum Syracusanis omnibus profectus incolumis in ciuitatem reuertitur. Liberato per hunc modum ueteranis gregariisque militibus exercitu, nouum ipse fidum militem iterato conduxit. Itaque rebus omnibus diligenter compositis, cum Barbaros cerneret superiori uictoria stulte nimium temerarieque elatos, ipse cum armatorum, & iam satis a se exercitorum ciuium manu extra urbem profectus, citato itinere ad Mileum agrum peruenit, ibique iuxta Longani fluminis ripas ingens cum Barbaris praelium collatis uiribus commisit: quibus tandem superatis, ducibusque eorum captis, cum Barbarorum petulantiam hac uictoria repressam cerneret, Syracusas cum copiis reuersus, consentiente omnium ciuium fauore, rex a sociis appellatur. Mamertini primum Romanae legionis, ut supra diximus, praesidio destituti, deinde hoc graui praelio affecti, cum iam ferre animis cecidissent, plerique ad Carthaginenses confugiunt, eisque & sese & arcem dedunt: alii ad Romanos legatione missa, ciuitatem illis tradunt, praesidiumque ueluti ab eiusdem generis hominibus postulant. Romani diu inter se, quid faciendum esset, dubitarunt, per absurdum enim putabant se, qui paulo ante in proprios ciues ob occupatam contra fidem Rhegium tam graui animaduertissent, nunc Mamertinis, qui eiusdem sceleris rei essent, praesidium ferre. Veruntamen cum Carthaginenses cernerent iam non Africam modo, uerumetiam pleraque Hispaniae loca insulas praeterea omnes Sardonii, ac Tyrrheni maris ui, atque armis subegisse, periculosam sibi eorum uicinitatem fore suspicabantur, si Siciliae quoque domini fierent: hanc autem facile in Carthaginensium potestate uenturam intelligebant, nisi Mamertinis suppetias mitterent: etenim Messana capta, quae eis a nonnullis, ut supra diximus, offerebatur, confestim Syracusas quoque recuperaturos haud dubium erat, praesertim cum reliquum Siciliae sub eorum ditione foret. Haec cum Romani cogitarent seruare Messanam omnino necessarium putabant, neque pati, ut Carthaginenses, quasi pontem quendam sibi constituerent, per quem transire in Italiam pro libidine possent: diu tamen haec res in Senatu agitata, tandemque, cum iuuare Mamertinos turpius esse, quam commodius ob patrata scelera

scelera uideretur, rem infectam Senatus dimisit. At populus Romanus cum tot bellis defatigatus, atque contritus, iam quiete aliqua egere uideretur, & simul ostendentibus ducibus utilitatem & commodum, quod ex ea re prouenire poterat, praestandum Mamertinis subsidium iudicauit, atque ea sententia per plebem confirmata, confestim alterum ex Consulibus Appium Claudium traducere in Siciliam exercitum, & Mamertinis ferre suppetias iubent. Mamertini de Romanorum praesidio certiores facti, Carthaginensium praefectum, quem superius positum in arce diximus, partim terrore, partim dolo ex urbe eiiciunt, Appium Claudium ad se uocant, ciuitatem in eius manibus ponunt. Carthaginenses praefectum praesidii, quod formidine simul atque ignauia arcem amisisset, cruci affigunt, ac repente terra marisque coactis copiis, classeque circa Pelorum posita, terrestribus uero copiis circa Messanam castrametati, urbem diligentissime obsident. Interea temporis Hieron oblatam sibi opportunitatem ratus, ad expellendos, fugandosque e Sicilia Barbaros, qui Messanam tenebant, percusso cum Carthaginensibus foedere Syracusis profectus, positisque ad aliam partem castris iuxta montem, quem Chalcidicum uocant, eum quoque exitum Mamertinis abstulit. At consul per noctem non sine periculo traiecto freto Messanam peruenit, cunctosque hostes cerneret acriter undique urbem prementes, quippe qui non modo terra, uerumetiam mari potentiores erant, obsidionem sibi partim turpem, partim periculosam ratus, primum legatis ad utrumque missis, an bello liberare Mamertinos rebus pace compositis ualeret, experiri uoluit: sed cum neuter hostium Consuli preberet aures, tandem coactus subire periculum, decernere primum cum Syracusanis statuit, igitur copias aduersus Hieronem educit, hortatur milites, acies struit: nec Syracusanorum Rex certamini moram facit, diu, acriterque pugnatur, tandem uictoria per se Romanos fuit: quippe qui magna parte hostium caesa, Regem usque in castra persecuti sunt, consul interfectorum corporibus spoliatis, se cum exercitu in urbem recipit. Hieron iam plane omnibus rebus suis metuens, proxima nocte Syracusas properat, postridie eius diei Appius cum Syracusanorum fugam persensisset, auctis animis persequi eos decreuit, conuocatis itaque militibus iubet, ut curent corpora: dein cum prima luce e castris proficiscitur, collatisque cum hoste uiribus partim trucidat, alios cogit in proxima oppida se recipere. In hunc itaque modum soluta obsidione, per Syracusanorum, atque sociorum agros intrepidus, nemine obuiam eunte incursions facit, deuastat cuncta, tandemque ipsas Syracusas obsidet: haec prima populi Romani cum exercitu extra Italiam profectio fuit ob eas quas diximus causas, quam cum iudicauissemus totius nostri propositi commodissimum fore

principium: ab ea potissimum incepimus, repetitis paulo altius, quæ necessaria uidebantur, nequam in reddendis causis dubitationem relinqueremus: nam quo tempore, quoue modo Romani summo in discrimine fuerint, ipsam quoque urbem Romam amittendi, & quando rursus superata Italia exteros subiugare coeperint, necessariū existimauimus ante omnia exponere, quo magnitudo imperii eorum, quæ postea secuta est, intellectus eiusmodi principiis, similima ueri uideretur. Quod si insequentibus quoque, cum de claris ciuitatibus loquamur, aliquid forte paulo altius repetimus, nemo sit, qui miretur: id enim eo consilio facimus, ut principia nostra talia sint, ex quibus aperte liceat intelligere, quo modo quibusue rationibus ad eum quisque statim peruenerit, in quo in præsentia permanet, quod hoc loco de Romanis facimus. Verum, his omissis, tempus est, ut iam ad id, quod propositum erat, reuertamur, ea primo breuiter summamque exponentes, quæ ante ea tempora, de quibus scribere præcipue intendimus gesta sunt, quorum primum est bellum a Romanis Carthaginensibusque in Sicilia gestum: proximum huic bellum Punicum, quod res gestas primo Amilcaris, deinde Asdrubalis cum iis, quæ sunt a Carthaginensibus gesta, coniungit: quo tempore prima Romanorum in Illyrium, atque eas Europe partes transfretatio fuit: præterea certamina Romanorum aduersus Gallos, qui ea tempestate in Italiam uenerant. Eodem tempore apud Græcos quoque bellum gestum quod Cleomenicum appellatur, ad quod nostra hæc omnis præparatio tendit: nam singillatim res gestas omnes commemorare, neque nobis necessarium uidetur, neque audientibus utile: neque enim historiam de illis scribere instituimus, sed summam ea, quæ ad futuram historiam necessaria uidebuntur, attingere. Quapropter, breuiter ea commemorantes, quantum in nobis erit, enitemur finem eorum, quæ præparationis gratia referemus, cum principio nostræ historiæ coniungere: ita enim continuata narrationis serie, & nos recte existimabimur ea, quæ a ceteris historia conscripta sunt, tetigisse, & discendi cupidis apertam facilemque ex omni parte uiam parauisse. Verum nobis uel in primis libuit primum hoc, Romanorum cum Carthaginensibus pro Sicilia bellum paulo diligentius conscribere, quod neque diuturnius bellum reperire facile foret, neque maiores apparatus, neque frequentiora facinora, neque plura certamina, neque maiores utrinque rerum uarietates: quandoquidem ea tempestate uterque populus legibus suis integer erat, fortuna mediocris, uiribus par: unde si quis utriusque ciuitatis uires, atque imperium considerare uoluerit, non tam exsequentibus bellis, quam ex hoc facere comparisonem debet. Illud quoque nos ad hoc bellum scribendum maxime impulit, quod

ii, qui

ii, qui optime uidentur de eo scripsisse Philinus & Fabius, non parum a uero deflexisse mihi uidentur. Quanquam illos quidem de industria mentitos esse non ausim dicere, sed eos puto, ut amantes consueuerunt, suorum beneuolentia deceptos. Nam & Philino quidem ex affectu, Carthaginenses omnia bene prudenter fortiterque egisse uidentur, Romani contra, Fabius uero sententiæ est plane diuersæ, quam modestiam in ceteris uitæ partibus nemo fortassis sit, qui reprehendat. Siquidem bonum uirum amicorum patrique amicum esse decet, & amicorum amicos colere, inimicos odisse: at eum qui scribendæ historiæ munus susceperit, omnia huiusmodi moderari decet, & nonnunquam summis laudibus extollere inimicos, cum res gestæ eorum ita exigere uidentur. Interdum amicos necessariosque reprehendere, cum errores eorum digni sunt qui reprehendantur. Ac ueluti si quis oculos animanti effoderit, quicquid superest corporis, inutile fit: ita dempta ex historia ueritate, narratio omnis inutilis est. Quamobrem neque a reprehensione amicorum, neque ab inimicorum laudibus, cum ita res ferat, abstinendum, neque turpe putandum, si eosdem aliquando reprehendamus, interim laudemus. Siquidem eos, de quibus scribimus, neque semper recte facere, neque continue errare uerisimile est. Quod autem hæc ita sint, ex his, quæ Philinus scripsit, facile intueri licet. Is enim statim in principio secundi libri ita scribit: Carthaginenses atque Syracusani Messanam obsidebant, quo cum Romani milites traiecto freto aduenissent, cōfestim aduersus Syracusanos exeuntes, & ab his uicti, ac profligati in urbem regressi sunt. Rursusque aduersus Carthaginenses profecti, non solum fusi fuerunt, uerumetiam magna pars eorum uiui capti. Statimque cum hæc dixisset, Hieronem, inquit, post id prælium adeo timore perculsum fuisse, ut non solum incensis castris, atque tentoriis per noctem Syracusas fugerit, uerumetiam munitissima quæque loca, quæ inter Messanā ac Syracusas erant, dereliquerit. Carthaginenses quoque refert eo prælio pari modo perterritos, relictis castris, per Siciliæ oppida se diuisisse: neque post eum diem educere exercitum fuisse ausos, quin Duces eorum, cum populorum animos adeo perculos cernerent, suauis, ne amplius res eorum fortunæ belli committendas ducerent. Romanos autem Carthaginenses insecutos, non solum prouinciam deuastasse Carthaginensium & Syracusanorum, uerum ipsas quoque Syracusas obsedisse, quæ res adeo omni ratione caret, ut eam refellere sit protinus superuacuum. Quos enim paulo ante Messanam obsidentes, collatis manibus uictores fecerat, eosdem mox in fugam conuersos, castra reliquisse, & percussis animis sese in ciuitate recepisse, tandemque obsidionem passus esse commemorat. Quos uero prælio superatos a Carthaginen-

B

libris obsideri dixerat, eos sine mora uictores, factis per agros hostiū incursionibus, ad extremum Syracusas obsidētes facit. Hæc uero inuicem cōuenire nequaquā possunt. Aut enim, quod primo posuit, aut quod mox subiecit, falsum sit necesse est. Constat autem hoc uerum esse, cū neminem lateat Carthagenenses atq; Syracusanos, relictis castris, se in urbem recepisse: Romanos uero citato gradu oppugnatū esse Syracusas. Superest igitur, quod primo posuerat falsum esse: & cum in eo prælio, quod prope Messanam gestum est, uictoria penes Romanos fuerit, auctorem tamen illos bello a Carthagenensibus superatos finxisse. Talem frequēter reperias Philinum, neq; secus etiam Fabium, ut suis utrunq; locis ostēdimus. Quapropter, ut eo reuertamur unde discessimus, nos pro uirili nostra operā dabimus, ut studiosis nostri operis facile ueritas historiæ dilucescat. Cum igitur fama rerum ab Appio, cæterisque Romanis militibus bene strenueq; gestarum, ex Sicilia Romam peruenisset, Consules declarati M. Valerius, & C. Octacilius, uterq; cum omnibus copiis in Siciliam missus est: erant in Romanorū exercitu legiones quatuor. Romani omnes, præter auxilia, quæ singulis annis a locis accersebantur, harum singulæ continebant peditū quatuor millia, equites trecentos. Igitur aduentu Consulū plerq; ciuitates, tum Carthagenensium, tum Syracusanorum ad Romanos defecerunt. Hieron cum iam Siciliae populos cecidisse animis cerneret, & simul Romani exercitus multitudinem, ac uires adauctas, tutius sibi fore ratus Romanorū, q̄ Carthagenensium partes sectari, legatos ad Consules mittit, qui de pace atq; amicitia tractarent. Romani, quod Carthagenenses undiq; maria tenētes, cernebant: & ne aliquando interdudi cōmeatus possent, uerebantur, cōmodissimam fore huic rei Hieronis amicitiam rati, pacem cum Syracusanis his fere conditionibus firmauerunt. Ut rex captiuos, quos in uinculis habebat, Romanis sine precio restitueret, argenti insuper talenta centū penderet, & ut deinceps Syracusani socii atq; amici, populi Romani appellarentur. Hieron rex iam sub Romanorū tutela sponte constitutus, auxiliis & comitatibus, quotiens necessarium fuit, populo Romano abunde subministratis, reliquū ætatis suæ foelicissimus Græcorū omnium fortunatissimusq; peregit. Etenim hic mihi inter ceteros clarissimus uidetur fuisse, & consiliis suis omnibus diu foeliciter usus, cum publicis tum priuatis in rebus. Verum, cum primum earum rerum fama Romam peruenit, populus Romanus approbatis conditionibus pacis, cum Hierone initæ, post eum diem haud necessarium putauit Romanos omnes copias extra Italiam mittere, duas tantummodo legiones satis superque esse ratus, simul quod ascito in societate Rege, leuius fore bellum

bellum existimabat, simul quod per eum modum maior futura erat copia rerum exercitui necessariarū. Cæterum Carthagenenses, ubi Hieronem uident hostem sibi factū, Romanos uero maiorem Siciliae partem occupatam tenere, ualidiori ad resistendum potentia opus esse rati, Lygurum, atq; Gallorum multitudinem, præterea etiam plerosq; ex Hispania milites in supplementū scribunt, quibus in Siciliam traductis, cum Agrigentinarum urbem ad belli apparatus per opportunam esse cererent, quod in fronte aduersus hostes munitissima erat, contractis in eam undiq; copiis, & comitatu abundantissime parato, illa ueluti quadam arce belli aduersus Romanos utuntur. Cōsules foedere cum Hierone percusso e prouincia decessere. Post eos uero Lucius Posthumius, & Q. Aemilius consules creati in Siciliam cum exercitu ueniunt. Hi primum Carthagenensium rebus diligentissime consideratis, intellectuq; apparatu, circa urbem Agrigentum facto audatius, quam superiores fecerant, Siciliae rebus incumbendum censuerunt. Quamobrem coactis in unum omnibus copiis, ipsum Agrigentum inuadunt, & non longius octo ab urbe stadiis castrametati, hostem moenibus inclusum tenent. Erat iam messis tempus, & longam fore obsidionem omnes rebantur, quamobrem milites relictis castris audatius, q̄ res postulabat, colligendis frugibus intenti erant. Carthagenenses cōspicati hostem palantem, & uagum per prouinciam securum discurrere, magnā in spem adducti, Romanorum exercitum eo die opprimi posse, magna uī pars in castra hostium, pars in ipsos frumentatores impetum faciunt: sed diuersitas morum, cum sæpe alias, tum maxime eo die rem Romanam tutata est. Nam apud Romanos mors poena est iis, qui in bello locum, in quo constituti sunt, reliquerint, aut aliquo modo e castris fugerint. Quo factū est, ut, cum Carthagenensium longe maior numerus foret, Romani tamen fortissime resistentes, multis quidem ex suis amissis, longe plures ex Carthagenensibus interfecerint: tandemq; non solum hostes a castris auerterint, uerum etiam eos insecuti, partem trucidarint, reliquos ouantes ipsi redire in moenia præcipites coegerint. Cæterum tantus utrosq; metus ex huius diei periculo inuasit, ut deinceps, neq; Carthagenenses inconsultius impetum facere in castra Romanorum auderent, neq; Romani temere suos frumentatum abire paterentur. Cuncq; Carthagenenses iam nō amplius in Romanos exirent, sagittis tantummodo eminus pugnātes, Consules in duas partes diuiso exercitu, alterā ad Aesculapii templum posuerunt, altera ad eam partē, quæ ad Heraciam spectat, castrametati. Quod uero inter duo castra mediū erat, ex utraq; parte urbis duplici cinxere uallo, & unam quidē fossam inter se ac moenia urbis

fecerunt, quo ab egredientibus tuti forent, alteram uero extrinsecus, ne aliunde uenire subsidia possent, quæ plerumque a uicinis ciuitatibus præstari obsessis urbibus consueuerunt. Loca inter fossas, atque exercitu media præsidii militum diligentissime firmarunt, comæatû cæteraque exercitui necessaria focii omnes in Erbesum oppidum summo studio congerebant. Hæc postea ex eo oppido, haud enim percul aberat, milites Romani commodissime ferebant in castra. Quinque in hunc modum menses Carthaginenses Romanique manserunt, neutram fere in partem inclinantibus rebus. Tandem uero, cum fames premere Carthaginenses cepisset, ob ingentem multitudinẽ, quæ inclusa mœnibus tenebatur, erant enim ultra L. millia hominũ, Annibal penes quem summa imperii erat, iam rebus suis prorsus diffidens, cõfestim Carthaginẽ misit, quæ & circũuallationẽ urbis nunciaret, & opẽ atque subsidiũ peteret: quibus rebus promoti Carthaginenses instructo exercitu, magnoque Elephantorum numero coacto, ac paratis nauibus, omnes ad Annonẽ alterũ Carthaginensium ducẽ in Siciliam miserunt. Hic coactis oibus copiis, Heracleam profectus, principio rebus oibus diligentissime cõsideratis, Erbesum oppidum, quod usque in eũ diẽ horreũ populi Romani fuerat, per proditiõẽ recepit, & facultatẽ comæatũ, ac ceterarũ rerũ exercitui necessariarũ hostibus ademit, quo factum est, ut Romani nõ minus obsiderentur, quã obsiderent. Eo enim ob penuriã annonæ & ceterarũ rerũ necessariarũ redacti sunt, ut se penumero de dissoluenda obsidione consiliũ ceperint, quod tandem, per uelud dubio fecissent, nisi Hieron Syracusanorum rex summo studio comæatũ, & cetera necessaria exercitui suppeditasset. Post hæc Anno cum uideret Romanos morbo simul atque inopia rerũ necessariarũ grauitè urgeri, ingens enim exercitum pestilentia inuaserat, & suos promptos paratosque ad prælium intelligeret, coactis ultra quinquaginta Elephantis, & simul paratis oibus copiis, exercitum omnem ex Heraclea educit. Iubet equitibus Numidis, ut præcedant, & cõserendo cum hostibus manus, eos irritet, & quantum in eis sit, hostium eques puocare in prælium conetur: deinde insequẽtibus uertant terga, neque prius desistant fugere, quã ad se reuersi sint. Numidæ mandata Ducis exequi collatisque cum altero exercitum manibus hostes irritare. Romani equites cõfestim in eos erũpere, Numidas temere insequi, Libes per eis mandatũ fuerat, quosque ad Annonẽ rediret, fugere: tum Romanis terga datibus, insequi, complures eorum interficere, reliquos usque in castra fugare. His rebus ita gestis, Carthaginenses cum exercitu profecti, collẽ occupant nocte Torum non amplius decẽ stadiis a castris hostium remotum. Huc in modum duobus mensibus comorati, nihil oino faciunt, præterquam quod sagittis interdum, telisque eminus pugnant. Interea Annibal multis ac crebris per noctem ignibus, etiam plerisque nunciis ad Annonem

Annonem missis, multitudinem amplius famem perpeti non posse significat, multos ex suis ob penuriam annonæ ad hostes defecisse: his tandem caulis permotus Anno in aciem copias educit, nec segniore ad prælium Consules accedunt ob eas, quas diximus, difficultates, utriusque copias in locum æquum deducunt, conferuntur uires, acriter inter se concurrunt, prælium diu atrox fuit: tandem Romani primam Carthaginensium aciem in fugam uertunt, fugientes in Elephantos præcipites eunt, quare conterritæ pecudes agmina conturbant, per earum stragem subsequenti Centuriones ad extremum terga uertere, Pœnos cogunt. Per hunc modum profligati Carthaginenses, pars in prælio occisi, reliqui Heracleam sercipiunt. Romani Elephantis fere omnibus, qui in prælio fuerant, ceterisque Carthaginensium rebus potiti in castra copias reduxerunt. Adueniente uero nocte, cum propter ingentem lætitiã, quæ ex bene gestis rebus euenire frequenter consueuit, necnon ob laborem superioris prælii, negligentius a Romanis custodigierent, Annibal desperatis rebus, commodissimum tempus ad suam, suorumque salutem ob eas, quas diximus causas, adesse ratus, intempesta nocte cum copiis, quas Agrigentum habebat, egressus per medias hostium munitiones, manipulis palearum equatis aggeribus, nemine penitus sentiente, cum suis omnibus incolumis euasit. Romani uero sub primam lucem re intellecta insecuti parumper uestigia hostium, mox omnes ad urbem capiendam reuersi, nullo iam repugnante, in portas ciuitatis impetum faciunt, exercitum omnem intra mœnia inducunt, urbem locupletissimam diripiunt, multitudine seruorum uariisque prædæ generibus potiti. Postquam Romæ nunciatum est Agrigentum profligatis Carthaginensibus in populi Romani potestatem uenisse, Romani sublatis animis, maiora mente agitare ceperunt, neque iam iis rationibus, quibus principio inducti fuerant, insistentes, aut Mamertinos Messanamque seruasse, aut Carthaginensium opes contriuisse, in Sicilia contenti erant, sed longe maiorum rerum spe concepta Carthaginenses omnino e Sicilia expellere cupiebant, ea re patrata, maximum sperabant incrementum res suas habituras: huic igitur rei, atque his de Sicilia cogitationibus omnes intenti erant, haud ignari pedestribus copiis Romanos sine dubio longe potentiores esse. Igitur expugnato Agrigento L. Valerius, & T. Octacilius consules creati, magno militum delectu habito, in Siciliam mittuntur. Ita Carthaginensibus maris sine controuersia dominantibus, quasi æquatam erat bellum, cuius rei argumentum est, quod post expugnatum Agrigentum, plerisque Siciliae mediterranea oppida, ob metum pedestrium copiarum, ad Romanos defecerant: post uero aduentum classis longe plures Maritimæ ciuitates

metu adducte potentie sese Carthaginensibus dediderat: sic par utrinque ratio belli constabat, sed Italia sepe numero ob nauales copias uariis hostium incursionibus uexabatur. Africa uero classis omnino expers erat. His rebus diligenter consideratis, populus Romanus mari quoque cum hostibus congregiendum statuit, quæ res me uel in primis hortata est, ut præsens bellum pluribus uerbis conscriberem, ne quis forte hoc quoque principium ignoraret, quomodo, quando, & quibus causis adductus populus Romanus parandam sibi classem, & naualibus quoque copiis cum hostibus dimicandum censuerit. Cum igitur bellum aliter nullum finem habiturum uideretur, Romani centum et uiginti nauium classem ædificari curant. Ex iis centum quinqueremes faciunt, reliquas uero triremes. In huius classis apparatu, perquam difficilis fuit quinqueremium ædificatio, quod nemo eiusmodi nauigiis per id tempus in Italia utebatur. Quo magis admiranda est Romanorum excellentia, ac magnitudo animi, homines enim Maritimarum rerum prorsus ignari, quique nullam prorsus cogitationem maris ante eum diem habuerant, ita intrepide pelagus ingressi sunt, ut prius nauali bello cum Carthaginensibus certarint, quam nullum eius rei periculum fecissent, cum per id tempus Carthaginenses concessione omnium, principatum maris partem olim a maioribus suis, & quasi hæreditario iure sibi relictum tenerent. Quod singulare testimonium est, et rerum a nobis scriptarum, & audatiæ Romanorum. Nam ii cum primo Messanam traducere copias tentauerunt, non solum armatam nullam nauim habebant, sed ne paulo quidem longiorem, & ne lembum quidem ullum: at Tarentinorum, & Locrensiū & Neapolitanorum nauibus usi, cum exercitu in Siciliam transfretarunt. Erant eo tempore circa fretum Siciliae complures Carthaginensium naues, quarum una quinqueremis, cum longius a cæteris uagaretur, casu fracta ad manus Romanorum peruenit. Hæc exemplar eius generis Romanis præbuit, eius instar omnis eorum classis edificata. Dum uero quinqueremes parabantur, interea multitudo omnis ad remigium exercebatur per hunc modum. Subsellis in harena per ordinem dispositis, remiges insidentes ad uocem præcipientis, qui in medio eorum erat, omnes una protendere brachia, ac reducere, remosque per harenam mouere pariter docebantur, ad illius uocem simul omnes incipiebant, simul desinebant, per hunc modum nauigandi artem edocti, & perfectis interea nauibus mare ingressi, post paucos dies uerum in undis periculum fecerunt. C. Cornelius cōsul, qui paucis ante diebus classi præpositus fuerat, oibus nauibus ad fratrem perductis, ipse cum decem et septem Messanæ proficiscitur, reliquas iuxta Italiæ oram relinquit. Paratis Messanæ, quæ ad classis usum necessaria

necessaria erant, cum res ita poscere uideret, iisdem cum nauibus Liparas nauigat. Per id tempus Annibal dux Carthaginensium Panormi cum classe erat, is audito consulis aduentu, Boodem quendam ex senatu Carthaginensi ad ea loca cum xx. nauibus misit, qui eo noctu superueniens, naues Romanorum in portu nactus inclusit. Consul inopinato malo circumuertus, nescius, quid consilii caperet, tandem sese hostibus dedit. Carthaginenses nauibus, & duce earum potiti, confestim ad Annibalem reuertunt. Non multis interiectis diebus, post adeo aptam recentemque Cornelii cadem, Annibal cui arrisisse fortunæ benignitas uidebatur, non dissimili iactura affectus audierat Romanorum classem secus Italiae littus nauigantem, haud procul a Sicilia esse, multitudinem hostium, atque ordinem, structuramque nauium cernere mirum in modum ardebat. Delectis igitur quinquaginta nauibus, Italiam petit, ibi cum propter oram Italiæ contrario quam Romani cursu ferretur, in classem hostium bene instructam paratamque ex improviso incidit, subitacque, atque inopinata ui oppressus, naues fere omnes amisit. Ipse præter spem suam, atque opinionem omnium cum paucis suorum diffugit. Romani post hæc Siciliae magis appropinquantes, aduerso casu Consulis per captiuos cognito, citato cursu, ad C. Duellium alterum consulem, qui pedestribus copiis præerat, mittunt. Hunc aliquandiu præstolati, cum tandem ad eos perlatum foret classem hostium non longe abesse, omnes nauali prælio se parant. Sed quia eorum naues tardæ nimis, & ad celeritatem parum commodæ erant, singulis quibusque munimenta quædam aptant, quæ postea coruos appellauere, ea fuit machina huiusmodi, Lignea columna proris inerat longitudinis quatuor ulnarum, latitudinis palmorum trium, in eius apice rotam constituerant, huic præterea tabulæ inhaerentes scalas conficiebant, quarum latitudo erat pedes quatuor, longitudo sex ulnarum. Foramen tabulati per longitudinem erat scalæ ab utroque latere usque ad genu munitæ. In ligni extremo ferrum erat instar mallei peracutum, præterea annulus fune alligatus, ita, ut hæc machina machinis frumentariis simillima uideretur. Igitur simul ac nauis hostium aduehatur, laxato fune scalæ dimittebant, ferrum pondere, ac ui ligni super hostium nauim delapsum figebatur: si aduersa prora erat, bini milites per scalas descendebant, duo primi præferentes scuta, reliqui latera scutis, protecti: si uero obliqua erat hostium nauis, in eam ex tota pariter naui desiliebat. Facto igitur huiusmodi apparatu, ad nauale prælium C. Duellius casu alterius Consulis, qui naualibus copiis præerat, qui celerrime cognito pedestrem exercitum tribunis militum relinquit, ipse ad classem maturat iter. Hic cum intellexisset Carthaginenses non longe a Mylis stationem habere, eo cum omni classe proficiscitur. Carthaginenses simul ac aduentare hostem intellexerunt, magna spe adducti, quod Maritimarum rerum rudes esse Romanos arbitrabantur, centum

& triginta nauibus paratis, omnes aduersus hostes in altum feruntur, nullum prorsus periculum timētes, perinde ac si in manifestam prædam pergerent. Dux eorum erat Annibal, quem noctu Agrigento eduxisse copias, & per medias hostium munitiones effugisse memorauimus. Is septemem habebat, quæ olim Pyrrhi Epirotarum regis fuerat: ut ergo appropinquare inter se classes cœperunt, corui in singulis quibusq; pro ris prospecti, ancipites Pœnorum animos ob rei nouitatem, aliquan- diu tenuerunt: tandem uero quicquid id foret, re contempta, infestis si- gnis in hostes feruntur: implicitis iam, ac simul colligatis nauibus, mili- tibusq; Romanis ex suis in hostium nauigia per machinas prorumpen- tibus, Carthaginenses pleriq; trucidati, alii ob machinas hostilium nau- ium stupefacti, sese hostibus dederunt: uisum est id certamen pede- stri certamini q̄ similitimum, nec periculum impar fuit, triginta Cartha- ginensium naues quæ primæ aduersus Romanos impetum fecerant, ca- pte, inter quas fuit nauis Prætoria, quam paulo ante Pyrrhi regis fuisse diximus, Annibal præter spem atq; opinionem suam aduersantibus re- bus, in scapham prosiliens, fuga salutis suæ consuluit, reliqua Carthagi- nensium multitudo pari modo aduersum classem hostium cum impetu ferebantur. Ut uero hostilium nauium machinis primas suorum naues per artem captas intellexere, ad ludificandi artem conuersi, non iam con- trario impetu, sed obliquo in Romanos ferebantur, freti celeritate nau- ium suarum, & per eum modum uolentiâ coruorum declinare se posse existimantes, uerum ita instructe paratæq; erant machinæ, ut undecūq; appropinquantes hostes facile colligare possent. Quamobrem Cartha- ginenses nouitate coruorum perterriti, tandē in fugam uertuntur, quin- quaginta nauibus in prælio amissis. Romani iam præter spem in mari potentiam adepti, multo acrius bello insistere, factiq; in Segestanam oram itinere urbem obsidione liberare, mox inde profecti, Macellam urbem expugnauerunt. Post nauale bellum Amilcar Carthaginensium Dux, qui tum pedestribus copiis in Sicilia præerat, cum audisset in exer- citu Romanorum inter milites Romanos, atq; auxilia sociorum uarias de uirtute ac gloria pugnandi cōtentiones agitari, ob eamq; rem socios a Romanis superatos per seiplos castrametari, citato itinere, ad socios p- fectus, eosq; ex improviso aggressus, circiter quattuor millia hominum interfecit. His rebus ita gestis, Annibal cum paucis illis, quæ a prælio su- perfuerant, nauibus Carthaginem rediit, inde non multis interiectis di- ebus, cum classe & quibusdam clavis triremium ducibus in Sardiniam mittitur. Hic paucis post diebus, a Romanis in quodam portu inclusus classem fere omnem amisit. Ipse per hostium manus dilapsus, mox a Car- thagi-

thaginensibus captus, & crucifixus occiditur. Romani, utpote qui iam pelago dominari cœperant, omni studio Sardiniam inuasere. Proxi- mo dehinc anno ab exercitu Romanorum, nihil sane memoria dignum in Sicilia gestum. Creati deinde Consules C. Sulpitius, & A. Rutilius Panormum mittuntur, quod illic per id tempus Carthaginensium co- piæ erant. Hi confestim eo traiectis omnibus copiis ante urbem aciem- struere, Carthaginenses mœnibus inclusi, pugnandi copiam hostibus non facere: quod cernentes Romani rursus relicto Panormo, Hippa- nam oppidum petunt, & breui post tempore expugnant. Mylistratum quoq; interiecto tempore quod obsidionem opportunitate loci diuti- us tolerauerat, a consulibus capitur. Super hæc in Camerineses, quæ ciuitas paulo ante a Romanis defecerat, ducto exercitu, ea quoq; urbs machinis atq; tormentis expugnatur. Capta est etiam ab iisdem consuli- bus Aetna, & alia pleraq; Carthaginensium oppida. Liparæ quoq; ab eisdem obsesse. Per id tempus Aulus Rutilius consul, qui classi Roma- norum præerat, apud Tyndaritanos stationem habebat. Hic Carthagi- nensium classem non longe a littore conspicatus mandat suis, ut sese q̄ ce- lerrime sequantur. Ipse cum decem tantummodo nauibus ante alteram classem in altum nauigat, Carthaginenses, cum hostes cernerent, alios ad- hue naues conscendentes, alios mare intrantes, primos longe a sociis re- motos sibi p̄pinquos esse, subito cōuersi incredibili celeritate Romano- rum naues circumfistunt, plærâsq; submergunt, parumq; absuit, quin nauis prætoriam cum omnibus, qui in ea erant, Carthaginensium pote- statem ueniret, uti remorum, ac nimia celeritate freta tandem uix euasit. Inter hæc reliqua Romanorum classis in altum delata obuia fit hostibus Carthaginensium naues decem onustas capit, octo mari submersæ, re- liquæ arrepta fuga Liparas se recepere. Ex ea pugna hac opinione utriq; discesserunt, ut primas uictoriæ partes sibi ascriberent: quare ardenti- us multo sese ad nauale bellum parabant, Maritimis rebus longe magis intenti erant. Pedestres uero copie per id tempus nihil memoria dignū fecere, paruis quibusdā, & nullius momenti rebus immorati, adueniē- te uero estate instructis paratisq; rebus, ut supra ostendimus, ad bellum exeunt. Romani quidē cū quinquere misibus trecentis & triginta Messa- nam conueniunt. Vnde postea mouentes præter dextrum Siciliae latus superato Pachini promontorio, Ecnomon nauigant, quo in loco pede- stres copiæ classem præstolabantur. Carthaginenses uero cum trecentis & quinquaginta nauibus mare ingressi, Lylibei consistunt. Roma- norum consilium erat nauigare in Africam, & eo omnem uim bel- li transferre, quo Carthaginenses non in Sicilia solum, uerum etiam

in propria domo periclitarentur. Contra Carthaginenses cum cernerēt quā facilis esset in Libyam descensus, quā imbelles populi, hostibus semel prouinciam ingressis pugnare protinus cum Romanis cupiebant, atque ita eorum transitum in Africam impedire. Per hunc modum his ad resistendum illis, ad inferendam uim paratis haud dubie ex utriusque obstinatione futurum certamen apparebat. Igitur Romani iis, quæ ad nauale bellum, & ad transfretationem in Africam necessaria uidebantur, diligentissime paratis, delectos e pedestribus copiis præstantiores milites in nauibus collocant, classem omnem quadripartito diuidunt. Partes singulas duplici appellatione uocitant. Prima quidem classis acies, & prima classis appellata, reliquæ eodem modo per ordinem præter quartam, quæ ut in pedestri exercitu Triarii uocati. Fuere in classe Romana supra centum & quadraginta millia hominū, singulis quibusque nauibus trecenti remiges, & legionarii milites centum & uiginti imponebantur. Carthaginenses dumtaxat aptis ad nauale bellum hominibus, classem referam habebant, eorum omnis multitudo erat supra centum & quinquaginta millia hominum, quo fit, ut non modo præsentēs uidentesque uerum etiam audientes magnitudinem periculi, potentiā partium utriusque exercitus præclara facinora uirorumque, & nauium multitudinem obstupescant. Romani cum animaduertent necessarium fore, ut nauigatio obliqua fieret, simulque intelligerent hostes peritiā celeriter nauigandi plurimum pollere, firmum atque insuperabile perficere agmen conantur. Duas igitur sexemes, in quibus M. Atilius, & L. Manlius uerhebantur, æque distantes in fronte collocant, has prima, & secunda classis ab utroque cornu, nauibus omnibus per ordinem singillatim dispositis, sequebantur: ita, ut continue distantia, quæ inter duas classes mediā erat, amplior fieret. Rostrum unius cuiusque nauis extra respiciebat. Per hunc modum protractis, dilatatisque per duas classes aciebus, duo trianguli latera resultabant: iis tertiā classem quasi basem pari modo addiderunt, ita, ut tres acies sic dispositæ, plenam trianguli figuram perficerent. Post tertiā classem singillatim ordinatæ erant naues, quibus equi uehebantur, hæ tertiæ classi funem præbebant. Post eas triarii sequebantur per ordinem: singulæ quæque naues dispositæ adeo, ut ex utroque latere antecedentes superarent. Omnis Romanorum classis per hunc modum instructa: primæ partes, hoc est, duo latera trianguli in medio uacua erant: posteriores uero, id est, quæ basim sequebantur, solidiores, classis tota firma ac prorius indissolubilis erat. At Carthaginensium duces per idē tempus cōuocata multitudine, hortari milites, ut magno fortique animo essent, si uincerent bellum, deinceps pro Sicilia futurum ostendere: si uictoria

uictoria penes Romanos foret, non iam se pro Sicilia, sed pro patria, pro laribus, pro liberis dimicaturos. In hunc modum hortati militum animos naues conscendere iubent, quod cum omnes alacri animo fecissent, per ea quæ a Ducibus commemorata fuerant, futura coniectantes, ad bellum audacissime exeunt. Duces interea ordinem Romanæ classis conspicati, in quatuor ipsi quoque partes copias diuisere: harum tres in altum delatæ, extenso longius dextro cornu, tanquam hostem circumdaturæ consistunt, prioris omnibus in hostem conuersis. Quarta ad sinistram cornu propter littus firmatur. Duces Carthaginensium erant Anno, & Amilcar. Anno cum uelocioribus nauibus dextro cornu præerat. Sinistri curam habebat Amilcar, quem apud Tyndaridas nauali bello profugisse diximus. Is tunc cum omni robore in medio agmine uersatus, usus est huiusmodi consilio. Consules primo statim congressu, tenuem Carthaginensium aciem conspicati, facto in medium agmen impetu, in hostes prorumpunt. Illi sicuti eis ab Amilcare mādatum fuerat, simulata fuga, quo Romanorum classem disiungerent, statim cedunt. Romani cupidius insequuntur. Igitur prima & secunda Romanorum classis post hostes audacius profecta, tertia uero quartaque tardius sequebatur. Quamobrem duæ primæ classes statim a reliquis separantur: quod simul ac Carthaginenses senserunt, facto e nauis Amilcaris, quemadmodum ante conuenerat, signo, repente simul omnes conuersi, insequentes Romanorum naues inuadunt. Fit atrox prælium, ac celeritate quidem, & arte ambiendi, eludendique longe præstabant Carthaginenses: robore uero ac uirtute militum postquam ad pugnam uentum, & collatæ simul uires erant, Romani plurimum excelebant. Tale itaque naualis pugnae principium fuit. Dehinc Anno, quem dextro Carthaginensium cornu præfuisse diximus, ubi pugnam cum primâ Romanorum acie inceptam uidet, superato mari Triarios inuadit. Hinc quoque ingens fit prælium, dubioque euentu belli aliquandiu certatur. Interim quarta quoque Carthaginensium acies, quæ propter littus constiterat, conuersi in hostem proris, classem, cui Hippagines alligatæ erant, a fronte aggreditur. Illi dimissis uinculis, cum hostibus acerrime dimicant. Tres totius certaminis partes, & tres pugnae nauales, diuersis, longeque disiunctis locis uno tempore cernebantur. Et quoniam numerus nauium in singulis pugnis erat pene par, certamen quoque par erat. Vtrique enim fortissime dimicare, omnia inter certantes quam similima esse. Tandem superatus Amilcar, & qui cum eo erant, fugam arripiunt. Lucius Manlius reliquias hostium persequitur. At Marcus Atilius, ubi Triariorum atque Hippaginum certamen uidet, cum integris

secundæ classis nauibus, illis confestim succurrit. Triarū, qui iam pridē ab Annone oppressi, summo in discrimine uersabantur, aduentu Consulibus instauratis uiribus, rursus acerrime dimicant: ita ancipiti malo circunuenti Carthaginienses, q̄ a fronte simul & a tergo hostes haberent, freti celeritate nauium, in altum proficiscuntur, atq̄ ita salutis suæ fuga consulunt. Interea tertiā classis Romanorum, quæ circa littus erat, a Carthaginiensibus grauiter opprimi, L. Manlius, & M. Attilius triariorū, atq̄ Hippaginu rebus in tuto relictis, diuerso itinere laborantibus succurrere. Illi iam ueluti obsidionem pati, res eorum in extremo sitæ esse: quippe qui proculdubio iam pridem perissent, ni coruos ueriti Carthaginienses adhærere hostili classi formidassent, tantum propellere hostes ad littus conati. Verum Consules repente circumuentis Carthaginiensibus, quinquaginta eorū naues plenas capiunt. Patricæ ad littus adactæ fugiunt. Singillatim igitur tria prælia a Romanis, Carthaginiensibusq̄ uno die commissā huiusmodi fuere, tandem uero totius pugnæ uictoria penes Romanos fuit, fregerunt ipsorum naues quatuor & uiginti, Carthaginiensium amplius triginta, plena nulla Romanorum nauis, a Carthaginiensibus capta. Carthaginiensium quatuor & sexaginta plenis Romani potiti. Non multo post id prælium interiecto tempore Romani instauratis, quas cœperant, nauibus, & ad classem adiunctis, comitatuq̄, ac cæteris necessariis rebus paratis, ueluti in Libyam nauigaturi, discedunt. Est in Africa locus, quod Mercurii promontorium uocatur, longe in pelagus contra Siciliam protendens, eo primum Romani peruenere. Mox inde structis ac reparatis nauibus, Clypeam nauigant, ibi non procul ab urbe expositis in terram copiis, naues subducunt, ualloq̄ & fossa diligenter muniunt, ipsi obsidere urbem parant: nisi, qui urbem tenebant, sponte sese populo Romano dederent. Carthaginienses, qui paulo ante periculum naualis pugnæ fugientes, Carthaginem peruenerant, rati classem Romanorum re bene gesta, recto itinere, Carthaginē nauigaturam, equestribus, pedestribusq̄ copiis, ac necessariis nauibus opportuna urbis loca muniuerant. Verum, postquam expositis in terram copiis, Clypeam urbem obsideri a Romanis intelligunt, deposito domi metu, copias ad terrestre, naualeq̄ bellum necessarias parare, domi forisq̄ intenti esse, nihil quod ad urbis prouinciæq̄ custodiam pertineat, prætermittere. Consules inter hæc expugnata urbe Clypea, præsidioq̄ militum imposito, missis præterea Romam legatis, qui Senatū & de rebus gestis certiore facerent, & quid in posterum agendum foret, consulerēt. Postremo omnibus copiis in agrum Carthaginiensem adductis, impetum in prouinciam faciunt, ac nemine obuiam pcedente, regionē

te, regionem populatur. Pulcherrima, ornatissimaq̄ edificia incendunt, prædam omnis generis rapiunt, nexorum supra uiginti millia ad naues adducunt. Interim nuncii Roma uenientes mandare Senatū dicunt, ut eduobus Consulibus unus in Africa cum necessariis copiis maneret: alter cū classe Romam reuerteretur. Cognita igitur Senatū uoluntate, M. Attilius Regulus cum quadraginta nauibus, & quindecim millibus peditum, equitibus uero quingentis in Africa remanet. Manlius cum reliqua classe, atq̄ omnibus aliis copiis, cumq̄ omni multitudine captiutorum, ex Africa soluens, Siciliam primo, mox Romam incolumis peruenit. Carthaginienses diuturnum fore Romanorum apparatus ad bellum animaduertentes, primum duos exercitus Duces creant, Asdrubalem, Annonis filium, & Bostarum, præterea ex Heraclea Amilcarem, missis ad eū nunciis, accersunt. Is confestim Heraclea soluens, cū quinq̄ millibus peditum, equitibus quingentis, Carthaginem traicit, tertiusq̄ ipse dux additur. Curam belli una cum Asdrubale & Bostaro suscipit. Ducibus igitur inter se de belli administratione consultantibus, placuit prouinciæ subsidiū ferre, neq̄ tantam regionis stragem populationeq̄ amplius pati. M. Attilius paucis interiectis diebus, ad urbem, quam Adim uocant, profectus, obsidere illam, atq̄ expugnare nititur. Quod ubi Carthaginienses sentiunt, summo studio urbi suppetias ferre, eamq̄ obsidione liberare cupientes, aduersus Romanos cum omnibus copiis profecti, proximum collem ad dexteram hostium positum occupauere, in eo, quoniā omni ex parte commodissimus uidebatur, castrametati, uictoriæ spem omnē in equitatu, atq̄ Elephantis habebant. Relicta itaq̄ planicie, in altum, atq̄ præruptum locum exercitum ducunt, ueluti hostes, quid agendum esset, edocturi, quod proculdubio fecerunt. Nam Romani cum Elephantos, quibus maxime hostes confidebant, in prærupto monte prorsus inutiles esse ad bellum considerarent, minime expectandum censuerunt, donec hostium copiæ in planiciem descenderent. Verum opportunitate temporis usi, ex utroq̄ latere montem cinxere, quo factum est, ut Equi, Elephantiq̄ Carthaginiensibus prorsus inutiles forent. Mercenarii tantū milites ex superiori loco egregie dimicabant. Iamq̄ legiones Romanas referre aliquanto pedem coegerant, cū repente ex alia parte supato monte, reliqui apparēt. Carthaginienses cinctos sese undiq̄ ab hostibus animaduertentes, per abruptū montē derelictis castris, præcipientes fugiunt, beluæ quoq̄ atq̄ equites postq̄ planiciē tetigere, tuto oēs inuadunt. Romani aliquantisper pedestres copias psecuti, spoliatis deinde castris, factisq̄ per uniuersam prouinciā incursionibus, agros atq̄ urbes populatur. Interiectis paucis diebus, Tunes oppi

dum circumstantur atque expugnant, ibique, quod peropportunum bello id oppidum uidebatur, eratque Carthagini & prouinciæ oppositum, castra locant. Carthaginenses paulo ante mari, nunc etiam terra, diuersis præliis a Romanis superati, non quod multitudo hostium maior foret, sed & quod Duces illorum prudentia, & milites fortitudine præstaret, maximis præterea cladibus afflicti, exiguam spem salutis trahebant. Post nouissimum enim prælium, quo fusi, fugatique a Romanis fuerant, Numidarum ingens multitudo acta spe prædæ, contra eos aduenit, ab iis maiorem prope iacturam, quam a Romanis in dies pati, gens uaga, & rapax omnia populari. Carthaginenses metu Numidarum trepidantes, e prouincia ad urbem confugere, fame atque mœrore cum propter multitudinem hominum, tum propter timorem diuturnæ obsidionis pariter uexari. M. Attilius, tamenli Carthaginenses cerneret terra, marique grauius oppressos, ac proinde non multo interiecto tempore, urbem in eius potestatem uenturam speraret: tamen ueritus ne nouus Consul, qui prope diem uenturus in Africam credebatur, res a se egregie gestas, sibi tandem ascriberet, de foedere agere cum Carthaginensibus coepit. Carthaginenses eam rem letissimo animo accepere, mittuntur igitur ad Consulem legati principes ciuitatis, qui de pace agant. Hi cum ad eum peruenissent, tantum abfuit, ne foedus cum Romanis inirent, ut ne audire quidem responsum Consulis, æquo animo potuerint. Etenim M. Attilius, iam rerum omnium potitus, quicquid Carthaginensibus offerret, id eos loco beneficii, ac muneris accepturos sperabat. Contra uero Carthaginensibus uidebatur, nihil sibi etiam ad extremum uictis a Consule grauius, nihil acerbius responderi potuisse. Quapropter legati, non solum re infecta discordes discesserunt, uerum etiam responsum Consulis, ut nimis graue atque superbum mirum in modum detestati sunt. Ea uero cum in Senatu Carthaginensium retulissent, tamenli Carthaginenses rebus suis iam pridem proflus desperauerant, tantam tamen auditis Consulis petitionibus indignationem simul, atque audaciam animo coeperunt, ut subire potius extrema omnia, mortemque ipsam prius experiri decreuerint, quam aliquid, aut non suo ignominiosum, aut rebus a se antea præclarissime gestis, indignum propter. Redi erat forte ea tempestate Carthaginensium quidam ex iis, qui principio ad conducendos mercenarios milites missi in Græciam a Carthaginensibus fuerant, hic secum magnam militum numerum adduxerat, inter quos fuit Xantippus quidam Lacedæmonius, uir rei militaris peritissimus, & in bello non mediocriter exercitus. Is audito Carthaginensium conflictu, & quemadmodum, quo uel loco aut tpe id accidisset, cognito, considerato præterea Carthaginensium apparatu, equitumque atque Elephantorum multitudine, confestim ad aicos conuersus,

Minime

Minime, inquit, hanc a Romanis cladem acceperunt Carthaginenses, rerum ipsi a se ipsis ob suorum Ducum imperitiam. Ea uoce statim per uniuersam urbem, ac principes ciuitatis sparsa, Carthaginenses uocare uirum, atque eius sententiam experiri decreuerunt. Cum igitur ad eos uenisset Xantippus, rationem rerum a se dictarum, ante oculos eorum posuit, causam cladis, quam a Romanis acceperat, ostendit: si sibi audire uellet, & relictis montibus, deinceps per loca æqua grassari, illicque locare castra atque acies struere, se eos docturum, quo pacto, & res eorum in tuto esse, & hostes facile superari queant. His Xantippi uerbis permoti Carthaginensium Duces, confestim omnem totius rei bellicæ summam in eius manibus ponunt. Erat iam ob hanc Xantippi uocem per omnem exercitum coortus rumor, & quidam in ore omnium spere atque lætitia plenus sermo: ubi uero eductis ex urbe copiis per ordinem cuncta disposuit, tanta inter ipsum atque superiores duces, qui rei militaris rudes atque imperiti fuerant, differentia apparuit, ut mox omnis multitudo clamore indicauerit, nihil se magis, quam prælium cupere, adeo nihil mali pati se posse existimabant Duce Xantippo. His ita gestis, Carthaginensium duces cognito militum ardore, ac cohortatis pro tempore animis, paucis interiectis diebus, aduersus hostem copias dimiserunt. Erant in exercitu Carthaginensium plus quam duodecim millia peditum, equitum quatuor millia, Elephantum prope centum. M. Attilius cognito hostium aduentu, quamquam & Carthaginensium iter per loca æqua, & castra in planicie posita, præter consuetudinem uerebatur, tamen dimicandi cupidus obuiam hostibus processit, suaque castra non amplius, mille ducentorum passuum intervallo, longe a castris hostium collocauit. Postridie eius diei Duces Carthaginensium quid, quo uel modo agendum foret, inter se consulere, multitudine omnis in Xantippum conuersa, nomine eum appellare, se ad maxima quæque pericula subeunda promptam paratamque ostendere, ut in prælium quam celerrime copias educeret, hortari. Duces Carthaginensium simul quod animatam, accensamque ad belligerandum multitudinem conspiciebant, simul Xantippo adesse iam prælio commodissimum tempus testate, & multitudini, ut se pararet, & Xantippo, ut rebus omnibus pro arbitrio uteretur, permisere. Xantippus accepta a Ducibus Carthaginensium potestate, pugnandi copiam hostibus facit, in instruendaque acie Elefantos singulos quosque per ordinem ante omnem exercitum in fronte disponit. Post hos aliquo intervallo legionem Carthaginensium collocat. Dextro deinde, ac sinistro cornu mercenariorum multitudinem distribuit. Expeditissimum quencumque militem, inter alas equitum ab utroque cornu pugnare iubet. Romani paratos iam, instructosque

C ii

ad pugnam hostes conspicati, nullam prælio moram faciunt. Aduersus Elephantos expeditissimum quencq; toto exercitu delectum militem opponunt. Post hos multiplici subsidio aciem firmant. Equitatum in utrūq; cornu distribuūt. Signa militaria non in fronte, sed intra aciem continēt. Fit tota acies in fronte angustior, multipliciq; subsidio firmatur, ne prærupi medium agmen ab Elephantis posset. Verum, ut ad uolentiam Elephantorum optime id a Romanis prouisum, ita ad periculum circumuentionis inutiliter. Nam cum longe multitudine equorum præstarent Carthaginenses, coartatio ipsa aciei facilem hostibus circueundandi facultatē præbitura erat. Structis itaq; utrinq; aciebus, uterq; initium prælii ab altero expectabat. Simul ac uero Xantippus Elephantos concitari in hostes iubet, equitatumq; ab utroq; cornu in hostes infestissime ruere. Romani quoq; more patrio, tubas canere, & in confertissimos hostes acerrime concurrere iubent, ingens initur prælium. Verum equites Romani, multitudine hostilium equitum perterriti, confestim ab utroq; cornu fugam arripiūt. Pedites uero in sinistro cornu positi, declinato Elephantorū impetu, & simul multitudine mercenariorū contēpta, in dextrū Carthaginensium cornu infestissime ruunt, conuersosq; in fugam usq; in castra persequunt. At ii, qui iuxta Elephantos constiterant, foeda beluorum strage, cateruatim conculcantur. Anceps aliquandiu ob resistentiū fortitudinē prælium fuit. Sed posteaq; extremæ Romanorum legiones ab equitibus undique circunuentæ, coactæ sunt Carthaginensibus resistere. Ii uero, quos in media acie Elephantis oppositos diximus, impetu ferarum in firmissimam hostiū cateruam acti, fusi ab illis, oppressiq; fuere: tunc omni ex parte laborantes Romani, partim foeda immanium pecudum strage, conculcati atq; oppressi: alii eodem in loco, quo initio constituti fuerāt, ab equitibus occisi, pauci ad extremū, nullam amplius rebus suis spem relictam cernentes, celeritate pedum salutem quaerere, sed ii quoq;, quoniā in his locis ubiq; planities erat: alii ab Elephantis equitibusq; profligati: alii numero quingenti cum M. Attilio fugientes, mox in hostium potestatē uenerūt. In exercitu Carthaginensiu octingenti mercenarii milites, qui aduersus sinistrū Romanorū cornu constiterāt, interfecti. Et Romanis uero duntaxat duo millia q̄s p̄secutos ad castra hostes paulo ante diximus, salui cū militaribus signis euasere, reliqui oēs trucidati, præter M. Attiliū, atq; alios paucos, quos una cum eo fugisse cōmisisse diximus. Carthaginenses spoliatis hostiū cadaveribus, cū Consule, ceterisq; captiuis in urbē lecti atq; ouātes reuertuntur. Hic si quis recte consyderare uoluerit, multa inueniet ad humanæ uitæ emendationem utilissima. Siquidem primo quam uanum, quamq; ridiculum

ridiculum sit, ob res secundas, atq; ex animi sententia egregie gestas, aliquam in fortuna spem sitam habere. Singulare uniuersis exemplū præbuit M. Attilius, qui cum modo tot uictoriis gloriosissime partis, nulla erga Carthaginenses ad extremū redactos, misericordia moueretur, pacemq; suppliciter orantibus negaret, mox ipse eo redactus est, ut eadē illa suppliciter a Carthaginensibus petere cogeretur. Præterea quod olim ab Euripide sapientissime dictum fertur, unicum rectum consiliū, magnam militum manum uincere, hoc tempore, ex iisdem operibus fidem accepit. Siquidem unus homo, atq; una sententia multitudinē, quæ antea inuicta semper atq; insuperabilis fuerat, uicit, superauitq;: ac profligatam urbem, & collapsos tot uirorum animos instaurauit atque erexit. Equidem hæc libenter commemorauī, quod me non latet, quam utilia sint ad humanæ uitæ emendationem. Nam cum duo hominibus modi propositi sint, quibus facile mutari in melius queant: unus ob suam cuiusq; calamitatem: alter ob alienæ calamitatis exemplum: proculdubio primus efficax quidem magis est, uerum non sine detrimento eius cui accidit. Secundus uero, etsi non habet in se tantū uirium, ideo tamen præstat, q̄ omnis damni prorsus est expers, quo fit, ut priorem quidem modum nemo sit, qui sponte eligat, quandoquidē absq; dolore atq; periculo accidere id nemini potest. Hunc uero libet omnes ueniant, quod p̄ eū sine aliq̄ suo detrimento id, quod melius est, cernere unicuiq; liceat. Itcirco recte consyderanti, optima ad ueram uitam institutio uidetur esse experientia, quæ sit ex commemoratione rerum ab aliis gestarum. Hæc enim duntaxat semoto prorsus omni detrimento, optimos ueri boni iudices perficit: sed de his hæcenus. Carthaginenses rebus ex sententiā felicissime gestis, nullum lætitiæ genus prætermisere, siue in agendis Deo gratis, uictimisq; patrio ritu immolādis, seu in faciēdis ludis, dandisq;, atq; accipiendis muneribus. Xantippus restitutus in pristinum statum Carthaginensium rebus, non longe post in patriam reuertitur, optime rebus suis consulens. Nam prædara facinora, & res a quoquam egregie gestæ, magnam plerunq; inuidiam, & graues calumnias cōflare solent, quibus ciues quidem affinium, atque amicorum multitudine freti, facile resistunt: hospites uero omnis prælii expertes, utroq; malo quā celerissime conteruntur. Afferunt & aliam discessus Xantippi causam, quā suo loco latius referemus. Romani ubi profligatum in Africa exercitū, captumq; Consulem, ac reliquas copias in urbe Clypea obsideri nuntiatum est, confestim ad salutem eorum, qui relictī in Africa erant, conuersi, magnam classem parandam statuunt, & in Africam dimittendā. Carthaginenses interea Clypeam urbem obsidere, ac summa uī oppugnare

nitebātūr, sperantes se propediem compotes fore eorum, qui prelio superauerant: sed tanta erat propugnantium Romanorum uirtus, & magnitudo animi, ut omnes hostium conatus in irritum caderent. Quam obrem desperata ad extremum expugnatione, obsidionem soluerunt. Nunciatur interea classem a Romanis parari, quæ rursus in Africam mitteretur, quo rumore permoti Carthaginenses, ad ueterem classem reficiendam, nouamq; parandam omni studio incumbunt. Statim igitur instructis, armatisq; ducentis nauibus, obseruare atq; impedire Romanorum nauigationem in Africam conabantur. Romani facto apparatu trecentarum & quinquaginta nauium, M. Aemilium, & Seruium Fuluium Consules, principio ueris, cum omnibus copiis traicere in Africam iubent. Igitur Consules, qui Siciliam primo, deinde in Africam nauigaturi oras solunt, iamq; nō longe distant a Mercurii promōtorio, cum ex improviso classem Carthaginensium, quam obseruare hostium aduentum diximus, obuiam habuere. Factoq; in eam repente impetu, centum & quatuordecim Carthaginensium naues plenas cepere: dehinc facto in Clypeam urbem itinere, susceptaq; Romana iuuentute, paucis diebus in Africa commorati, Siciliam repetunt. Traiecto prospere pelago, quod Africam, Siciliamq; interiacet, cum non procul a Camerina urbe constitissent, in tantam procellam calamitatemq; incidere, ut ne referri quidem satis, pro rei magnitudine possit. Ex quatuor enim & sexaginta supra quadringentas nauibus, uix octuaginta incolumes a tempestate superfuere. Reliquæ omnes, aut submersæ undis, aut scopulis infractæ, uniuersum littus naufragiis, cadaueribusq; complerūt. Maiorem iacturam uno tempore mari factam, nemo ante nostram ætatem meminit, quæ res non tam fortunæ culpa accidit, quam Consulium temeritate. Nautis enim sæpe monentibus, uitandum esse externum Siciliae latus, quod importuosum atque infestum esset, præsertim eo anni tempore, inter Orionis enim & Canis signa nauigabant. Illi spre-tis, ac pro nihilo habitis nautarum uocibus, dum superioris uictoriæ fiducia elati, urbes quasdam hostium per id littus capere properant, exiguæ admodum spei gratia, in maximas calamitates inciderunt. Ita rebus a se paulo ante præclarissime gestis, turpi hoc naufragio scedatis, temeritatis suæ pœnas luunt. Enimvero Romani cum uiribus in omni re utantur, & quod semel decreuerunt, omnino perfici necessarium ducant: nihilq; sibi impossibile factu existiment, quod semel eis uisum fuerit, etsi plerunq; ob eam animi obstinationem recte faciunt, interdum tamen in apertissimos errores dilabuntur, maximeq; in Maritimis rebus. Nam in terrestri prælio, cum hominibus belligerantes, quia cer-

tamen

tamen inter pares est, non ab re sæpenumero uictoria potiuntur: quam hic quoq; superantur aliquando. In mari uero, cum sese omnino fortunæ credant, nihil pensi habentes, in maxima nonnunquam pericula incidunt, quod, & nunc, & alias sæpenumero illis accidit: accidetq; post hac sæpius, quousq; eam animi temeritatem, qua sibi cuncta æque licere existimant, represserint, ac cohibuerint. Carthaginenses cognitis iis, quæ Romanæ classi acciderant, quoniam nec terra inferiores se esse Romanis putabant, propter profligatum M. Attilii exercitum, nec mari, propter ingentem iacturam, ex naufragio factam, maiori iam studio ad pedestres simul, atq; Maritimas copias parandas incumbunt, mox Asdrubalem cum omni ueterano exercitu, nouisq; insuper militibus, ac centum & quadraginta Elephantis, in Siciliam mittunt. Præterea ex ueteribus, nouisq; rostratis, classem ducentarum nauium efficiunt. Asdrubal igitur copiis omnibus tuto Lilybæi expositis, Elephantos militescq; continue exercere, Romanorum socios per Siciliam infestare, deniq; omnibus rebus intentus esse. Romani, etsi calamitas ex naufragio accepta, omnium animos fregerat: tamen, ne cedere Carthaginensibus uiderentur, nouam ducentarū & uiginti nauium classem ædificandam curant, quod tanta celeritate factum est, ut intra trium mensium spacium, ædificatæ naues fuerint, atque in mare deductæ, quod uix credibile cuiquam uideatur. Cum ea classe A. Aquilius, & C. Cornelius Consules petere Siciliam, bellūq; pœnis inferre iussi, repente traiecto freto, Messanam peruenerunt, ibi acceptis, quæ ex naufragio superfuerant, nauibus, totam simul classem trecentarū nauium fecere. Hinc Panormum profecti, quæ præcipua Carthaginensium ciuitas erat, eam magna ui aggrediuntur, duobusq; e lateribus castrametati, paucorum dierum interuallo, machinis, ac ui tormentorum deposita arce, ingressisq; cum impetu militibus, eam partem urbis ceperunt, quæ Neapolis appellatur. Quo facto, reliqua pars urbis, quam urbem teterē uocant, metu exanimatis ciuibus, Consulibus deditur. Capto Panormo, Consules relicto in urbe præsidio, Romam reuertunt. Proximo dehinc anno C. Seruilius, & Cn. Sempronius Cōsules creati, accepta classe, in Siciliam traiciunt, mox inde in Africam profecturi, simulac uero in puinciam uentū, diuersis locis copias exponunt, magnasq; ibiq; inferunt clades: nihil tamē memoratu dignū faciētes: tandē in Lotophagorū insulam puenire, quæ Mirmix dicit: nec longe abest a parua Syrte, ibi ignari locorū, quæ pficiscebant, in arcta quædā loca deuenere, ubi refluxu maris in arido destituta classe, inopes consilii aliquādiu constiterunt, mox cū pene desperata iam salus foret, rediens unda eos recepit. Verum non nisi euacu-

C iiii

atis nauibus, omniq; onere abiecto, euadere incolumes potuerunt. Post eum diem perterriti tot periculis Romani, continue per undas ita iter fecerunt, ut fugæ similis eorum nauigatio uideretur. Interiecto tempore rursus in Siciliam reuersi, superato Lilybæo, Panormi constiterunt. Hinc cum non longe post in Italiã nauigarent, tanta repente coorta tempestas fuit, ut supra centum & quinquaginta naues, ex ea classe, procella maris, per uaria loca, disiectæ tandem naufragio perierint. Tantis calamitatibus acceptis, populus Romanus, etsi honorem ac maiestatem imperii sui cæteris rebus anteponendam existimabat: tamen magnitudine miseriarum superatus, mari omnino abstinentiū decreuit. Paratis itaq; duntaxat pedestribus copiis, L. Cecilius, & C. Curius Consules, in Siciliam cum omni exercitu mittuntur. His naues duntaxat sexaginta importandi frumenti gratiadatae, quo facto, accidit Carthaginensium rem denuo superiorem esse: quippe qui, & mari sine cōtrouersia imperitabāt, sublata Romana classe, & in pedestribus copiis ingentem spem sitam habebant. Neq; id iniuria, perlata enim Romam fama, de bello in Africa gesto, profligatisq; Romanis, cum cognouissent id in primis uicq; impetu Elephantiū accidisse, quod illi acies disiecissent, quod ordines perturbassent, quod maximam in exercitu stragem fecissent, tantus Elephantiū terror post eum diem Romanos tenuit, ut proximo biennio cum sæpe in Africa sæpe etiam in aliis locis obuii hostibus fuissent: nunquam tamen, aut congregi cum Carthaginensibus, aut in locis æquis castrametari ausi sint: collibus semper ac montibus, nullo alio quam Elephantiū metu se tutantes. Quamobrem Romani pauore exercitus cognito, parandæ classis rursus omni studio incumbunt. Habitis per id tempus Romæ comitiis, C. Atilius, & L. Manlius Consules designati, nouas quinquaginta naues ædificant, ueterem præterea classem, & necessarias copias parant. Asdrubal Carthaginensium dux, cui nota Romanorum formido erat, cum ex perfugis intellexisset alterum consulum, cū parte copiarum in Italiã reuersum, solumq; Metellum uix cum media exercitus parte Panormi relictum, instante iam tēpore messis, Lilybæo profectus, exercitum in Panormitanū agrum induxit. Metellus cognito hostium aduentu, cum Asdrubalem uoluntatem pugnandi habere intelligeret, intra moenia exercitum continebat. Quibus rebus maiori fiducia elatus Asdrubal, quod Metellum cernebat pavidū sese intra urbem continere, deuastato undiq; atq; incenso agro, tandem exercitum uersus Panormum mouit. Consul tandiu in sententia non educendi exercitum permansit, quoad hostem traicere flumen, quod iuxta moenia urbis erat, coegit. Postquam igitur Elephantos, omnemq; exercitū ap-

propin-

propinquantibus uidet Metellus, uelocissimum quēq; & maxime expeditum militē exire, atq; irritare hostem iubet, quousq; uenire ad manus uniuersi cogantur. Animaduertens itaq; non longe post, quæ cogitauerat, ex sententia successisse, quosdam ex iis, qui maxime leues atq; expediti erant, pro moenibus supra fossam constituit, iubetq; ut contra Elephantos telisq; ueribusq; eminus pugnent. Quod si quando iratae pedes cum impetu contra ipsos ferantur, in fossas se dimittant, inde rursus elephantos telis petant. Mandat præterea ingentem telorum multitudinem extra urbem ferri, & in fossis collocari. Ipse cū signis militaribus diuersa regione urbis, quæ læuū hostiū cornu spectabat, cōstitit. Simul ac igitur pugnari coeptum, magistri Elephantiū, qui cupidine gloriæ sibi attribui uictoriã cupiebant, non expectato Asdrubalis mādato, beluas in expeditos concitāt. Illi sicuti eis a Cōsule uisum fuerat, statim terga uertunt, infestiusq; insequētib; beluis, in fossas se dimittunt. Belug cum primum ad aggerem fossarū peruenere, uno tempore, & a multitudine urbana ex moenibus, & a militibus ex fossis, sagittis, telisq; multifariam feriuntur. Cūq; ultra aggerem progredi non possent, necessario terga uertentes, in suos ruunt, agmina perturbant, magnam suorū stragem faciunt. Inter hæc Metellus alia urbis parte, eductis repente copiis, in hostes impetum facit. Illi iam pridem a bestiis turbati, & tunc tumultuario impetu a Consule oppressi, facile profligantur. Pars eorum trucidatur, cæteri fuga salutem quærunt. Elephanti cum Indis decem capti, reliqui, disiectis Indis, finito prælio, omnes in potestatem consulis peruenere. His rebus foeliciter gestis, magna fuit gloria Metelli Consulis, quippe qui confessione omnium, solus fuisse causa uidebatur, ut Romani milites, non iam per saltus montesq; discurrerēt, sed æquis locis dimicare cum Carthaginensibus auderent. Verum, cum fama eius uictoriæ Romam peruenisset, incredibili omnes lætitia affecti, non tam q; captis Elephantis, longe iam inferiores essent hostium uires, q; q; sui, quia potiti beluis fuerant, audatiores iam facti ad bellum uidebant. Igitur quæ admodum ab initio decreuerant, parata rursus classe, Consules in Siciliam mittunt, cupiētes aliquādo bello finē facere. Hi cōmeatu, ceterisq; necessariis rebus paratis, cum ducentis nauibus in Siciliam traiciunt, erat hic annus huius belli quartusdecimus. Postq; igitur in Siciliã uentum, Consules acceptis pedestribus copiis, quæ in insula erant obsidere Lilybæum pergunt, quod ea urbe expugnata, facile se sperabant bellum in Africam traducere posse. Verum Carthaginenses iisdem plane, quibus, Romani, rationibus, moti omni studio Lilybæum seruare constituerunt, haud ignari, amisso Lilybæo, nihil eis in Sicilia

reliquum fore. Nam præter Drepanum, reliqua fere omnis insula, sub Romanorum ditione erat. Cæterum ne cui forte, ob ignorantiam locorum, quæ a nobis de Sicilia dicuntur, obscuriora uideantur, eius insulae situm paucis referemus. Sicilia omnis eodem fere modo se ad Italiam atque Italiae terminos habet, quo Peloponnesus ad reliquam Græciam ac terminos eius: Verum hoc inuicem differunt, quod hæc paruo admodum freto, ab Italia diuiditur: illa exigua terra, cum reliqua Græcia coniungitur. Siquidem ex Peloponneso in Græciam pedibus iri, ex Sicilia in Italiam, non nisi nauibus traici potest. Forma Siciliae triquetra specie figuratur, quotque eius anguli sunt, totidem promontoria ad extremum efficiunt. Horum, quod in meridianam plagam dirigitur, abluiturque Siculo pelago, Pachinus uocatur. Quod uero ad Septentriones uergit, fretique terminus est, neque amplius ab Italia distat mille & D. passibus, Pelorum appellatur. Tertium, quod in Africam, a hyemalæ occasum extenditur, in ipsamque Carthaginem spectat, neque amplius abest a littore Africae, quam millia passuum C. & uiginti septem, Lilybæum incolæ uocant, diuiditurque Sardonium pelagus a Siculo. In hoc promontorio urbs est eiusdem nominis, quam Romani eo tempore obsederunt, mœnibus, fossisque munitissima, præterea etiã stagnis, quibus nauigantibus in portum iter est, difficilisque admodum ingressus: nec, nisi peritis, expertisque obtinendus. Romani igitur Lilybæum obsidentes, binis castris ex utraque parte urbem cingere, fossam & aggerem, & crebra castella per media loca excitare, machinas struere: nihil denique quod ad expugnationem urbis conducere uideretur, prætermittere. In primis turrim quandã, quæ in littore sita erat, Africanumque pelagus spectabat, omnifariam machinis aggrediuntur, dehinc nouas quotidie addunt, disponuntque per ordinem. Tandem sex turres ei, quam modo dixi propinquas, omnes uno tempore arietibus, muros ferientibus, euertunt. Itaque cum ardua, periculosaque obsidio foret, turribus partim laborantibus, partim impetu tormentorum euersis, machinis præterea in dies magis, magisque urbem infestantibus, ingens pauor atque formido obsessorum animos occupat. Erat eorum numerus, qui in urbe obsidebantur, præter urbanam multitudinem ultra decem millia hominum. Inter hæc Imilcon, qui ea tempestate urbi præerat, obsidionem Romanorum magnitudine animi & consilio sustinebat. Vbicunque Romani mœnia arietibus conuassabant, noua ipse mœnia intra urbem sufficiebat. Sic ubi hostes cuniculos faciebant, ipse aliis cuniculis factis illis obuiabat. Ita semper operam atque laborem hostium frustrabatur. Interdum eruptiões faciebat, opera hostium turbabat, si quo modo incendere machinas posset, experiebatur: sæpe etiam uel in

uel interdium, uel per noctem hostes inuadebat, adeo, ut plures eiusmodi certaminibus perirent, quam perire in ueris præliis consueuerint. Per id tempus quidam ex conductis militibus, qui ordinem præsidio Carthaginensium ducebant, de prodenda Romanis urbe consilium ineunt, consensuque commilitonum freti, per noctem mœnia prosilientes, in castra Romanorum proficiscuntur, Consulibus rem omnem exponunt. Erat ea tempestate Lilybæi achæus quidam nomine Alexon, qui superioribus temporibus Syracusanis urbem tenentibus, Agrigentum a proditione liberauerat: hic cognitis iis, quæ de proditione agitabantur, euestigio rem omnem Imilconi pandit, ille celeriter omnibus, qui ordines in exercitu ducebant, conuocatis, præter eos, qui noctu mœnia transgressi fuerant, uniuersa, quæ de proditione intellexerat, eis aperit, rogat, obtestaturque, ne per ignominiam dedere sese, atque urbem hostibus uelint, magna insuper præmia, si in fide permanserint, pollicetur. Cum respondissent omnes nihil sibi esse antiquius fide, confestim una cum ipsis, ad Gallorum quidem multitudinem placandam, Annibalem mittit, Annibalis filium eius, quem in Sardinia post amissam classem, cruci a Carthaginensibus fixum diximus, gratissimum hunc fore uniuersis ratus, quod simul cum illis sub patre militauerat. Ad cæteros uero mercenarios milites Alexona ire iussit, quod magnam in eo uiro omnes fiduciam habebant. Confestim, uocata ad se multitudine, partim precibus, partim pollicitationibus tandem effecere, ut omnes unanimiter in fide atque beneuolentia erga Carthaginenses permanerent. Quamobrem aduentantibus mox principibus proditionis, rogareque eos, & quæ cum Romanis egerant, aperire uolentibus, non modo non paruerunt eis, sed ne audire quidem eorum uoces uoluere, quin telis lapidibusque eos insecuti, procul a mœnibus fugarunt. Ita Carthaginenses ex manifesto proditionis periculo summo in discrimine positi, parum abfuit, quin in hostium potestatem uenirent: sed Alexon, qui superiori tempore, ob suam in Agrigentinos fidem non solum urbem, uerumetiam patriam, leges, libertatem seruauerat, nunc quoque, ne Carthaginenses ad extremam perniciem deuenirent, confessione omnium causa fuit. Carthaginenses, etsi nihil ex his, quæ Lilybæi agebantur, intelligere poterant, suspicati tamē difficultates eorum, qui iam pridem obsidebantur, quinque nauibus ad hoc ipsum paratis, decem millia militum imposuere. Classi præficiunt Annibalē, Amilcaris filium, eum paucis pro tempore hortati, omni conatu Lilybæum penetrare, suisque subsidiū ferre iubent. Annibal cum decem millibus militum primo ad Egulam insulam, quæ media est inter Carthaginē ac Lilybæum, nauigat. Nactus deinde secundam auram,

passis uelis in ipsas fauces Lilybetani portus ferebatur, suos omnes instructos armis, & ad belligerandum paratos habebat. Consules partim repentino aduentu hostium percussi, partim ueriti, ne, si congregari cum hostibus tentarent, nimia uentorū uis, suæ quoque naues in portum agerentur, nauigationem hostium nequaquam impedire decreuerunt, armati tantum ad littus, si forte hostem deterrere ab ingressu possent, concurrunt. Interea multitudo omnis, quæ in mœnibus erat, aduentum suorū conspicata animos erigere, spe simul atque lætitia trepidare, aduenientes plausu, sublatiisque in cœlum clamoribus hortari. Annibal incredibilem audacia fretus, cum suis nauibus aduolat, portumque præter spem, atque expectationem omnium ingressus, incolumes copias Lilybæi exponit. Accepto mœnibus præsidio, incredibilem omnes lætitia affecti, non tam aduentu nouarum copiarum, quam quod Romani impedire Carthaginensium naues non fuissent ausi. Imilcon Dux Carthaginensium, quoniam omnes suos promptos, animatosque ad bellum cernebat, ueteres quidem milites ob aduentum noui supplementi: nouos uero, quia antea actorum malorum expertes erant, minime prætereundam esse eam opportunitatem ratus, omni studio ad incœdia machinarum incumbere decreuit. Igitur omnibus in contionem uocatis, longa oratione uniuersos hortatur, eorum animos confirmat, præmia singulis quibusque, qui se fortiter gesserint, pollicetur, Carthaginenses uniuersis gratiam relatueros affirmat. Eiusmodi oratione commoti milites, paratos se esse omnes annuunt, uociferantes præterea rogant, ne cunctetur amplius, iam iam exire in hostes iubeat. Dux exosculata militum fortitudine, cœlestim eos dimisit, mandans omnibus ut corpora curarent: dein præsto essent facturi, quicquid ab eorum Ducibus sibi imperaretur. Paulo post conuocatis Ducibus, quid facturus sit indicat, partes distribuit, suum cuique locum designat, iubet, ut ipsi ante omnes alios in conticinio, locis sibi designatis, adsint. Illi mandata ducis exequuntur. Imilcon eductis cum prima luce copiis, pluribus simul locis in machinas impetum facit. Romani consilium hostium coniectura quadam facile suspicati, haud segniter se habere, arma capere, rebus omnibus que maxime intenti esse. Igitur ubi primum egredi Carthaginenses cœperunt, a Romanis occurritur, ingens circa mœnia tumultus fit. Carthaginenses circiter uiginti millia hominum erant, Romani etiam plures. Quoque magis relicto omni ordine pugnabatur, eo apertiora pericula erant: in tanta enim multitudine militum, uir aduersus uirum, quasi singulari certamine congressus, depugnabat. Verum maxima pugna atque ingens tumultus circa machinas erat. Nam qui ab utroque exercitu in eo loco constituti fuerant, illi quidem ad expugnandum, hi uero ad propugnandum

gnandum omni studio innixi, in tantum, tamque atrox certamen deuenere, ut tandem in iisdem, in quibus constituti fuerant, locis permanentes, in credibili animi magnitudine occiderint. Sed qui inter eos commixti inter certandum fuerant, tanta audacia contra Romanos ferri, eorum machinas ferro, igne, telis, cæterisque huiusmodi rebus impetere, ut Romani eo die, cum nullo modo inceptis hostium resistere possent, res suas in extremo prope sitas uiderint. Post longum certamen Imilcon, quoniam multas in exercitu cædes fieri, nihil tamen se proficere posse intelligebat, receptui canere iussit. Romani, etsi eo die in periculo fuerint, omnem belli apparatus amittendi, tamem incredibilem fortitudine animi, hostibus resistentes, tandem machinas, cunctaque opera sua tutati sunt. Post hæc Annibal cum iis, quas secum adduxerat, nauibus intempesta nocte, nihil sentientibus hostibus, Lilybæo soluens, Drepanum ad Adherbalem Carthaginensium Ducem proficiscitur. Quoniam, cum propter loci opportunitatem, tum ob speciem ac pulchritudinem portus, præcipua semper cura Carthaginensibus fuerat, eam urbem seruandi. Distat autem a Lilybæo millia passuum non amplius quindecim. Carthaginenses interea, & si quid Lilybæi ageretur, scire magnopere cupiebant, tamen quia ita iam post discessum Annibalis, pressa obsidio erat, ut neque ingredi quisquam, nec egredi urbem ualeret, compotes desiderii fieri nullo modo poterant. Per id tempus Rhodius quidam nomine Annibal, clarus sane uir, cognito Carthaginensium desiderio, pollicetur se nauis, inuitis omnibus, Lilybæum aditurum, inspectisque omnibus rebus, Carthaginensibus renunciatum. Id quam hilari animo audirent Carthaginenses, tamem quia Romana classis, in ipsis prope faucibus portus erat, impossibile esse, eam rem omnes rebantur. Rhodius nihilominus intrepide deducta nauis, proficiscitur. Cunctis in proximam insulam, que contra Lilybæum est, applicuisset, nactus postridie secundam auram, Lilybæum nauigat, per diemque spectantibus hostibus, atque omni conatu profectionem eius impedire laborantibus, portum ingreditur, cuncta que animo conceperat, perficit. Alter Consul tantam uiri audaciam admiratus, quo intercipere abeuntem possit, per noctem decem uelocissimas naues, in faucibus portus continet, cum iis discessum Rhodi ipse que diligentissime obseruat, itidem reliquum exercitum factitare iubet. Naues igitur que in faucibus portus erant, ex utraque parte proxime paludem extensis remis, aduentum Rhodiæ ratis expectabant, hanc euestigio in eorum potestatem futuram arbitrantur. At Rhodius non per noctem, neque ex abdito, sed palam medio die, per medias hostium naues, adeo instructas ac paratas, audacia simul, atque celeritate fretus, præteruectus est,

nec euasisse contentus, ubi paulum hostes præterit, conuersa prora eo s
 puocauit, nemine omnium, ob stupendam eius nauis celeritatem, adire
 eum auso. Rhodius unica rate quasi triumphatis hostibus, Carthaginē
 rediit, Senatui omnia quæ uiderat, narrauit. Eius exemplo moti postea
 complures, idem facere sunt ausi: quibus ex rebus accidebat, nihil eorū,
 quæ Lilybei agebantur, a Carthaginensibus ignorari, Romani eam ho
 stium ludificationem grauitate & iniquo animo ferentes, fauces portus
 obstruere tentauerūt. Quamobrem primum onerarias naues quæ plures
 sabulo onustas, in profundum mittunt. Hinc supra eas infinitam pene
 uim aggeris ingerunt, frustra tamen omnia factitates. Nam & uasta pro
 funditas cuncta simul absorbebat, & fluxus, refluxusque maris iniecta om
 nia passim diffundebat, ægre tandem ex una parte non nihil aggeris con
 stitit. Eo confestim uelocissima quædam Carthaginensium nauis, uasto
 impetu prorupit, qua confestim potiti Romani, armata, instructamque
 in portu tenentes, aduentum ceterarum, & maxime illius Rhodiæ cupi
 de expectabāt. Illa casu per noctem adueniens, solita uelocitate portum
 ingreditur, sed dum redire uellet, secuta ex improviso quadriremis pre
 mēre fugientem cepit. Rhodius principio uelocitatem nauis admiratus,
 ubi eam diligenter perspexit, & quadriremem Carthaginensium a Ro
 manis captam agnouit, iam desperata fuga, congregari cum hostibus sta
 tuit. Postquam ad manus uentum, quia & numero nauium, & præstantia
 militum, Romani longe superiores erant, nauis, Rhodia nullo negotio
 expugnatur, Rhodius ipse capitur. Romani hac nauē potiti, & ad qua
 driremem addita, ambas instructas, paratasque continue in portu tenen
 tes, facilem deinceps aditum in Lilybeum prohibuere: urbs interea acri
 ter a Romanis oppugnari, mœnia plerisque in locis uel tormētorū eueriti.
 Similcon nouum continuo murum, pro euerso sufficere, in eruptioni
 bus, & machinarum incendiis, nullam amplius spem habere. In hunc
 modum cum aliquandiu perseueratum esset, tanta repente uentorum
 tempestas coorta est, ut machinas omnes, atque opera stridore ac pro
 cella conflictaret, quarundam etiā turrium tabulata alta deiiceret. Tan
 tum uentorum turbinem Græcus quidam miles, ex iis qui intus erant,
 aptissimum fore ad incendia machinarum ratus, cogitationem suam
 Duci aperit. Dux probata militis sententia, necessariisque omnibus e
 uestigio paratis, confestim eruptionem facere suos, ac ignem machi
 nis, tribus locis iniicere iubet. Quo confestim a militibus peracto,
 ignis uel uentorum facile in opera depellitur: quæ, quia arida erant, ac
 iam diu ad solem uista, igni facillime absumebant, & dominante uento,
 nulla humana ope resisti poterat. Siquidē nouitate rei ita oēs perterriti
 erant

erant, ut neque uidere, quid agerent, nec considerare quippiam possent:
 quin & cadentibus ex alto lignorum frustis percussi, & fumo obcæcati
 interdum cadebant, dum ferre præsidium machinis nitebantur. Quoque
 maiorem ob prædictas causas Romani difficultatem habebant, eo Car
 thaginensibus omnia commodiora erant. Siquidem & cernere hostes,
 & omnes eorum machinas conspiciari facile poterant: & si quid aduer
 sus Romanos iactabant, id uolentia uenti facillime ferebat, maioremque
 in machinas impetum faciebat. Tandem uero tanta uis ignis fuit, ut &
 bases, quibus stabilitæ turres erant, cremarentur, & arietum capitalique
 fierent. Post hæc Consules in reficiendis machinis, operam ponere de
 stiterūt. Aggere tamen atque fossa urbem undique cingentes, lenta obsidi
 one superare hostes decreuere, nec prius cum castris abscedere, quam Lily
 beo potirentur. Lilybetani refectis, quæ conuenerant, mœnibus, ociose
 iam obsidionem tolerabant. Hæc cum Romæ nunciata essent, Senatus,
 quod multi in obsidione interierant, & pene uacuefacta classis erat, no
 uo delectu habito, in supplementum decem millia hominum in Sicilia
 mittit. Hi primo Messanam traducti, inde pedibus in Lilybetana castra
 iter fecere. Iam Appius Claudius consulatum inierat, prioribusque consu
 libus Romam reuersis, ipse apud Lilybæum exercitui præerat. Hic simul
 ac aduenisse supplementum uidet, uocatis ad se Centurionibus, tempus
 inquit sibi uideri, ut cum omni classe Drepanum nauigent, Adherbalē
 Carthaginensium ducem, qui illic erat, nihil tale suspicātem, ex impro
 uiso aggrediatur, eum nouarum copiarum in Sicilia aduentum igno
 rare, neque existimare classem Romanorum, quæ tantā in obsidione Lily
 bæi iacturam hominum passa sit, aliquo modo nauigare posse. Post ea
 uerba Consul, omnibus consilium eius approbantibus, ex ueteribus
 nouisque copiis milites delegit, naues optimis quibusque e toto exercitu
 delectis uiris cōpleuit. Nam quod & nauigatio propinqua erat, & pre
 miorum spes maxima, omnes id munus hilari animo suscipiebant. Pa
 ratas igitur omnibus, quæ necessaria uidebantur, nocte intempesta, ni
 hil sentientibus hostibus, Drepanum uersus nauigat. Adueniente ue
 ro luce, cum iam non longe a Drepano forent, nauibus Romanorum ap
 parentibus, Adherbal, & si primum inopinato hostium aduentu per
 cussus fuit, statim tamen ad se reuersus, atque animo confirmatus, tenta
 re omnino fortunam prælii constituit, & omnia potius experiri, quam patā
 sese in portu, per ignominiam ab hostibus obsideri. Quamobrem eue
 stigio turbam remigum ad littus cogit, Mercenarios milites ex urbe tu
 ba conuocat, eos pro temporis angustia cohortatur, si fortiter dimicauerint,
 spem uictoriæ, sin subire periculum recularint, acerbitate obsidionis ante

oculos ponit. His dictis, omnibus præsto sese esse ostendentibus, uociferantibusque, ne amplius tardare, sed iamiam in hostes classem immitteret. Adherbal laudata militum uirtute, confestim naues cōscendere iubet, admonet præterea omnes, ut in nauim suam oculos dirigant, eam alacri animo sequantur. Nihilō deinde commoratus ipse, uti pollicitus erat, primus nauigat diuersa regione portus, quā Romani aduentabāt. Consul hostes conspicatus, præter opinionem suam, non solum non cedentes, neque ad fugam paratos, sed potius summo studio manus conferere cupientes, naues suas, quarum alię iam intra portum erant, alię in ipsis faucibus, alię mox sequebātur, omnes referre gradum iussit. Hic cū primæ naues iussu Consulis iter uertissent, aliis, quæ pone sequebātur, adhuc properantibus in portum, tanta conflictatio facta est, exeuntibus pariter, atque intrantibus nauibus, ut extremo in periculo Romanorū res foret. Explicatis tandem summo cum labore nauibus, præfecti singulas quasque in ordinē iuxta littus collocabant, prorsus aduersus hostes conuersis. At Consul, qui ab initio post omnem classem sequebatur, tum in altum profectus, leuum cornu obtinuit. Inter hæc Adherbal cum quinque nauibus supra leuum Romanorū cornu in altum progressus, nauis suæ prora in hostes conuersa, a pelago se firmauit, idem, ut alię quatuor naues, quę suam sequebātur facerent, per nuncios imperauit. Ita omnibus a fronte consistentibus, sublati signis, a pelago in Romanos defertur, quorum naues circa littus in ordinem dispositæ erant. Hoc enim ideo a Romanis prouisum fuerat, ut exeuntes e portu Carthaginensium, naues facilius opprimi possent. Verū id postea magnam Romanis iacturā intulit, ob causas, quas dicemus. Nam ut primum appropinquare inter se classes cœperunt, signis e prætoriiis nauibus, ab utraque parte sublati, inuicem concurrentibus hostibus, pugna committitur. Diu acriter certatum, ita, ut æquale esse periculum uideretur. Erant enim in utraque parte ex omni exercitu delecti præstantissimi milites. Semper tamen Carthaginenses præualebant, tum quod naues eorum uelociiores erant: tum quod peritiores ad nauigandum remiges: tum uel maxime, quod pelagus tenebāt, per quod longe lateque pro eorum libidine discurrere poterāt: siue enim aliqui eorū ab hostibus premebantur, cōfestim celeritate nauium freti, in altum euadebant: ac si forte in sequebantur hostes in eos plurimæ simul conuersæ, eadem celeritate circumueniebant, maximasque inferabant clades. Nonnullas interim naues submergebant. Siue aliqui ex sociis periclitabantur, confestim sine labore, atque periculo præsidium ferebant aduersis puppibus in altum nauigantes. At Romanis magna proximum littus impedimenta afferebat. Siquidem in arcto

coacti

coacti, neque refugere cum opus erat, neque seiplos tutari, neque laborantibus succurrere poterāt: & quod in bello nauali præcipuum haberi solet, per medios hostes præterlabi, ac deinceps in pugnantem impetum facere, impossibile Romanis erat: tum, quod naues eorū grauissime erant: tum, quod remiges Maritimarum rudes, & ad nauigandum inepti. Consul igitur cum rem in deterius labi cerneret, nauibus partim in littore con fractis, nonnullis etiam submersis, desperatis ad extremum rebus, primus omnium fugam arripuit. Circiter triginta naues ex omni classe, quæ huic forte propinquæ erant, eum secute, relique omnes tres & nonaginta numero, in Carthaginensium potestatem uenere. Præterea copię omnes captæ, exceptis iis, quæ proiectis in terram nauibus, perierant. Adherbal magnam iis rebus gestis laudem apud Carthaginenses meruit, ut qui singulari prudentia, ac magnitudine animi, omnia sceleriter peregisset. Appius uero Claudius a Romanis iurgiis contumeliisque uehementer affectus, quod adeo imprudenter se gessisset, quod rem Romanam summū in discrimen adduxisset, ipse tandem Cōsultu abdicatus, summa cū ignominia, in iudicio concidit. Romani, & si ingens se accepisse uulnus intellegebant, nihil tamen pristinæ magnanimitatis immemores, confestim reparata classe, nouisque coactis copiis L. Iunium Consulem in Siciliam mittunt. Hunc iis, qui Lilybæum obsidebant, subsidium ferre, commeatumque, & cætera exercitui necessaria subministrare iubent. Ille cum sexaginta rostratis Messanam nauigat, hic contractis ab omni Sicilia, præterquam a Lilybæo, nauibus, classem efficit centum & uiginti rostratarum, præter onerarias, & quas frumentationis causa secum habebat, numero circiter octingentas, earum mediam fere partem, & quasdam ex rostratis quæstori tradit, ac ferre in castra commeatum iubet, ipse interea Syraculis manet: reliquas, quæ paulo post a Messana sequebantur, & frumentum ex mediterranea regione, a sociis imperatum, excepturus. Per idem tempus Adherbal captiuos Romanorum, & naues, quas prælio acceperat, Carthaginem misit. Hinc Carthalonem præfectū triginta nauibus ei traditis, exire in hostem iubet. Ipse paulo post cum septuaginta nauibus eum sequitur. Carthalonem admonet, ut quascunque naues hostium possit, integras capiat, reliquas incēdat. Carthalo igitur per noctem impigre facta nauigatione, cum ex improviso classi Romanorum, quæ in Lilybetano portu asseruabatur, superuenisset, maximo in periculo rem Romanam posuit. Nam cum inter eos, qui custodig gratia circa classem excubabant, magnus repente clamor, atque ingens tumultus ortus foret. Imilcon intellecto strepitu, & iam dilucescente die, aduentu hostium cognito, repente euocatis ex urbe militibus, hostes inuadit. Ita ex omni par-

D iii

te circumuentis Romanorum copiis, in non mediocri periculum deueniunt. Praefectus Carthagenensium, paucis Romanorum nauibus partim captis, partim incensis, non longe post Lilybaeo soluens, uersus Heracliam nauigat, ut comeatum, qui ex ea parte in castra Romanorum ferebatur, intercluderet. Iter faciendi speculatoriae naues Carthalo nunciat, magnam nauium numerum aduentare, quo nuncio accepto, Carthalo nequaquam cunctatus, quod ob res paulo ante egregie gestas, Romanos spernebat, aduersus eas properauit. Eodem modo Romani quoque adesse classem hostium, a speculatoribus cognouere. Verum ii, cum se longe impares esse ad nauale bellum arbitrarentur, in proximum forte littus naues subduxere. Erant in iis locis recessus quidam, atque anfractus, quibus desuper rupes imminabant. In iis consistentes Romani lapidibus, fundisque naues hostium arcebant. Carthagenenses, & si a principio tandiu obsiderent illos, quoad eorum potirentur, decreuerant: tamen, cum propter naturam loci, nihil proficere se posse intelligerent, & Romanos acrius quam sperabant, resistere intuerentur, paucis tandem onerariis nauibus acceptis, ad propinquum flumen nauigarunt, ubi discessum hostium obseruarent. Interea loci Consul peractis iis, quorum gratia Syraculis remanserat, superato Pachyni promontorio, Lilybaeum petebat, ignarus earum rerum, quae superioribus diebus suis acciderant. Dux Carthagenensium aduentu Consulis rursus per exploratores cognito, confestim aduersus eum properauit, cupiens procul a caeteris Romanorum nauibus, illi concurrere. At L. Iunius cum de longe aduentum hostilis classis prospexisset, magnitudine eius perterritus, committere pugnam non audebat, fugere ob propinquitatem hostium non licebat, quare ad loca difficilia atque periculosa conuersus, in proximo portu stationem fecit, decreuitque potius extrema omnia experiri, quam pati, ut exercitus Romanorum in potestatem hostium ueniret. Id conspiciens Carthalo praefectus Carthagenensium proficisci aduersus hostes destitit, sed medium quendam inter utraque Romanorum classem, portum tenuit, ratus per eum modum utriusque classis abeundi facultatem ablatum iri. Interiectis diebus ingens procella insurgere coepit, quam aliquandiu antea prouidentes Carthagenensium nauis, ut qui magnam Maritimarum rerum, locorumque, in quibus erant, peritiam habebant, Carthalo suaserunt, ut superato confestim Pachyni promontorio, uim tempestatis euitaret. Id cum ille fecisset, cum omnibus suis incolumis euasit. At Romanorum classis uim tempestatis agitata, quoniam loca importuosa erant. Ita ad extremum fracta est, ut nihil ex tot nauibus, quod utile in posterum foret, superauerit. His Romanorum tot tantisque calamitatibus, rursus accidit Carthagenensium rem superiorem

perioerem fieri. Romani nuper ingenti clade apud Drepanum nauali praelio affecti, tunc uero omnino amissa classe, mari protinus excessere, in terra duntaxat spem habentes. Contra uero Carthagenenses, & maris imperium sine controuersia tenebant, & in terra haud prorsus sine sperant. Igitur, & qui Romae erant, & qui in castris apud Lilybaeum, quam utriusque ob praedictas clades maxime afflictis forent, tamen in obsidione omnino persistendum esse censuere. Quare & illi quae necessaria erant, suppeditabant: & hi, quantum pro uiribus licebat, durabant in obsidione. L. Iunius consul post amissam naufragio classem, cure ac sollicitudinis plenus Lilybaeum peruenit, ibi omni cogitatione quam maxime intentus, noui aliquid agere studet, quo acceptam ex superiore clade ignominiam minuat. Quocirca non longe post, tenui quadam oblata occasione, Erycen per prodicionem occupat, simulque & templo Veneris, & oppido potitur. Eryx est Siciliae mons mari imminens ex ea parte, quae ad Italiam spectat, inter Drepanum, ac Panormum, magis tamen Panormo coniunctus. Hic magnitudine omnes Siciliae montes excedit, praeter unum Aetnam. In eius uertice planities est, ubi Eryciae Veneris templum, quod sine controuersia omnium Siciliae templorum opulentissimum atque ornatissimum est. Paulo infra uerticem urbs est eiusdem nominis, longissimum ac difficilimum undique habens aditum. Hic Consul uno in uertice, altero ad radices montis, qua aditus a Drepano erat, praesidio collocato, custodire utrumque locum pergit, sperans se per eum modum, & urbem, & totum montem tuto tenere posse. Carthagenenses capto Eryce, Amilcarem cognomento Barcam, classis praeficiunt. Hic cum omnibus copiis in Italiam delatus, Maritimam oram populatus est. Erat autem annus eius belli decimus octauus. Hinc uastatis Locorum, ac Brutianorum agris, cum omni classe in Panormitanum agrum reuertitur. Hic locum occupat bello gerendo aptissimum, inter Rhegium, ac Panormum alte mari supereminentem, natura munitum, & ad tenendum exercitum tutissimum. Est enim mons, quem praecise undique rupes cingunt, in summitate habens planiciem quandam non minori ambitu, quam duodecim millium passuum, peruiam, & culturae aptissimam. Est praeterea Maritimis auris praedare expositus, mortiferarum ferarum omnino expertus, a mari, & a mediterranea regione rupes habens inaccessas: eas uero, quae inter has mediae sunt, haud facile peruias. In eo tumulus insurgit, qui speculae simul, atque arcis locum obtinet. Portum habet amenissimum, & iis, quia Drepano, uel Lilybaeo Italiam petunt, commodissimum, aquarum praeterea copia insignem. Aditus ad eum omnino tres sunt, & ii perdifficiles.

duo a mediterranea regione, tertius a mari. In eo loco Amilcar castra posuit, ut qui neque propriam urbem, neque spem ullam habebat, sed mediis sese obieciat hostibus: neque tamen quiescere interea hostes permittebat. Nam & mari saepe ab eo loco delatus, in Maritimam Italiae oram omnia usque ad regionem Cumarum uastauit, & postea pedestri itinere ducto exercitu, castris ante Panormum positus, non longius ab exercitu Romanorum octingentis passibus, ibique tres fere annos commoratus, multa & praecleara facinora fecit, quae particulatim commemorare difficilimum foret. Romanis igitur, quemadmodum supra diximus, non solum in uertice, uerumetiam in radicibus montis Erycen custodiētibus, Amilcar urbem Erycinam per fraudem capit, quae media erat inter uerticem montis, & praesidia Romanorum, quae in radicibus erant: quo facto accidit Romanos, qui in uertice erant, a Carthaginensibus obsessos, summo in discrimine uersari: nec minus sane Carthaginenses ipsos in Erycina urbe premi, duobus Romanorum praesidiis, altero supra uerticem, altero a radicibus montis obsessos; nec nisi unicum, & eam perdifficilem ad importanda in urbem necessaria, habentes uiam. Ita inuicem & obsessi, & obsidentes summa obstinatione animorum utriusque perdurabant, extrema omnia tolerantes, & maximis quibusque periculis sese obiectantes. Cum in hunc modum traheretur bellum, & Amilcar Romanos mari quam maxime infestaret, quod illi iam annos fere quindecim mari abstinerent, commoti maiorem in modum Romani, utpote qui bellum aliter finem nunquam habiturum uidebant, ad studium parandae classis iterum conuertuntur. Verum, quia exinanitum iam pridem grauium fuerat, priuatim ciues pro suis quisque facultatibus contribuentes, plures unam simul quinquerehem aedificabant, & necessarios ad eam sumptus subministrabant. Tantus erat uniuersi populi ardor ad res bellicas, imperiisque Romanum propagandum. In hunc modum ducetas quinqueremes parauere, instar eius nauis Rhodiae, quam apud Lilybaeum captam supra ostendimus. Huic classi praeficiunt L. Lutatium Consulem, eumque adueniente iam uere, aduersus Carthaginenses mittunt. Hic igitur cum omni classe ex improviso in Siciliam delatus, primo aduentu Drepani portum, caeterosque, qui circa Lilybaeum erant, occupauit, uniuersis Carthaginensium nauibus sese ad Ducem pauide recipientibus. Hinc Drepanum instructis machinis, caeterisque ad obsidionem necessariis, expugnare nititur. Et quia non longe aberat Carthaginensium classis, memor praeteritarum rerum, quantum momentum bello Maritimae res afferrent, haud quaquam per otium atque socordiam tempus conterebat, sed remiges ac nauas assidue exercebat, neminemque ex tota classe ociosum esse patiebatur

batur. Ita breui tempore factum est, ut Romani milites ad nauales pugnas aptissimi forent. Carthaginenses cognito aduentu Romanae classis, confestim ipsi quoque naues parant, frumeto, ac caeteris necessariis rebus onerant, ne quid iis, qui apud Erycem obsidebantur, e necessariis rebus deesset. Classi Annonem praeficiunt, hic delatus ad insulam, quam uocant Hieronolum, inde nihil sentientibus hostibus, in castra ad Amilcarem nauigare, & euacuare naues, ac comestum exponere properabat. At Lutatius aduentu hostium cognito, eorum consilium suspicatus, haud enim difficilis coniectura erat, optimis quibusque pedestri exercitu, militibus secum adductis, confestim ad Egusam insulam nauigat. Haec insula non longe abest a Lilybaeo: hic hortatus pro tempore militum animos, ut in sequentem diem omnes sese ad pugnam pararet, edixit. Postridie cum iam dilucescere dies coepisset, Consul prosperum quidem, ac secundum adesse hostibus uentum conspicatus, classi uero Romanae plane aduersum, praeterea mare turbidum esse ac procellosum, quid agendum foret, aliquandiu dubitauit. Mox uero considerans suos, si, durante procella maris, ad manus cum hostibus ueniant, praedium duxat cum Annone & cum naualibus copiis, & cum impeditis, atque onustis nauibus inuros. Si uero prorogato pugnae tempore, tranquillitatem maris expectent, iam necesse fore, ut cum euacuat, ac maxime expeditis nauibus, cum optimo quoque milite pedestri exercitu, delecto: & quod maximum est, cum Amilcaris audacia, quo nihil terribilius per id tempus audiebatur, in certamen descendant. Statuit tandem quamuis turbido, & aduersante mari cum hostibus congregiendum. Venientibus igitur plenis uelis Carthaginensium nauibus, classem structam, atque paratam opponit. Carthaginenses ubi interceptum classis suae cursum ab hostibus uident, nauesque illorum ad certamen paratas, dimissis uelis, ipsi quoque se ad praedium comparant. Hic confirmatis animis utrinque colligitur, quo in loco cum omnia e diuerso forent, quam olim in pugna apud Drepanum fuerant, non immerito diuersum quoque res exitum habuere. Romani naues quam celeritmas habebant, onera omnia, exceptis quae ad belligerandum necessaria uidebantur, deposuerant. Remiges eorum diu exerciti, & ob eam causam acres, ac ad certamen prompti erant. Optimi quoque milites ex toto pedestri exercitu delecti fuerant. Carthaginensibus haec omnia contra euenierant, eorum naues onustae, & ob id ad res gerendas ineptae erant, turba remigum ac nautarum, ut tumultuaria, ita ad res bellicas rudis, milites noui, nec dum periculis assueti. Nam quod Romanos nunquam amplius mari quicquam molituros existimabant, omnem protinus rei naualis auram cogitationemque deposuerant. Quamobrem simul ac pugnant

ceptum a Romanis superantur. Naues eorum quinquaginta uel fracte uel submersæ, septuaginta plenæ captæ, reliquæ sublatis uelis, subita uenti mutatione, facta mirabili celeritate, sese ad Hieronolum ex fuga receperunt. Consul post prælium cum omni classe Lilybæum reuersus, prædā & captiuorum corpora inter suos diuidit. Fuerunt enim e Carthagenensibus uiui capti, præter eos, qui inter certandum perierant, ultra decem millia hominum. Carthagenenses tali ac tanta clade percussi, & si animo ad belligerandum promptissimi erant, diuersis tamen rationibus impediebantur. Siquidem neque iis, qui in Sicilia erant, subministrare comestum poterant, amissa classe, & hostibus mare undique tenentibus, & derelinquere Ducem, ac milites optime de Republica meritos, prodicionis simile existimabant, quibus uero copiis, aut quibus Ducibus contenderent, non habebant. Quapropter misso ad Amilcarem quæ celerrime nuntio, potestatem illi tradit, quicquid de republica uisum fuerit, faciendi. Amilcar optimi simul, ac sapientissimi Ducis officium fecit. Quandiu enim aliqua Carthagenensium rebus spes superfuit, nullum unquam laborem, nullum periculum euitauit, sed summa industria, atque audacia fretus, omnia pro adipiscenda uictoria haud secus, quam ceteri Duces, assidue subiit. Vbi uero Carthagenensium rebus nullam amplius relictam spem uidet, prudenter ac moderato animo cedens reperi, Legatos qui de foedere reagerent, ad Consulem misit. Enimuero optimi ducis officium existimandum est, posse non solum uincendi, uerum etiam cedendi tempora perspicere. Lutatius quoque conditionem foederis nequaquam aspernatus est, conscius difficultatum, quibus ex diuturno bello populus Romanus premebatur. Ita tandem de foedere conuenit, huiusmodi conditionibus præscriptis, amicitiam esse Romanis Carthagenensibusque, si id populo Romano uideatur, excedere prorsus omni Sicilia Carthagenenses: neque post hac Hieroni bellum inferre, neque contra Syracusanos Syracusanorum uel socios mouere arma, Carthagenenses sine pretio captiuos omnes reddere, insuper talenta argenti Euboica duo millia & ducenta Romanis, annos uiginti, pendere. Has condiciones Romam missas, populus Romanus comprobare noluit, uerum in Siciliam decem uiros cum auctoritate publica legatos misit. Hi in Siciliam delati, summam rei haud quaquam immutarunt, tempore pendendi argenti duntaxat coarctato, ac mille insuper talentis additis. Id præterea conditionibus addidit, ut non solum Sicilia, sed etiam omnibus insulis, quæ inter Siciliam, atque Italiam mediet sunt, Carthagenenses excederent. Per hunc itaque modum primo bello, quod Romani aduersus Carthagenenses pro Sicilia gesserunt, finis impositus. Durauit id bellum continuos quatuor & uiginti annos, omnium sane, quæ

quæ nos audiuerimus, longissimum atque maximam. In quo, ut alia omittam memoratu digna, semel quinque remibus ex utraque parte amplius quingentis, iterum non multo minus, quam septingentis inuicem pugnatum fuit. Amiserunt in eo bello Romani quinqueremes septingentas, præter eas, quæ diuersis naufragiis perierunt. Carthagenenses uero circiter quingentas. Itaque, qui ante eum diem admirati fuerant Antigoni & Ptolemæi, & Demetrii copias, & classem, & bella naualia, merito posthac magnitudine rerum a Romanis, Carthagenensibusque gestarum, omnem admirationem deposuere. Quod si quis considerare uelit, quantum intersit inter quinque remes, ac triremes, quibus Persæ aduersus Græcos, rursusque Athenienses & Lacedæmonii bello inter se uisi fuere, perfecto nuncque maioribus copiis mari pugnatum intelliget. Quibus ex rebus clare constat id, quod principio a nobis propositum fuit, Romanos neque fortuna, quidam ut Græcorum putant, neque casu, sed propria uirtute, audacia, magnitudine animi tantum imperium consecutos, ut tandem rerum omnium potiti fuerint: quancumque erunt fortasse, qui dubitent, quæ causa sit, quæ cum longe magis polleat hac tempestate terra, marique Romani, quippe qui uniuerso iam orbi dominantur, non tamen, aut tot simul naues ædificare, aut tantam uno tempore classem conficere ualeant. Verum eius rei causam facile licebit intelligere, cum ad expositionem Romanæ Reipublicæ, morumque atque institutorum eius uentum erit. Nam de iis præter propositum facere mentionem, neque nobis commodum, neque lectoribus nostri operis utile foret. Siquidem res ipsæ amplissimæ sunt, sed tamen usque in hunc diem, ut id, quod sentio, dicam, nemini notæ, culpa, eorum, qui historiam scripserunt. Hi enim partim ignorarunt, quæ scriberent: alii, & si recte intellexerunt, obscure tamen, ac prorsus inutiliter scripsere. Enimuero in hoc bello, si quis diligenter animaduertat, pares sane utriusque populis animos, resque omnes duarum maximarum ciuitatum inter se simillimas inueniet. Principio desiderium utriusque simile fuit, magnitudo animi par, cupiditas gloriæ æqualis, uiri apud Romanos longe quidem præstantiores, sed Dux Carthagenensium Amilcar cognomento Barca Annibalis pater, qui postea bellum cum Romanis gessit, prudentia & fortitudine nemini secundus. Foedere inter Romanos, Carthagenensesque percusso, similes fere casus utriusque populum excepere. Romani enim statim cum gente Faliscorum bellum gerere coeperunt, quod tamen intra paucos dies, ciuitate eorum potiti terminarunt. Carthagenenses uero per idem tempus finitimorum ac Numidarum, & aliorum Africae populorum bello circumuenti, in extremum fere discrimen deuenere, tandemque non modo pro prouincia, sed pro se ipsis, pro libertate, pro

liberis, pro solo natali, coacti sunt dimicare. Quod bellum, cum memoratu dignum sit, summam, breuiterque, sicuti ab initio proposuimus, referemus. Nam quale, quanque atrox sit id bellum, quod omnes cruentum uocant, facile quiuus ex rebus gestis eorum temporum suspicari poterit, quam uero multa prouidere ducem exercitus, & longe antea cauere oporteat, quidque Barbari mores differant ab iis, qui sub disciplina & legibus educantur, ex iisdem plane rebus palam fiet: quodque precipuum est, ex cognitione earum rerum facile intelligentur causae eius belli, quod postea, Annibal aduersus populum Romanum gessit. Quae quoniam non modo apud eos, qui historias scripserunt, uerum etiam apud eos, qui in ipso bello fuere, interdum dubiae sunt ac perobscurae, operae pretium erit, si ueritatem rei studiosis nostri operis apertam faciemus. Amilcar post percussum cum Romanis foedus, copias ab Eryce in Lilybæum deduxit, hinc sese statim magistratu abdicauit, copias Gestoni Duci qui Lilybæi erat, transmittendas in Africam tradidit. Gestio, quae res nouas in tanta multitudine hominum, si simul in Africam delatae forent, uerebatur, praesertim cum magna militibus stipendia deberentur, quae propter inopiam aërii solui non poterant, prudentissime antea prouiderat, ne simul omnes, sed diuersis inter se temporibus, copiae mitterentur. Factis etiam de industria interuallis, ut facilius per partes prouideri posset, primique ante domum abiissent, quam secundi superueniret. Carthaginenses partim negligentia, partim inopia aërii, non solum non dimittebant copias, sed ut in urbe aduentum caeterarum expectaret, iubebant, quo simul cum omnibus de stipendiis transigeretur. Ceterum cum multa in urbe, & per noctem, & interdum a militibus maleficia committerentur, intolerabilisque iam foret multitudinis intemperantia, Carthaginenses accersitis Ducibus, eos rogant, ut omnem multitudinem, quae in urbe conuenerat, ad oppidum Siccam traducant, ibique tandiu expectent, quoad reliquae copiae in Africam uehantur. Praeterea non nihil pecuniae singulis quibusque tradi iubent, quo facilius tolerare moram possint. Duces dicto Carthaginensium obtemperantes, sine mora multitudinem educere coeperunt. Verum, cum singuli quique, quemadmodum superiori tempore fecerant, uellent impedimenta Carthagini relinquere, ueluti paulopost eo pro stipendiis reuersuri. Carthaginenses ueriti, ne, si id eis permitteret, alii amore liberorum, pars uxoribus gratia, uel non abirent, uel mox in urbem reuenterentur, & ita conditiones ciuitatis nihilo meliores fierent, tandem hostiliter cum omnibus rebus suis, exire inuitos coegere. Ut igitur in Siccam traducti sunt milites, licentius iam per otium atque socordiam uitam agebant, id quod in exercitu perniciosissimum est, & fons atque origo

seditionum

seditionum omnium. Quidam stipendia insolentius, quam ante, ac longe maiora, quam prius postulabant, omnes memores munerum, quae inter pericula duces, cum eos ad bellum hortarentur, sibi polliciti fuerant: etiam praeter stipendia longe maiora expectabant. Verum spes sua eos frustrata est. Nam simul atque omnes in Sicca oppido conuenere, missus ad eos Anno Carthaginensium Praetor, non solum non attulit munera quae sperabant, sed de penuria aërii multa locutus est, & aliquam stipendiorum remissionem postulauit. Quibus rebus commota multitudo, confestim insurgere coepit, ingens tumultus, magnaque in oppido seditio orta, utpote in tanta morum, atque linguarum uarietate. Nam Carthaginenses quod ex uariis, diuersisque hominum generibus, exercitum componeret, partim quidem recte faciebant, siquidem neque conspirare inter se facile adeo diuersa gens poterat, & mandatis Ducum facilius uniuersi obtemperabant. At si quando tumultus, aut seditio in exercitu oriebatur, tunc neque mulcere quenquam, neque alicui modum imponere licebat. Gens ignara cum impetu ferebatur. Vbi semel ad iram uentum erat, more ferarum continue magis crudescibat, neque ullus erat sauitiae modus. Quod ea tempestate in exercitu Carthaginensium euenit. Erant enim Hispani alii, alii Galli, quidam Ligures, item Baleares, Graeci etiam non pauci, Africuli pluri fugitiuorum, & transfugarum ingens numerus. Quamobrem neque congregare omnes uno tempore cuiquam licebat, neque alius ad eam rem modus inueniri poterat. Praetorem singulorum linguam nosse impossibile erat. Plures uno tempore ad conuocandam multitudinem, adhibere interpretes, stultissimum uidebatur. Reliquum erat, ut id per Duces eorum fieret, quod Anno euestigio expertus, frustra laborauit. Siquidem alii mandata Ducum nequaquam intelligebant, alii aliter referebant, quae dicerentur, pars id ignorantia, plerique uitio faciebant. Quamobrem ira, impetu, tumultu, omnia plena erant. Inter caetera querebantur, a Carthaginensibus neminem ex iis, sub quibus in Siciliam militauerant, quique munera eis polliciti fuerant, Ducem ad se missum. Tandem uero raptis per iram armis, contempto Annone, & caeteris Ducibus, Carthaginensibus uersus praefecti, apud oppidum Tunes, quindecim millibus passuum a Carthagine castra locant. Erant hi supra uiginti millia hominum. Carthaginenses tunc demum se circumspicere, tunc errata sua recognoscere coeperunt, cum nullum amplius rebus suis remedium erat. Ingens enim Carthaginensium error fuit, tantam conductorum militum multitudinem, finito bello, in unum locum coegisse: nec eo minor liberos, uxoresque eorum, aut certa impedimenta non retinuisse Carthagini, quibus, si res postuleret, ueluti obsidibus uti possent. Tamen cum tantam multitudinem ho-

E

minimū haud parum formidarent: nihil, quo illorum iram leniri posse arbitrarentur, praetermittere: iubere, ut in castra eorum a suis frumentū & cætera necessaria portarent, uendereturq; quo pretio illi uellent. Crebras præterea legationes ad eos ex Senatu Carthagenensi mittere. At mercenarii milites, singulis diebus noui aliqd cogitare, audatiores iam facti, q̄ timeri sese a Carthagenensibus senserāt, quodq; bello Siculo exerciti erant, & Carthagenenses, nullas prorsus urbanas copias habere intelligebant. Quamobrem, ubi prius debita sibi stipendia petere consueuerant, nunc etiam interfectorum equorū pretia exolui sibi postulabāt. Neq; iis contenti, rursus multorum annorum frumētum deberi sibi asseriebant: pro eo, inauditum, ante eum diem, pretiū flagitabant. Deniq; quotidie noui aliquid, quo bellū mouerent, reperiebant. Pessimī quiq; & maxime seditiosi milites, in exercitu præualebant. Carthagenensibus omnia sese facturos pollicentibus, tandem inter eos conuenit, ut omnia quæ in dubio essent, unius arbitrio committerentur, quo duce, illi in Sicilia usi forent. Sed enim Amilcarem Barcam, sub quo in Sicilia militauerāt, non satis diligebāt: q̄, neq; nunc in tanta dissensione ad eos iisset, & antea sponte sese magistratu abdicasset. Gestonem uero omnes unanimiter amabant, quoniam & Dux in Sicilia fuerat, & erga eos perhumaniter se gesserat, cū cæteris in rebus, tum uel maxime in traductione copiarum in Africā. Huic igitur summā rei cōmittendā omnes censuere. Gestoeuestigio cū pecuniis mari p̄fectus, simulac Tunes appulit, principio duces conuocat, deinde singulas quasq; nationes cōgregari iubet. Hic eos partim præteritarū rerū increpat, partim præsentīū admonet: in futurū ut Carthagenenses, quorū milites longo tempore fuerūt, colant, longa oratione hortatur. Tandē suadet, ut suum quisq; stipendiū equo animo capiat: id uero p̄ nationes diuidere cupiebat. Erat in exercitu Cāpanus quidā, qui nuper seruus e Sicilia a Romanis trāsfugerat, uiribus corpis atq; audacia in rebus bellicis insignis, nomine Spendius. Hic metuens, ne, si foedus cū Carthagenensibus fieret, in domini sui potestatem deueniret, ac secundum leges populi Romani caderetur, summam audaciam uerbis, ac re ipsa quæcunq; moliri, quo omnia magis perturbarent, seditionem quam foedus, bellum quam pacem, præoptare. Præterea etiam Afer quidam nomine Matho, qui liber quidem erat: atq; in Sicilia pro Carthagenensibus dimicauerat: sed quia multa in dissensione seditiose fecerat, suppliciū formidabat. Hic igitur conuocata Afrorum multitudine, admonet, ut prudenter rebus suis consulant, neq; dubitent Carthagenenses, cum primum cæteri milites, accepto stipendio, in prouincias reuersi fuerint, omnem suam iram in Libyes conuersuros: ita illos

ita illos sibi persuasisse, omnem seditionem initium habuisse ab Africanis, proinde uideant quid agant. Quibus uerbis cōmota mirum in modum multitudo, simul q̄ mentionem duntaxat de stipendio a Mathoni factam intelligebant, nihil autem neq; de pretio interfectorum equorum, neq; de frumento tot annorum ab eo commemoratum: extemplo omnes simul in contionem, deliberandi causa uenere. Hic Spendio ac Mathone uehementer in Gestonem, ac reliquos Carthagenenses inuentibus, omnes facillime aures præstabant. Quod si quis præterea aliter consulere nitetur, non expectabant idem ne, quod Spendius, an diuersum sentiret, intelligere, sed confestim iactis in eum lapidibus, interficiebant. Multi in hunc modum, nō solum Duces, uerum etiam priuati homines cæsi, nihilq; aliud in tanto tumultu, per totum exercitum audiebatur, q̄ uerbum, iuuice, iniice, pariter omnes clamabant. Eoq; magis eorum animus sæuebat, quod paulo ante ebrii a cœna surrexerant. Itaq; si quis dicere, iniice, semel cœpisset, confestim ita undiq; lapides cōcurrebant, ut ne fugæ quidem locus ullus relinqueretur. Ita cum nemo amplius consulere in contione quippiam auderet, Spendium & Mathonem unanimi consensu, Duces sibi constituere, Gesto, & si tantū in multitudine tumultum, ac seditionem cerneret, tamen utilitatem patriæ cæteris omnibus rebus preponendā existimabat. Itaq; cū intelligeret, crudelentibus in dies magis multitudinis animis, res Carthagenensium summum in discrimen adduci, etiā cum sui capitis periculo insistere, atq; experiri omnia decreuit, & nunc uocatis ad se principibus coniurationis, nunc singulis separatim nationibus accersitis, eorū animos precibus, pollicitationibusq; mulcere conabatur. At illis nondū frumentū quod petierant, consecutis, & tamē deberi sibi affirmatibus, acriterq; petētibus, Gesto sese id libenter daturū respondit, si Mathonem in eius manibus ponerent. At eam uocē indignata multitudo, in tantā insolentiā prorupit ut cōfestim pecuniam omnem, quæ ad dissoluēda stipendia parata erat, diripuerint, Gestonēq; ipsum ac cæteros, qui cū eo erant, Carthagenenses ceperint. Matho autem ac Spendius multitudinis Duces, ut celerius exardesceret bellū, immane aliquod patrare facinus p̄perabant. Quamobrem insolētia multitudinis collaudata, una cū pecuniis etiam sarcinas Carthagenenses rapuere, Gestonem, cæterosq; qui cum eo erant, post multas contumelias duci in uincula iusserunt. Ipsi post hac crudeli, & ante eum diem inaudita inter se facta coniuratione, apertum cum Carthagenensibus bellum gessere. Ex huiusmodi igitur causis natū est, taleq; principium habuit bellū, quod Africanū dicit. Matho ac Spendius patris iis, quæ supra memorauimus, cōfestim per omnes Africę populos, lega-

tionē mittunt, ad libertatem eos prouocantes, & ut sibi contra sæuum populi Carthaginensis, crudeleq; imperium adiumento esse uelint, rogantes. Omnibus fere Africę populis inceptum comprobantibus, com meatuq; & copiis abunde subministratis, duces diuiso inter se exercitu; pars Vticam, alii Hipponem, q; hæc ciuitates in cōspiratione dissenserāt, obsedere. Carthaginenses, qui rem quidem familiarē duntaxat agricultura sustentare, publicas uero pecunias ex tributis Africę colligere, præterea conductis tantummodo militibus bella gerere consueuerant, tunc iis non modo priuati, sed ea omnia in capitis sui perniciem conuersa animaduertentes, multis uno tēpore difficultatibus premebant, nec quo se uerterent satis sciebant, tantoq; hæc grauiora eis uidebant, quanto præter spem acciderāt magis. Etenim longo ac difficili in Sicilia bello fatigati, percusso ad extremū cum Romanis scedere, sperabant sese aliq̄diu quiescere, ac respirare posse. At id longe contra euenit, bellum em̄ subito exarsit infestius multo, ac periculosius q̄ antea. Siquidē primo de possessione Sicilię cū Romanis certabant, nunc uero pro seipsis, pro liberis, pro patria, subire pericula cogebantur. Adhæc nulla amplius arma, nullę nauales copię, nullius classis apparatus, apud eos erant, ut qui tot naualibus præliis uicti, ac p̄ligati fuerant, nulla præterea in posterum tributa, nullum amicorum, aut sociorū præsidium expectabant. Tunc demū intelligentes, quantum inter externum, ciuileq; bellum interesset, cuius mali causa profecto ipsi sibiipsis fuere, etenim superiori bello, q; iustas se causas habere putarent, superbe nimium, atq; auare Africę populis imperauerant, uniuersorum fructuū medietatem abstulerāt, tributa duplicauerant: nullum etiam iis, qui per ignorantiam deliquerant, remittere crimē uoluerant. Magistratum eos duntaxat honestauerant, nō, qui benigne ac clementer se gessissent, sed qui grandem ærario pecuniam cumulassent, quemlibet iniuste per eos in populum sæuitum foret, qualis fuit is, quem supra memorauimus Anno, quibus rebus factum est, ut populi Africę non solum hortatu multorum, uerumetiam unico nuntio, facile ad rebellionem induci posse uiderentur. Siquidem mulieres ipsæ, quod superiori tempore uiros, liberosq; earum, ob non soluta uestigalia, Duci in seruitutem uiderant, in singulis quibusq; ciuitatibus conspirauere, nihil relictorum sibi bonorum occultantes, sed mundos etiam muliebres, quod dictu incredibile uidetur, ad soluenda stipendia sponte conferentes, quibus ex rebus tantum Mathoni, ac Spendio facultatum comparatum: ut non solum militibus, quæ principio coniurationis polliciti fuerant, abunde persoluerint, uerum etiam ad futuros belli apparatus, satis superque habuerint. Quamobrem

obrem, non præsentia solum, uerumetiam futura prospicere recte consulentem conuenit. Carthaginenses, & si tot undiq; calamitatibus circumuenti forent, nō tamen omnino animi concidere, sed quantis pro angustia temporis licuit, paratis mercenariis militibus Ducem præficiūt Annonem, hinc urbanam iuuetutem armant, equites etiam urbanos exercent, reliquias nauium, triremesq; partim ueteres instaurant, partim nouas instruunt. Interea Matho & Spendius, cum iam septuaginta armatorum millia ad eos ex Africa conuenissent, diuisis, quemadmodum supra diximus, inter se copiis, Vticam atq; Hipponem obsidebāt, nondū tamen desertis castris, quę apud Tunes oppidum ante constituerant, ex quo fiebat, ut Carthaginenses omni Africa excluderentur. Siquidem Carthago in promontorio sita est, in mare protendens, insulæq; speciē habet, nisi q; arctissima tellure Africę coniungitur. Vrbs ipsa partim mari, partim stagnis coarctatur. Latitudo telluris, quæ eam cum Africa iungit, non amplius q̄ tria millia passuum continet. Huius ab una parte, quæ in mare protenditur, non longe abest Vtica ciuitas, in altera iuxta paludem Tunes est oppidū. Hostes igitur castris hinc apud Tunes illinc apud Vticam positis, Carthaginenses ab reliqua Africa excluderant, ac modo noctu, modo interdiu, ad mœnia usq; Carthaginis prorumpentes, tu multu, & trepidatione urbem complebant. Inter hæc Anno, quę bello necessaria erant, diligentissime parauit, erat enim uir promptus, & ad huiusmodi res ingeniosissimus. At paulo post aduersus hostes, cum exercitu profectus, quod recte discernere tēpora nesciret, magnam Ducis imperitiam præ se tulit. Missus etenim in auxilium Vticenlibus obsidione laborantibus, primo impetu hostes Elephantorum multitudine perterritos, dissipauit: mox uero adeo imprudenter se gessit, ut ipsos obsessos, in quorum subsidium uenerat, maximū in discrimen, & extremū fere perniciem adduxerit. Nam cum balistas, tormēta, catapultas, ac omnifariam oppugnandarum urbium machinas, secum Carthagine detulisset, castris ante mœnia urbis positis, pugnam cum hostibus commisit. Illi cum Elephantorum uiolētiam sustinere non possent, desertis castris, pluribusq; ex suis interfectis, in proximum collem natura, & arborum frequentia munitissimum se recepere. Anno duntaxat aduersus Numidas bella gerere solitus, qui ubi semel fugam arripuere, uix ad tertiam diem consistere solent, quasi iam uictor foret, cura persequendi hostes abiecta, Vticam ingressus, tantummodo curādo corpori operam dabat. Hostes uero sub Amilcare in Sicilia militare consueti, ac sepe eodem die fugere hostem, & mox iterum insectari, simulatq; Annonem Vticam ingressum cognouere, exercitumq; fiducia uictoriæ se-

eurum degere, repente castra hostium aggressi, eorum partem interficere, reliquos cum ignominia sese in urbem recipere coegerunt, machinis & cætero belli apparatu, nemine iam contradicente potiti. Neq; hoc solum tempore Annonis imprudentia Carthaginensibus obfuit. Nam paucis interiectis diebus, cum castra hostium apud Sorzam oppidū forent, nactus opportunissimum tempus, quo hostes, bis structis de more aciebus, bis tumultuario impetu facto, superare facile potuisset, utriq; tempus ignauia, atq; socordia prætermisit. Carthaginenses itaq; cū Annonem imperite uersari in eo bello cernerent, rursus Amilcarem unanimiti consensu ducem creant, huic Elephantos septuaginta tradunt, omnē præterea conductum militem, & transfugas, item equites, peditesq; urbanos, ita, ut uniuersi essent circiter decem millia hominum. Hic euestigio cum exercitu profectus incredibili uirtute, uno tempore, & animos hostium fregit, & obsidionem Vticæ dissoluit, & dignus ea gloria, quæ ex rebus gestis antea comparauerat, eaq; expectatione, quæ de eo apud omnes erat, apparuit. Fuit autem prima eius industria hunc in modum cognita. Promontorium in quo Carthago sita est, aspero admodū dorso, ac montuosis saltibus ad reliquam Africam cōiungitur. Viasq; habent ea loca perdifficiles atq; inaccessas, & magna ex parte manu factas. Igitur tumulos omnes, qui itineribus imminet, Matho occupat, præsidis ea loca diligentissime firmauerat. Fluit præterea per hæc loca Macheræ fluius, altis quidē ripis, ac prærapido gurgite, nec nisi unico pōte transmeabilis. Suprà pōtem urbs est nomine Sephyra, hanc eodē modo Matho tenebat. Quibus ex rebus accidebat, ut nō modo exercitui Carthaginensium, sed & priuatis quibusq; hominibus præclusus in Africā transitus foret. Quæ cum animaduertet Amilcar, nihil intentatum relinquens, quo exercitum in Africā traduceret, tandem hoc consilio usus fuit. Animaduertat cursum eius fluminis, quod supra memorauimus interdum flante uento ita distineri, ut stagnarentur fere eius hostia, nec multum per id tempus in mare deflueret. Itaq; facilem fore per ea tempora secus mare trāsitum suspicatus, rem nemini pandit, duntaxat quæ exercitui ad pfectionem necessaria erāt, parat. Hinc opportunum ei rei tempus expectat, quod simul atq; aduenit, per noctem cū exercitu profectus, nemine id sentiente, præter fluiuii hostia copias omnes traducit. Orta uero luce, & hostibus, & his qui in urbe erant, tantæ rei miraculo obstupefactis, Amilcar aduersus eos, qui Sephyram custodiebāt, exercitū mouit. Spendius ubi traductas ab Amilcare copias intellexit, rapto confestim agmine in subsidiū suorum proficiscitur. Ita sibi inuicē utriq; exercitus opitulabantur. Erant autē Sephyræ ad decem millia hominū, Vticæ

uero

uero circiter quindecim millia, hi facile a se circumueniri posse Carthaginenses arbitrati, si utriq; aduersus eos proficiscerentur, & sub idem tempus altera fronte, altera tergo hostibus occurrerent, repente cum omnibus copiis profecti, confirmatis animis aduersus Amilcarem tendūt. At Amilcar nihilominus iter persequitur, prima fronte Elephantos habens, deinde equites, ac leuis armaturæ milites, postremo legionarios. Vbi uero hostes ardentius in suos irruentes cernit, subito mutari ordines, ac totum conuerti agmen iubet, ita, ut qui a fronte erant cōuerso itinere de industria, quasi fugam facerent: qui uero postremi incedebant, alia ex parte flectentes, in primā frontē properarent. Quo facto Libyes, qui utriq; Carthaginensibus obuiabant, rati hostes eo tumultu perterritos fugam arripuisse, deserto ordine circa illos funduntur, statimq; ad manus ueniunt. Simulac uero equites sibi appropinquātes, ac reliquas copias cū impetu irruentes cernunt, nouitate rei perterriti, celeriter dissipantur, ac postremo se fugæ cōmittunt. Alii a legionariis militibus, a latere inuadētib; magna cum cæde profligati, alii ab Elephantis, equitibusq; qui post legionarios ruebant, pessundati. Ad sex millia hostiū in eo prælio cecidere, capti circiter duo millia, reliqui fuga accepta, partim ad Sephyrā urbem, nōnulli in castra, quæ circa Vticam erāt, se recepere. Amilcar his rebus felicissime gestis, hostes, qui Sephyrā aufugerāt insecutus, urbē primo aduētū cepit, militibus q; in ea erant, ad oppidū Tunes euestigio fugiētib; hinc p; reliquā prouintiā grassatus, pleracq; oppida in potestatē redegit: alia tormētis ac manu militari expugnauit: ex quo factum est, ut Carthaginenses, qui paulo ante nullā rebus suis relictam spem cernebant, pristinū robur audaciæq; resumerent. Matho per id tēpus Hipponem obsidebat. Hic Spendio, & Autarico Gallorū Ducipluaserat, ut hostes insequerētur, & plana quidē loca, ob Elephatorū equitumq; hostiliū multitudinem euitarent: radices uero montium tenerent, neq; ab hostibus, ob multa quæ accidere poterant, longe secederent. Præterea Numidas, Libyesq; frequentibus nuntiis sollicitabat, monens atq; orans, ut sibi præsidium ferrent, neq; paterētur tam opportuna, ad libertatem Africæ tempora in irritum labi. Spendius igitur sex ueteranorum millibus ex omni multitudine, quæ apud Tunes erat, assumptis, per radices montium, non longe ab hostibus castrametabatur, habebat præterea una Gallos, qui sub Autarico militabant. Erant hi circiter duo millia hominum: nam reliqua Gallorum multitudo, bello Siculo, Romanis Eurycen obsidentibus, ad eos transfugerat. Cum interea Amilcar in quadā planitie undiq; montibus circūseptus, cū omni exercitu moraretur, auxilia Numidarum, Afrorumq; magna multitudine

E iiii

Spendio superuenire. Quo factum est, ut exercitus Carthaginensium tribus undiq; hostium castris cingeretur, a fronte Afri, a tergo Numidæ, ab latere Spendius imminebat. In tam iniqua conditione, maxima diu Amilcarem dubitatio tenuit, quid sibi agendum foret. Erat per id tempus inter Numidas Narua quidam nobilitate generis clarus, ac in primis manu promptus, is semper Carthaginensibus affectus fuerat, & tunc in primis Amilcaris uirtutem admirabatur. Quamobrem opportunum tempus adesse ratus, quo amicitiam cum Amilcare iniret. In eius castra proficiscitur, habens secum Numidas circiter centum. Cunctis iam prope foret, audacter constitit, colloquium manu petens. Amilcar eius uiri audaciam admiratus, unum ex equitibus ad eum mittit. Ille iccirco se uenisse dicit, ut Ducem alloquatur. Amilcare adhuc dubitante, neq; id credente, Numida equum, atq; hastam iis, qui secum erant, tradit, ipse intrepidus ad Amilcarem proficiscitur. Cuncti admirabantur, obstupebantq; tantam unius Numidæ audaciam. Tandem uero in colloquium uocatus, narrat sese omnibus Carthaginensibus mirifice affectum semper fuisse, Amilcaris uero amicitiam iam pridem summopere optasse, proinde adesse nunc sese nunquam Duci defuturum, sed omnibus in rebus sua omnia cum illo sine fraude communicaturum. Ea re audita Amilcar, tantam animo letitiam concepit, tum ob audaciam adolescentis, quod adeo intrepide ante eius conspectum profectus fuerat, tum ob simplicitatem qua inter loquendum fuerat usus, ut non modo eum rebus suis socium adiunxerit, sed & filiam se ei in uxorem traditurum iureiurando affirmarit, dummodo fidem Carthaginensibus seruaret. Post hæc Narua ad suos reuersus, postridie cum duobus millibus Numidarum, qui sub eo erant, ad Amilcarem transit. Ea manu militum Carthaginensibus addita, Amilcar iam cum hostibus dimicare ausus fuit. Spendius item auctis suorum uiribus, aduentu Afrorum ac Numidarum, exercitum in loca æqua deducit, ac sine mora cum hostibus congregitur, fit atrox prælium. Tandem Carthaginenses, & multitudine Elephantorum freti, & Narua egregie operam nauante, uictores in eo prælio fuere. Autoricus & Spendius desperatis rebus, fugam arripuerunt, ex reliquis ad decem millia hominum in prælio cæsi, capti uero circiter quatuor millia. Post id prælium, Amilcar captiuis omnibus, qui secum militare uellent, licentiam concedit, armaq; ex defunctorum hostium spoliis præbet. Cæteros uero ad se uocatos hortatur, ne post hæc arma aduersus Carthaginenses moueant, se omnium, que usq; in eum diem patrarant, impunitatem concedere, proinde si uelint, licere unicuiq; in patriam reuerti. Per idem tempus conducti milites, qui Sardiniam custodiebant, Mathonem ac Spendium

dium imitati, Carthaginenses omnes, qui in insula erant, inuadunt, Bostarum Ducem, ac reliquos, qui cum eo erant, in arcem adductos, paulo post obtruncant. Annone rursus duce in Sardiniam cum nouis copiis misso, conducti milites, confestim simul cum ueteranis, contra eum conspirant, & mox excruciatum cruci affigunt. Post hæc dignam tam atroci scelere poenam ueriti, Carthaginenses omnes qui in insula morabantur, passim interfecere, oppidisq; omnibus atq; arcibus positi, ipsi post eundem diem insulam tenuere, donec orta inter se, ac Sardinie populos seditione, ab illis expulsi, in Italiam uenerunt. Per hunc modum Sardinia a Carthaginensibus defecit insula, & magnitudine & multitudine hominum, & omni fructuum genere excellens. De qua quoniam multi ante nos scripsere, non duximus necessarium ea repetere, quæ a multis tradita, omnibus notissima sunt. Matho ac Spendius, & una Autoricus, Gallorum Dux, ueriti ne Amilcaris benignitas, in dimittendis captiuis, præsertim oblata impunitate apud Libyes, cæterosq; conductos milites præualeret, crudele aliquod facinus machinari conabantur, quo multitudinis animos a Carthaginensibus omnino alienos faceret. Igitur contionem aduocare iubent, quo simulac omnis multitudo conuenit, tabellarius quidam cum literis adducitur, ueluti nuper ad eos, ex Sardinia missus. Tenor literarum fuit, ut Gestonem, cæterosq; captiuos diligenter custodirent: esse enim in exercitu non nullos, qui Carthaginensium gratia, liberationem illorum querant. Spendius huiusmodi occasionem nactus, primo hortatur milites, ne simulatae Amilcaris clementie, in dimittendis captiuis, fidem adhibeant: non enim iccirco eos dimisisse, quo saluos esse cuperet, sed ut per illorum dimissionem omnium simul potiretur: neq; de aliquibus, sed de uniuersis supplicium sumeret. Præterea admonet, ut Gestonem, & cæteros Carthaginenses diligenter obseruent, neq; abire per negligentiam permittant. Nam si aliter fecerint, statim sese, & hostibus contemptui futuros, & in rebus gerendis maxima incommoda subituros. Etenim quis dubitet, si tam egregius dux, tanq; præstans in re militari ex eorum manibus per seordiam dilabatur, confestim uniuerso exercitui suo eundem inimicissimum fore? Adhuc eo dicente, alter a Tunete tabellarius aduenit, eiusdem plane sententiæ literas afferens, quibus in contione recitatis, Autoricus Dux Gallorum assurgens, Vnam inquit, salutis uiam sese rebus suis prospicere, si omnis spes, quam in Carthaginensibus habeant, præcedatur, quamdiu quis ad illorum benignitatem respexerit, fidum in bello socium esse non posse: itaq; illis maxime credere oportere, illos audire, illis mentem adhibere, qui acerbissima contra Carthaginenses consulerent: qui uero aliter suaderent, perditores atq; hostes iudicandos esse,

Hæc cum dixisset, hortatur, suadetque, ut Gestonem, ac cæteros, qui cum eo in uinculis erant, item Carthaginenses omnes, qui postea capti foret, grauius ex cruciatis necent. Erat hic maximæ in contionibus authoritatis, quæ eius oratione plurimi intelligebant. Nam homo longo tempore militiæ assuetus, Punica lingua utebatur, quæ iam ob diuturnitatem eius belli omnibus fere notissima erat, igitur oratio eius fauore militari excepta a multitudine laudatur. Verum multis, ex singulis quibusque nationibus simul euntibus, consultantibusque inter se optimum fore, ut duriora illa supplicia tollerentur, præsertim in Gestone, cuius multa erga se beneficia extabant, nihil prorsus quod ab illis diceretur, intelligi poterat, utputa multis simul, & singulis propria lingua consulentibus. Cum uero tandem constaret, eos supplicia Carthaginensium deprecaturus, seditiosus quidam, qui tum forte aderat, sublato clamore, iniice, inquit, quo uerbo, continuo omnes uno impetu a multitudine lapidibus obruuntur, adeo, ut paulo post eos, ueluti a feris laniatos propinqui eorum extulerint. Post hæc Gestonem, & reliquos captiuos, qui numero septingentierant, extra uallum producunt, ibi a Gestone incipientes, quem paulo ante ex omnibus Carthaginensibus, ueluti de se optime meritum, rerum suarum arbitrum elegerant, singulorum manus præcidunt, membra dilacerant, & ad extremum fractis cruribus, adhuc uiuos in scrobem quandam coniiciunt. Carthaginenses supplicio suorum ciuium cognito, quid agerent, non habebant, duntaxat quod in eis erat, supra modum affligebantur, ac tantam urbis ignominiam, tantam suorum ciuium calamitatem deplorabant. Denique ad Amilcarem, atque Annonem alterum Carthaginensium Ducem legatis missis rogant, obtestanturque, ne tantam in ciues suos crudelitatem inultam relinquat. Caduceatores præterea, qui defunctorum corpora ad sepulturam petant, ad crudelissimos hostes transmittunt. Illi non solum cadauera eis negant, uerum etiam Carthaginenses admonent, ne post hæc caduceatores ad se mittant, neque etiam legatos: si secus fecerint, idem de illis, quod nuper de Gestone, supplicium sumptum iri: quod reliquum sit, sese unanimi consensu iam diu constituisse, fixumque animis tenere, ut quicumque e Carthaginensibus in potestatem suam ueniant, duris affecti suppliciiis necentur: qui uero ex Carthaginensium sociis capiantur, eos præcis duntaxat manibus Carthaginensium remittant. Quam postea rem diligentissime obseruarunt, quo fit, ut si quis hæc recte intueatur, non dubitet affirmare, non modo corpora hominum, & quedam in illis ulcera ita interdum crudescere, ut sanari nullo modo possint, sed id longe magis humanis animis accidere. Ut enim in ulceribus euenit, ut si illis medicamentum curandi gratia adhibeas, ulcus ipsum

eius ipsum uel medicaminis refricatum augetur. Si uero curam eius negligas, longe magis sua ipsius natura extenditur: neque prius desinit, quam omne subiectum corpus corruptum, labefactumque sit. Ita animis quoque con similes interdum morbi ac tabes accidunt, ut nullum ex reliquis animalibus homine atrocius, atque efferacius fiat: cui si interdum ueniam, aut impunitatem aliquam concesseris, aut aliter benignitate eum fueris persecutus, id omne dolum, fraudemque existimans deterior fit, & erga beneficum longe magis infidus: si uero te contra opposueris, nihil est adeo durum, crudele, nefarium, quod non facile aggrediatur, laudem sibi eam temeritatem existimans, donec ad extremum omnino efferatus animus humanam naturam exiit. Quarum rerum initium, ac sane maiorem partem mali mores afferunt, & deprauata a teneris annis educatio. Ad ditamenta postea multa sunt, sed in primis auaritia Ducum, atque crudelitas, quæ omnia ea tempestate & multitudini, & in primis ipsis Ducibus acciderent. Inter hæc Amilcar Annonem, alterum Carthaginensium Ducem ad se uocat, ratus, congregato simul omni exercitu, facilius perducere ad finem res bellicas posse: hostium uero quoscunque, aut tunc captiuos apud se habebat, aut postea in eius potestatem uenire, bestiis obiecit, unam tantum belli dissolutionem uidentem, si aliquando posset hostes radicitus euertere. Per id tempus cum uiderentur Carthaginenses longe meliori spe bellum gerere, subito mutata fortuna, uerti in contrarium res ceperunt: simulac enim in unum Duces conuenere, tanta inter eos dissensio orta est, ut non solum curam persequendi hostes omiserint, sed potius opprimendi se facultatem hostibus præbuerint. Quibus rebus permoti Carthaginenses iussere, ut e duobus Ducibus alter in urbem reuerteretur: alter, quem milites mallent, in exercitu maneret. Accessit adhuc, quod onerariæ fere omnes, quibus ad ferendum in castra frumentum, ceteraque necessaria importanda utebantur, aduersa tempestate correpte, naufragium fecerant. Præterea Sardinia ex qua plurimum subsidii, ad res bellicas habere semper consueuerant, a Carthaginensibus, uti supra diximus, defecerat: & ne quid eorum calamitati deesset, Hipponenses, atque Vticenses, qui soli ex omnibus Africæ populis, non solum in eo bello, sed etiam Agathodis, Romanorumque temporibus continue Carthaginensibus fidem seruauerant: tunc mutata uoluntate, ad hostes defecerunt, Carthaginensesque omnes qui præsidii causa apud illos erant, una cum eorum Ducibus crudelissime interfectos manibus præcipitauerunt: neque eorum cadauera petentibus ad sepulturam ciuibus, reddere uoluerunt. His rebus elati Matho ac Spendius, ipsam Carthaginem obsidere aggrediuntur, Amilcar tunc Annibalem Cartha-

ginensium Ducem collegam habebat, hunc enim miserant Carthaginenses repulso a cura belli Annone per milites, quibus in dissensione Ducem data fuerat populo potestas, quem uellent retinendi. Cum hoc igitur & Narua coniunctus per prouinciam discurrebat, praecidens undique hostibus comitatum, maximam enim, cum in hac, tum in caeteris rebus praesentia, natura uel operam nauabat. Carthaginenses undique ab hostibus circumuenti, confugere ad socias ciuitates cogebantur, quibus per ea tempora Hieron Syracusanus magna submisit auxilia, suppeditatis omnibus quae a Carthaginensibus petebantur. Si quidem salutem illorum plurimum rebus suis conducere sibi persuaserat, & ad imperium in Sicilia, & ad amicitiam cum populo Romano conseruandam, ne Carthaginensibus omnino oppressis, liceret Romanis omnia, quae collibuisse, ne mine contradicente, perficere: prudenter sane atque astute, nunquam enim huiusmodi res contemnendae sunt, neque permittendum cuiusquam principatum in tantum crescere, ut neque de manifesta iusticia apud eum dubitare liceat. Romani quoque foedere cum Carthaginensibus astricti, nihil industriae, quo minus omnem illis opem praestarent, praetermiserunt. A principio enim orta inter utrumque populum quaedam dissensio fuerat ex huiusmodi causis. Carthaginenses cum primum obsideri ciuitas coepit, circiter quingentos homines, qui ab Italia questus gratia nauigantes, frumentum in castra hostium deferabant, capi, & in carcerem conici fecerunt. Eam rem grauer, & iniquo animo populus Romanus tulit. Verum cum paucis interiectis diebus, ob eam rem legatos Carthaginem misissent, Carthaginenses benigniter omnes, qui in uinculis erant, dimiserunt: quae res usque adeo grata Romanis fuit, ut confestim captiuos omnes Carthaginensium, qui ex bello Siculo apud eos remanserant, sine pretio liberauerint, semperque post eum diem Carthaginensibus subsidium petentibus, dederunt: mercatoribus, qui sub eorum imperio erant, ut frumentum Carthaginem exportarent, permiserunt: contra uero ferre in castra hostium comitatum omnibus prohibuerunt. Praeterea quo tempore ueterani, qui in Sardinia erant, a Carthaginensibus defecere, missos ad se legatos, qui insulam populo Romano traderent, audire noluerunt. Uticenses uero paulo post, se ac sua pari modo illis dedentes respuere, nullaque in re transgredi leges foederis uoluerunt. Carthaginenses talibus amicorum praesidiis subleuati, obsidionem tolerabant. Mitho uero ac Spendius non minus obsidebantur, quam obsidebant: siquidem in tantam rerum necessariorum penuriam, eos Amilcar adduxerat, ut tandem coacti fuerint obsidionem dissoluere. Interiecto tempore optimis quibusque ex omnibus copiis, militibus delectis, & quinquaginta

millibus

millibus hominum, simul congregatis, confestim contra Amilcare contendunt. Caeterum planitiem ob Elephantorum atque equitum, qui sub Narua erant, multitudinem semper uitabant, loca duntaxat edita, ac non facile peruia praecipitare nitentur. Quo tempore, & si uiribus atque audacia haud quaquam inferiores erant hostibus, ob imperitiam tamen rei militaris saepenumero a Carthaginensibus superabantur: tum denique recte discernere licuit, quantum inter peritiam Ducis, ac temeritatem imperitiae multitudinis interesset. Nam cum per singulos dies praelia committerentur, Amilcar nil temere, nil imprudenter gerendo, Spendii audaciam domuit. Nonnunquam enim simulata fuga in insidias praecipitem traxit, interdum ex improviso hostes aggressus magnum eis terrorem iniecit. Quicumque uero uiui in eius potestatem uenire, feris laniandos obiecit: tandem castris circum copias hostium positus, in locis, hostibus quidem prorsus incommodis, Carthaginensibus uero commodissimis, eo difficultatis eos adduxit, ut neque pugnare cum hostibus metu equitum, atque Elephantorum auderent, neque fugere tuto possent, fossa undique ac uallo circumsepti, & ad extremum fame coacti, suis inuicem corporibus uelcerentur, Diis eam ultionem dignam sceleribus, quae in proximos patrarant, inferentibus. Igitur neque ad manus cum hostibus ueniebant, cum & uictoria Carthaginensium, & genus supplicii in aperto forent: neque de foedere mentionem faciebant, cum nullum misericordiae locum sibi relictum ob superiora scelera intelligerent. Praesidium duntaxat a Tunete singulis diebus expectantes omnia tolerabant. Postquam uero & captiuorum, & ministrorum corpora crudelissime absorpta, hoc enim alimento diutius usi fuere, incerto consilio inter angorem famis, ac formidinem supplicii fluctuabant, tandem uero adire hostes, ducemque de foedere alloqui decreuerunt. Misso igitur Caduceatore, petunt, ut liceat legatos ad Amilcarem mittere: cum id impetrassent, legati ad Ducem ueniunt, cum quibus Amilcar ita paciscitur, ut liceat Carthaginensibus decem ex hostibus, quos uelint eligere, reliqui cum singulis tunicis abire impune possent. Id cum firmatum inter eos esset, Amilcar inquit, eos sese, qui praesentes erant, secundum pactiorem eligere. In hunc itaque modum Spendius & Autaricus, alique exercitus primores Amilcari traduntur. Libyes, ubi captos eorum Duces intellexerunt, rati fidem a Carthaginensibus fractam, quod eius pactiorem ignari fuerant, captis armis in parte castrorum se tutabantur. Eos Amilcar Elephantis, ac reliquis copiis aggressus continuo oppressit, omnesque qui supra quadraginta millia hominum erant, trucidauit, iuxta locum, quem Serram uocant, a similitudine instrumenti, quod hac appellatione in praesentia notatur, ita ap-

F

pellatum. His rebus gestis, Carthaginienses, qui pauloante desperasse de salute uidebantur, confirmare animos, ac uires aliquantisper resumere coeperunt. Amilcar, & una cum eo Narua, atq; Annibal per prouintiam urbescq; discurrunt. Hinc magna Afrorum multitudine in Carthaginiensium partes conuersa, multisq; receptis urbibus, Tunes exercitum ducunt, Mathonem, ac caeteros, qui cum eo erant, obsidere adgrediuntur. Ab eo latere oppidi, quod ad Carthaginem spectat, Annibal castrametabatur: Amilcar uero ad eam partem, quae huic opposita erat. Hic adducto Spendio, caeterisq;, qui in uinculis erant, omnes in conspectu hostium crucibus sustulerunt. Matho interea digressis hostibus, cum conspiceretur Annibalem temere nimium, atq; imprudenter in castra cum exercitu redeuntem, haud praetermittendam eiusmodi occasionem ratus, facto in Carthaginienses impetu, plerosq; eorum interficit, reliquos fugat, castra depopulat, impedimenta omnia diripit, Dux ipse Annibal uiuus capitur: hunc euestigio ad crucem Spendii tractum diuersis affectu supplicii, illius corpore deposito uiuum eidem cruci affigunt. Triginta praeterea ex nobilitate Carthaginiensi uiros circa Spendii corpus crudelissime trucidant, fortuna utrinq; uicissim facultate ulciscendi se praebente. Amilcar nec satis propere eruptione hostium intellexit, ob distantiam castrorum: nec postquam intellexit, ferre auxiliu potuit, ob locorum difficultate. Quamobrem Tunete profectus, exercituq; ad Macheram fluum ducto, iuxta fluminis ostia secus littus castrametatus est. Carthaginienses clade suorum praeter spem accepta, rursus rebus suis diffidere coeperunt, sed statim ad se reuersi, saluti ciuitatis omni conatu incumbunt. Triginta Senatores ad Amilcare legatos mittunt, cum his Andonem priorem ducem, nouo delectu iuuentutis facto, proficisci iubent: Senatoribus mandant, ut priuatas Ducum similtates omnino dissoluant, cogantq; eos communi consilio bellum gerere, acerbitem temporum, & praesentis rei necessitudinem ante oculos ponant. Senatores congregatis simul Ducibus, post multos uariosq; sermones, tandem Annonem, atq; Amilcarem ignoscere sibi inuicem, & parere Carthaginiensibus cogunt. Ita posthac omnia communi duorum Ducum consilio administrabantur. Quapropter bellum aduersus Mathonem gerentes post multos casus, quos & apud Leptem oppidum, & aliis in locis habuere, tandem excomposito decernere cum hostibus statuerunt. Vtrique ad hoc alacres ueniebant. Igitur socios omnes conuocant, copias undique contrahant, praesidia etiam ex ipsis urbibus educunt, tanquam de omnibus rebus uno tempore dimicaturi. Postquam ex utraque parte omnia ad pugnam instructa, parataq; erant, excomposito se inuadunt

se inuadunt. Fit atrox praedium, ad extremum uictoria penes Carthaginienses fuit. Hostium magna pars inter certandum caesi: reliqui ad propinquam quandam urbem confugiētes, non longe post se Carthaginiensibus dederunt. Vticenses duntaxat, atq; Hipponenses conscii perpetrati a se sceleris, neque ullum ueniae aut misericordiae locum sibi relictum putantes, in pertinacia permanserunt. Usque adeo omnibus in rebus plurimum mediocritas potest, praestatq; nihil sponte uideri affectasse, quod cuique intolerabile futurum sit. Ad extremum Amilcare, atq; Annone quam proxime eos castra mouentibus sublata omni spe, dedere sese, atq; ea pacisci, quae Carthaginiensibus uiderentur coacti fuere. Per hunc modum finis Africo bello impositus, ita prospero Carthaginiensium euentu, ut non solum omnem Africam recuperarint, uerum uniuersos rebellionis principes meritis tandem suppliciis affecerint. Siquidem Matho, reliquique captiui in triumphum a iuuentute Carthaginiensi per urbem ducti, dignas tandem sceleribus suis poenas luere. Tribus fere annis, & quatuor mensibus id bellum durauit, omnium, quae nos audiuerimus, crudelitate ac omni scelerum genere maximum. Romani ea tempestate suasionibus militum, qui e Sardinia ad eos transfugerant, pellecti, nauigare in insulam pergebant. Caeterum Carthaginiensibus id aegreferentibus, quod ad se potius spectare insulam dicebant, & iam copias, quas in Sardiniam mitterent, parantibus Romani, eam iam nacti occasionem, bellum illis indixere, querentes eum belli apparatus, non tam contra Sardiniam, quam contra se ipsos fieri. At Carthaginienses, quod se per id tempus minime idoneos esse ad bellum denuo cum Romanis gerendum intelligebant, cedentes tempori, usque adeo omnes belli causas auertere conati sunt, ut non modo insulam reliquerint, uerum etiam mille & ducenta talenta, ne se in praesentia bello infestarent, Romanis miserint. Haec igitur ita gesta fuere.

POLYBII HISTO-

RIARVM LIBER SECVNDVS,

Nicolao Perotto Interprete.



Vperiori libro exposuimus, quādo Romani compositis Italię rebus exterarum nationum res aggredi cœperunt, quomodo in Siciliam nauigarūt, quas ob causas pro hac insula bellum cum Carthaginensibus gesserūt, quo primum tēpore nauales copias pararunt, & breuiter, quęcūq; in hoc bello utriq; ciuitati usq; ad finem accidere, in quo Carthaginēses quidem prorsus Sicilia excesserūt, Romani uero omnē insulam præter ea loca, quę Hieron Syracusanorū Rex tenebat, imperio suo adiecere. Hinc a nobis commemoratum, quo pacto orta inter Carthaginenses, & cōductos eorū milites, seditione bellū exarsit, quod Africanū nominatur, & quo tandē inaudita hominū crudelitas euasit: postremo quē finē eiusmodi res habuere. Nūc uero quę hæc secuta sunt summam conabimur p̄scribere, singula quęcūq; quę admodū initio p̄posuimus, attingentes. Postquā Carthaginenses Africę res cōposuere, cōfestim Amilcarē cū exercitu in Hispaniā mittunt. Hic cū omnibus copiis p̄fectus Annibale filio comite, qui tum fere nonū etatis suę annum agebat, supatis columnis Herculis Hispaniæ partē Carthaginensibus recuperauit. In iis locis annos circiter nouē cōmoratus, multis Hispanię ciuitatibus bello subactis, plerisq; etiā pactā salute atq; impunitate bonorū, in fidem Carthaginensiuū receptis, dignam tandē rebus a se gestis mortem obiit. Siquidem aduersus atrocissimos uiros, ac potentissimos populos bellum gerens, & maximis quibusq; periculis, intrepide sese, ac cum summa omnium admiratione subiiciens extremum uitę diem morte cōfecit. Carthaginenses exercitui Asdrubalem Amilcaris locum præfecerūt. Romani per id tempus in Illyrium, atq; eas Europę partes cum exercitu transfretarunt: quę res diligenter animaduertenda est ab iis, qui uere & propositum nostrum, & originem atq; incrementum Romanę potentię intelligere student. Eiusmodi igitur transfretatio ob tales quasdam causas facta est. Agron Illyriorum rex Pleurati filius fuit, hic equestres, pedestresq; copias longe plures habuit, q̄ quispiam cæterorum regum, qui ante eū in Illyrio regnauerant. Atqui mercede a Demetrio Philippi patre corruptus, Midioniis, q̄ ab Aetolis obsidebant, subsidium

subsidium tulit. Aetoli em̄ cum nullo pacto persuadere Midioniis potuissent, ut suis institutis ac legibus uterētur, tandē uiribus aggredi eos cœperunt, positisque circa urbem diuersis in locis castris, eam obsedere, omnem uim atq; machinam adhibētes, quo urbe potirentur. Ceterum cum interea comitiorum dies aduenisset, essetq; dux alter exercitui præficiendus, obsessorū rebus adeo iam extenuatis, ut nihil aliud, q̄ de ditione cogitare uiderent. Asdrubal Aetolos adit, atq; æquum, inquit, esse sese, qui tot labores periculaq; in ea obsidione perpessus fuerat, fortunis quoq; hostium, si uincerentur, atq; armis potiri. Fuere eā tempestate complures, ex iis præsertim, ad quos peruenturus eiusmodi magistratus uidebatur, qui eam conditionem moleste ferentes, multitudinē rogarunt, ne quid noui decernerent, sed rem omnem integram ei, quę fortuna uellet, reseruarent. Tandem ab Aetolis decretum, ut quicumq; urbis potiretur, prædam omnē, fortunas atq; arma cum Asdrubale diuideret. Cum hæc ita se haberēt, essetq; postridie comitiorum dies, quo pro consuetudine Aetolorum prior dux a magistratu renouendus, nouusq; creandus erat, per noctem circiter centum Lembis Midioniam, ad loca urbi uicina nauigarūt. In his erant Illyriorum decem millia, ubi ad portum uentum est, ac iam dilucescere dies cœpit, cum maturato gressu in terrā descendunt, & more solito aduersus Aetolorum copias cohortes agunt. Aetoli aduentu eorum cognito, etsi nouitas rei, atq; audacia Illyriorum, omnium simul corda, mentesq; perstrinxerat, animis tamen iam longo tempore elati, & propriis consiliis uiribus, maiorē equitum, atq; armatorū partem ante castra in plano collocant: cū alia quadā equitum atq; expeditorum militum parte loca quædam peropportuna non longe a castris præoccupant. Illyrii impetu repente in expeditos facti, tum ob multitudinem militum, tum quod agmen in medio densissimum erat, sine mora eos expulere: equites uero qui una erant, recipere sese ad reliquum exercitum turpi fuga coegerunt: hinc ex opportunis locis in eos, qui constituti in planitie fuerant, citato agmine irruentes, euestigio omnes in fugam uertunt. Midionii ex urbe profecti eos insequuntur, Aetolorum magnam partem cædunt, alios capiunt, armorum atq; impedimentorum omnium sine controuersia potiuntur. Illyrii peracto regis imperio, impedimentisque, atq; omni præda nauibus impositis, solutis lembis euestigio domum redeunt. Midionii recuperata præter spem salute, aduocatoq; cōcilio, cū de aliis rebus inter se cōsultant, tum in primis de diuisione prædę, armorumq; hostilium, fortuna quasi de industria uim suā ex iis, quę illis acciderant, cæteris quoq; hominibus ostendente: nam quę propediem passuros sese ab hostibus

uerabantur, eadem ipsi iubente fortuna intra paucorum dierum spatium hostibus intulerunt. Aetoli uero eo calamitatis redacti, omnibus documento extitere, nunquam futuris rebus ueluti iam factis confidendum esse, nec spem in iis collocandam, quae euenire aliter possunt, sed continue partem aliquam iis, quae praeter spem accidere ualent, reseruandam, cum omnibus in rebus, quandoquidem homines sumus, tum uel maxime in bellicis. Agron rex, postquam Lembii uictores affuere, cognitis suorum rebus gestis incredibili laetitia elatus, quod Aetolos tantopere uiribus suis confidentes, a suis uictos intelligebat, intempestiuis conuiuuiis, & perpotandi per uigilandiq; insanę dulcedini deditus, in aegritudinem incidit, qua paucos post dies consumptus diem suum obiit. Extincto Agrone in locum eius, Teucam uxorem suffecere, haec regnum per fidem amicorum administrabat, atq; muliebri usa ingenio, & ad illam duntaxat prosperitatem respiciens, nihil autem exterarum rerum cogitans: primum omnibus suis concessit, ut quae priuatim nauigare uellent, depredari quoscumq; impune possent. Post haec parata ingenti classe, eam emisit, oppositam omnem prouinciam sibi inimicam esse Ducibus asserens. Hi primo impetu Elienses, Messeniosq; inuadunt. Quippe eas frequenter regionis Illyrii populabantur. Nam & propter longitudinem maris, & quod mediterraneae erant praecipue earum regionum ciuitates, non facile obuiare Illyriorum incursum poterat. Intrepidi per omnem prouinciam discurrebant, uastabant, diripiebantq; omnia. Per idem tempus cum forte in Epirum proficeretur, exportandi comestus gratia, Phoenicem uenire. Erant tum in ea urbe Galli milites circiter octingenti, qui mercede ab Epirotis conducti, urbem tutabantur. Cum his habito sermone de proditione ciuitatis, haud reluctantibus Gallis in terram descendunt, statimq; & urbe & omnibus, quae intus erant, Gallis iuuantibus potiunt. Epirotae ea re cognita, ex templo cum omni populo suppetias ferunt, & non longe ab urbe iuxta prope qui fluminis ripas castrametant: tabulas, ut ab iis, qui in urbe erant, tuti forent, e ponte dirimunt. Interea cum eis nunciaret, Scerdilaidum cum quinque milibus Illyriorum pedestri itinere per angusta Antigoniae loca aduenire, exercitum diuidunt: partem in Antigonia seruatum ea loca transmittunt, reliqui ibidem securi permanent, perinde ac si nullum ab hostibus periculum metuerent. Illyrii, quos esse in ciuitate diximus, cognita & diuisione exercitus, & negligentia hostium, intempesta nocte urbem exeunt, ponti tabulas imponunt, flumen traiciunt, & munitum natura locum nacti, reliquum noctis quieti pagunt. Vix dies aduenerat, cum instructis utrinque aciebus praedium collatis uiribus caepissent: uictoria penes Illyrios fuit, hostium paucos fuga seruauit, ceteri aut occisi, aut capti. His tot tantisque obsessi calamitatibus Epirotae

rotae, desperata prorsus salute, legatos ad Aetolos atq; Achaeos mittunt, ab iis opem precantur. Illi miserati eorum iacturam, praesidiumq; afferre cupientes, Helicranum proficiscunt. Illyrii quoque, quos Phoenicem cepisse supra memorauimus, cum Scerdilaido coniuncti ad eundem locum uenere: ne longe ab illis castrametati, caepere praedium studebant: sed difficultas locorum id prohibebat, & allatae interim a Regina literae, quibus amputari moras, & reuerti ad se omnes iubebat, quod nonnullae Illyriorum ciuitates ad Dardanos defecissent. Quamobrem depopulati omnem prouinciam, inducias Epirotis concessere, in quibus libera quidem corpora, & ciuitatem eis reliquerunt, multitudinem uero seruatorum, & reliquam omnem praedam adduxerunt ad naues. Ita pars mari, alii terrestri itinere per angustias Antigoniae domum reuersi, non paruum terrorem maritimis Graeciae ciuitatibus reliquerunt. Nam cum munitissimam, potentissimamq; Epirotarum urbem praeter fidem atq; expectationem omnium depredatam cernerent, non iam agris, ut antea, sed sibi ipsis, suisq; ciuitatibus timebant. Epirote rebus suis praeter spem compositis, tantum abfuit, ut uel eos ulcisci coneretur, a quibus iniuriam acceperat, uel iis referre gratiam, qui sibi opitulati fuerat, ut statim missis ad Teucam legatis, societatem cum Acarnanibus, atq; Illyriis inierint. Quapropter Illyrios deinceps secuti Achaeis, atq; Aetolis hostes fuere, non solum ingrati erga beneficos, uerum etiam imprudentissimi rerum suarum ab initio consultores. Nam quod plerique interdum cum homines sint, ex insperato in grauissimas clades incidunt: non tam eorum qui patiuntur, quam fortunae, & eorum qui agunt, culpa euenit: quod uero sponte sese, & per imprudenciam nonnulli calamitatibus obiciunt, apertus eorum qui patiuntur, error est. Ideo si quos in grauiorem aliquem casum fortunae seuitia deductos intelligemus, non solum misericordia persequimur, sed quantum in nobis est, ueniam, opemq; praestamus. Quos uero per imprudenciam aut peruersitatem suorum sibi malorum auctores cognoscimus extitisse, reprehendimus, culpamus, atq; odio habemus. Quod merito Epirotis ea tempestate a caeteris Graecis accidere debuisset. Nam quis adeo rerum expertus, qui non ueritus communem apud omnes de leuitate atq; inconstantia Gallorum famam, urbem nobilissimam, & in qua totius rei summa constituta erat, fidei eorum credere ausus foret? & praesertim eorum Gallorum, qui primo propriis laribus expulsi a suis fuerant, quod infidi fuissent erga cognatos atq; affines: hinc a Carthagine sibus recepti, quod bello a Romanis infestarent. Primo audita defectione conductorum militum, qui sibi deberi stipendia dicebant, depredari Agrigentum urbem fidei eorum commissam coeperunt, numero circiter mille hominum existentes, Dehinc rursus in Erycinam urbem a Carthage

nenſibus præſidii gratia inducti, obſidētibꝯ eam Romanis de proden-
da hoſtibus ciuitate conſilium cœperunt: quod cum eis non ſucceſſiſſet
ad Romanos trãſfugere, a quibus in fidē recepti, ruruſ Erycinę Veneris
templū depopulati ſunt. Romani ſcelere, ac perfidia Barbarorū cognita
cum primum paciſicati cum Carthaginenſibus fuere, inermes nauibus
impoſitos omni Italia expulerunt. Hoſ Epirotæ legum, & Reipublicæ
ſuæ cuſtodes fecere, eorum fidei pulcherrimam ac foeliciffimam ciuitatē
credidere. Quis igitur eos non reprehendat: ac omnium ſuorum malo-
rum cauſam ipſoſ ſibi ipſiſ fuiſſe aſſeueret? Magna quippe ſtultitia eſt,
tale præſidium, præſertim Barbarorum hominum in urbem inducere,
quod aut uiribus, aut multitudine magis, quã ciues polleat. Sed hæc de
Epirotarum imprudentia ſatis. Illyrii, & anteaſtis temporibus ſæpe ex
Italia nauigãtes infeſtarant, & ex Phœnice, cum eam nuper urbem cole-
rent, plæricq; interdum a claſſe diuiſi, Italici generis mercatores depreda-
ti erant. Id ante eum diem Romanis ſæpe ad eos relatum contempſerant.
Tunc uero cum plures ſimul de iniuria Illyriorum queſtum ad Senatū
ueniſſent, legatos in Illyrium Caium, & Lucium Coruncanos miſere.
Teuca, cum Lembi e Phœnice incolumes reuertiffent, ſpeciē ac magni-
tudinem prædę admirata, ſiquidem ea urbs inter omnes Epiri ciuitates
foeliciffima erat, auxit contra Græcos animum, ac longe magis belligerã
di ſtudio exarſit. Sed ne quid tum noui tentaret, domesticæ ſeditiones
impediēbant. Cæterum compoſitis in Illyrio rebus, cum Iſſam obſide-
ret, quæ ſola ciuitas uſq; in eum diem in pertinacia durauerat, legati Ro-
manorum ad eam uenere. Quibus dato dicendi, quæ uellent, a Regina
tempore, de iniuriis ſibi illatis diſſerebant, regina ſuperbe nimium, atq;
inſolenter eos audiebat. Cuncq; illi dicendi finem feciſſent, effecturam
inquit ſeſe, ne qua ab Illyriis iniuria publice Romanis hominibus infer-
retur: prohibere uero Illyriis, ne priuatim e mari quam quiſq; poſſit uti-
litatem capiat, haud eſſe Regibus conſuetum. Ad ea Reginae uerba qui
inter duos legatos iunior erat, intrepide quidem magnanimum reſpon-
ſum, ſed non ſatis pro tempore, reſpondit. At quoniam, inquit, Roma-
nis o Teuca optimus moſ eſt, priuatas iniurias publice ulciſcendi, iuuã
dicq; iniuria affectoſ, dabimus operã Diis uolentibus, ut nō longe poſt
regias iſtas cōſuetudines cogaris emendare. Ad hæc regina temere ſane
ac muliebri ingenio eo iracundiæ prorupit, ut neglecto iure gentium, cū
legati reuenterentur, miſerit poſt eos, qui iuniorem illum authorē eiuf-
modi uerborum obtruncarent. Romani, fama tanti facinoriſ in urbem
perlata, extemplo ad belli apparatū intenti eſſe, milites ſcribere, claſſem
edificare, nihil deniq; prætermittere, quod ad ultionem tanti ſcleriſ per-
tineret

tineret. At regina adueniēte uere longe plures quã antea Lembos in Gre-
ciam mittit, eorum pars Corcyram nauigant, alii Dyrrachiensium por-
tum petunt: & dū ſe aque, & cōmeatus gratia eo proficiſci ſimulant, con-
ſiliū capiendæ urbiſ ineunt. Dyrrachiensēſ ſecuri, & nihil prorfus ſuſpi-
cantes, intrare urbē inermes pmittunt, aquæ, & cōmeatus gratia uenire
eos rati. At illi, ubi ſeſe intra urbem admiſſoſ cernunt, nudatiſ, quos in
aquariis urceiſ abſconditoſ geſtauerant, gladiiſ, cuſtodeſ portę obtrun-
cant, porta potiuntur. Hinc ex compoſito irruentibus a littore reliquiſ
magnam moeniorum partem occupant. Ciueſ, & ſi tali, ac tam repētino
caſu nō nihil perterriti fuere, acriter tamen ac forti animo propugnãtes
diu reſtiterūt, tandemq; Illyrii excedere moenibus coacti. Itaq; ui per ne-
gligentiam in periculo fuerant & urbem, & patrioſ laeſeſ amittendi, per
fortitudinem nihil mali perpeſſi, prudentiſ in poſterū rebus ſuiſ con-
ſuluere. Duceſ Illyriorum ſolutiſ extemplo nauibus in altū profeſti,
& cum iſiſ, quos nauigare Corcyram diximus, coniuñcti, omneſ ſimul
maturato itinere obſidere urbem adgrediuntur. Corcyrenſeſ inſperato
malo circumuenti, ne ſuiſ freti uiribus, legatoſ ad Achæoſ, atq; Aeto-
loſ mittunt: præterea ex Apollonia, & Dyrrachio petunt ſubſidium, ro-
gantq; ne expelli ſeſe per ſceluſ natali ſolo a Barbariſ patiantur. Iſ caſum
Corcyrenſium miſerati, decem Achæorū catafractaſ nauēſ muniunt,
ac pauciſ interieſtiſ diebus Corcyram nauigant, ſperãteſ ſeſe primo ad-
uentu obſidionem Barbarorū ſoluturoſ. At Illyrii ſeptē catafractiſ na-
uibus ab Acarnanibus, cum quibus ſocietatē inierant, acceptiſ, Achæiſ
obuiã procedunt, nec longe ab inſuliſ, quaſ Paxoſ appellat, eoſ naſti,
ineunt prælium. Acarnaneſ, & nauēſ Achæorum, quæ aduerſuſ eoſ
pugnabant, æqualeſ erant in certamine, atq; integre in cōgreſſibus per-
manebant, præterq; quod uiri ex ipſiſ pugnanteſ, uulnerabantur. Illy-
rii uero quaterniſ ſimul Lembiſ connexiſ nauēſ hoſtiū implicabant,
& undiq; circumdataſ impediēbant. Hinc in eaſ cum impetu proſilien-
teſ, facile ob multitudinem ſuperabant. Per hunc modum quatuor
Achæorum quadriemeſ ab Illyriiſ captæ, quinqueremiſ una ſub-
merſa cum omnibuſ, qui intuſ erant, inter quos fuit Marcus Cary-
neuſ, uir maximæ apud Achæoſ authoritatiſ, & quandiu uixit, om-
ni officio erga patriam functuſ. Verum, qui contra Acarnaneſ pugna-
bant, ſimul ac Illyriorum uictoriã proſpexere, freti celeritate nauium,
uerterunt terga, & omiſſo prælio, domum incolumeſ remigrarunt. Illy-
riorum multitudo hac uictoria elata, faciliuſ atq; audatiuſ ſolito urbem
obſidebat. Corcyrenſeſ iam omni ſpe deſtituti, tolerata aliquãdiu obſi-
dione ad extremum Illyriiſ ſeſe dederunt, præſidiumq; eorū & Duceſ

præsidii Demetrium Pharium intra urbem accepit. His rebus gestis Illyriorum Duces iterato Dyrrachium reuerſi urbem obſedere. Per idem tempus Conſules Romani C. Fuluius cum claſſe ducentarum nauium, & A. Poſthumius cū terreſtribus copiis Roma profecti. Fuluius Corcyram uenit, ratus adhuc durare eius loci obſidionem, ſed cum ſero ueniſſe ſe intelligeret, Illyriis iam urbem adeptis, nihilominus nauigare in inſulam ſtatuit, tum intelligendi gratia quid actum foret, tum ut ea, quæ de Demetrio ſenſerat, experiretur. Quippe Demetrius, quoniã exhibitum ſibi ab æmulis apud reginam negocium intellexerat, mulieris iram ueritus, miſerat Romam, qui & urbem, & cætera, quorum dominus erat, Romanis pollicerentur. Corcyrenſes igitur aduentu Romanorum hilares facti, conſentiẽte Demetrio, & præſidium Illyriorum, quod intus erat, tradidere Romanis, & urbem, ac poſtremo ſeipſos fidei eorū commiſere, ita demum ſe tutos fore contra ſcelera Illyriorum rati. Romani Corcyrenſibus in amicitiam receptis, Demetrio duce itineris uſi in Apolloniam nauigant. Eodem tempore A. quoq; Poſthumius terreſtres copias Brundiuſio tranſfretabat. Erant circiter uiginꝝ millia pedum, equitū duo millia. Hi ſimul omnes Apolloniam uenere, ſtatimq; urbe in fidem recepta, Dyrrachium nauigarūt, q̄ obſideri ab Illyriis urbem intellexerant. Illyrii aduentu Romanorum cognito, præ timore ſoluta obſidione paſſim fugiunt. Romani Dyrrachio quoq; in amicitiam recepto ad loca magis intra Illyrium nauigant, multis in itinere receptis oppidis. Interea legati e Parthenia, obuiam Romanis ueniunt, ſeſe, & ciuitatem ſuam dedentes. Quibus una cum iis, qui ab Atintanis mittebantur, in fidem receptis, iter uerſus Iſſam faciunt, quod eam quoq; urbem audiuerant ab Illyriis obſideri. Qua ſimili modo diſſoluta mox obſidione, potiti, pleraq; in Illyrio oppida per uim expugnauere, in quibus non ſolum pleraq; milites, uerum etiam tribunos militum aliquos, & queſtorem amiſerunt. Viginti quoq; Illyriorum Lembis potiti, qui cōmeatum uehebant in caſtra. Ex iis, qui Iſſam obſidebant, nonnulli, qui ex Pharo erant, Demetrii gratia ſalui permansere, cæteri omnes proſſigati Narbonem fugerunt. Teuca perquam paucis comitatibus Rhizonem ſe recepit, oppidum ſane munitiſſimū, & procul a mari, in ipſa Rhizonis fluminis ripa ſitum. Poſt hæc Conſules pleriq; Illyriorum ciuitatibus Demetrio traditis, cum claſſe, atq; omni pedeſtri exercitu Dyrrachium reuerterunt. Hinc C. Fuluius cū magna naualium ac pedeſtrium copiarum parte Romam nauigat. Poſthumius uero Dyrrachii commoratus, paratis quadraginta nauibus, & nouo delectu ex finitimis ciuitatibus habito, ſtatiua faciebat, Ardienſes, cæterosq; qui ſe fidei Romanorum

norum tradiderant, ſecum habens. Adueniente uere, Teuca legatos ad populū Romanum miſit, qui de ſcedere agerent. Tandemq; his conditionibus initum ſcedus fuit, ut Teuca quotannis tributum Romanis ſolueret, ut omni Illyrio excederet, pauciſſimis quibuſdã locis exceptis: & quod maxime ad Græcos attinebat, ut nauigare ei deinceps ultra Lyſſum non liceret, niſi cum duobus Lembis, atq; iis inermibus. His peractis Poſthumius ad Acheos atq; Aetolos legatos mittit, qui cauſam belli, & tranſfretationis Romanorum edoceant, reſ geſtas referant, conditiones legant inſiti inter eos ſcederis. Hi pacto cōſulis imperio, ab utroq; populo humaniſſime recepti, ruruſ Corcyram redierūt, magno metu liberatis Græciæ ciuitatibus ob ſcedus cum Illyriis ꝑcuſſum. Quippe ea tempeſtate Illyrii nō aliquorum, ſed communes omnium hoſtes erant. Prima igitur Romanorū cum exercitu tranſfretatio in Illyrium, atq; eas Europæ partes hæc, & ob huiuſmodi cauſas fuit. Poſt id Romani legatos Corinthum quoq; atq; Athenas miſere, quo tempore Corinthi ei uſ belli, quod aduerſus Iſthmios gerebant, participem eſſe populū Romanū uoluerunt. Aſdrubal ea tẽpeſtate, nam hic reſ Hiſpanas ſupra diſmiſimus, incredibili uirtute imperiū Carthaginẽſiũ in Hiſpania aduaxerat, urbẽ cōdiderat, quæ a quibuſdã Carthago, ab aliis Noua ciuitas appellat, ob loci opportunitatem: non ſolū ad reſ Hiſpaniæ, uerũ etiam Africæ cōmodiſſimam: de cuius ſitu, & quã præſtare utriq; prouintiæ poteſt utilitate, alias opportuniorem naçti locū diſſeremus. Romani, cum intelligerẽt uires Carthaginẽſium uſq; adeo in Hiſpania creuiſſe, ne ea quidẽ partem negligendã putauere, ſed ignauia ſuam accuſantes, quod anteaçtis tẽporibus per ſocordiam, quali dormitantes adoleri in Hiſpania Carthaginẽſium nomen ꝑmiſerant, recuperare quod omiſſum fuerat, decreuerunt. Verum mouere in præſentia aduerſus Carthaginẽſes bellum non audebant, ueriti imminentem Romanæ urbi Galloꝝ multitudinem, quorum impetum in diẽs magis formidabant. Quamobrem componere primum cum Aſdrubale de rebus Hiſpaniæ, deinde aggredi Galloſ, & utcuq; ceſſura reſ eſſet, ſubire periculum ſtatuerunt, haud dubii, ſe non ſolum non dominari Italiæ, ſed ne tuto quidem patriam, aut proprios penates tenere poſſe, niſi domitis Gallis. Miſſis igitur ad Aſdrubalem in Hiſpaniam legatis, ꝑcuſſum cum Carthaginẽſibus ſcedus fuit. In quo inter cætera cautum, ne liceret Carthaginẽſibus Iberum fluuium cum armis traicere, per reliquam Hiſpaniæ impune progredi ualerent. His compoſitis extemplo bellum in Italia contra Galloſ mouerunt, quod ſumma tim exponere operæ ꝑcium duximus, quo præparatio ad reliquam

historiam, quemadmodum ab initio proposuimus, dilucidior fiat. Repetemus autem paulo altius ab eo tempore, quo primum Galli obtinuerunt Italiam. Quippe hanc historiam non solum iucundam, ac scitu & memoria dignam, uerum etiā necessariam putauimus, ad intelligendū, quibus postea uiris, aut quibus locis fretus Annibal imperium Romanorum ausus sit inuadere. Primum uero de prouincia dicemus, quis eius situs sit, & quo modo se ad reliquā Italiā habeat. Quippe hoc pacto quæ ad rerum gestarum cognitionem attinent, facilius poterunt intelligi, descriptis primo locorū, aut regionis proprietatibus. Omnis igitur Italia trianguli figurā habet. Latus, quod orientem spectat, Ionio mari, & sinu Adriatico terminatur. Quod uero ad meridianam regionē atque occasum uergit, Siculo & Tyrrhenō clauditur pelago. Hæc latera inuicem copulata, apicem trianguli faciūt propositum Italiæ promontoriū, quod Cocynthum incolæ uocāt, & meridianam plagam spectans, Ionium ac Siculum diuidit mare. Tertium latus, quod ad gelidissimum Septentrionis axem, & mediterranea loca protenditur, terminat continuatio alpium, qua a Massilia, & locis supra Sardoum pelagus sitis incipiētes, usque ad intimum Adriatici maris sinum continue extenduntur, exiguo quodam spatio in medio relicto. Huic lateri, quod terminari alpibus dicimus, & quasi trianguli basem intelligimus, a meridiana regione uersus Septentrionem subiacent campi extrema totius Italiæ, omnis Europæ maximi atque uberrimi. Horum etiam forma triangularis est: apicē trianguli facit Apennini atque alpium copulatio, non longe a mari Sardoo supra Massiliam. Latus, quod Septentrionem spectat, quemadmodum supra diximus, alpes faciunt, quæ ad duo millia & ducenta stadia protenduntur. Latus uero quod ad meridiem uergit, perficit Apenninus, hic ad tria millia & sexaginta stadia protendit. Basigi locū tenet litus ipsum maris Adriatici, eius magnitudo est a Sena urbe usque ad intimum eiusdem maris sinum. Hæc duorum millium, & quingentorum stadiorum spatio continetur. Ita omnis camporum circuitus decem millibus clauditur stadiis. De fertilitate huius regionis haud facile dixerim, ita enim in omnia frugum genera foecunda est, ut sæpenumero nostra ætate modius frumenti siculus non amplius quatuor obolis ueniret, ordeis uero non amplius duobus, dolium uini tantundem. Milii præterea, & farris tanta copia est, ut opinionem hominum superet. Quam uero glandibus abundet, quæ ex nemoribus eius regionis diuersis in locis producuntur, uel id in primis testimonio est, quod, cum infinitam perne porcorum multitudinē Italici generis homines alant, & ad sacrificia facienda, & ad priuatos usus, & ad necessarium exercitiis apparatus: iis omnibus

iis omnibus abunde hæc regio alimentā subministrat. Iam uero quanta particulariū etiam rerum, quæ ad uictum hominū spectant, in ea prouincia copia sit, ex hoc licet intelligere, quod uiatores, cū in hospitia diuertunt, nunquam de rebus, quas sint accepturi, particulatim paciscuntur, quod cæteris in locis fieri consueuit, sed quātum singuli quique homines soluere debeant, cum hospitibus conueniunt. Hi uiatoribus honorifice acceptis, & omnibus ad uictum necessariis abunde subministratis, non amplius, quam siliquam capiunt, hæc oboli tertia pars est, id precium raro excedūt. Hominum uero tanta copia, ea proceritas, ac pulchritudo corporū, tantum in rebus bellicis robur, ut facilius sit id ex eorum rebus gestis, quam ex cuiusquā oratione intelligere. In alpibus ab utroque latere loca montuosa habitant, ad eam partem, quæ uersus Rhodanum & Septentrionem spectat, Galli, qui Transalpini appellantur: ad eam uero, quæ campis imminet, Taurisci, Agones, & alia pleraque Barbarorū genera, a quibus Transalpini, non genere, sed differentia loci differunt: ideo Transalpini dicti, quod trans montes colant. Summa uero Alpium iuga, tum propter locorum asperitatem, tum quia altæ niues premunt terram gelu, & perpetuo pene rigore constrictæ: tantum abest, ut ab hominibus colantur, ut nullum quidem uestigiū extet humanum. Apenninū uero a principio supra Massiliam, ubi cum alpibus coniungit, Lygures colunt: præterea omne id latus, quod mare Tyrrhenum, & campos spectat, uersus mare quidem usque ad Pisanam urbem, quæ prima Tyrrheniæ ciuitas ad occidentem uergit: uersus mediterraneam uero regionem Aretium usque. Post Lygures Tyrrheni habitant, mox utrunque Apennini latus Umbri. Dehinc Apenninus distans a mari Adriatico circiter quingenta stadia dimissis campis conuersis ad dexteram, & per mediam Italiam transiens protendit in Siculum pelagus. Campi uero, qui inter Apenninum & Adriaticum sinum medii sunt, usque ad urbē Senam extenduntur. Padus fluuius, quem Poetæ Eridanum uocant, ortum habens in radicibus alpium, ubi quasi apicem trianguli esse supra memorauius, in planiciem uersus meridiem defluit: hinc sese ad orientē flectēs duobus hostiis prorumpit in Adriaticū sinum. Aquarum multitudine præter cæteros Italiæ omnes abundat. Quippe omnes aquæ, quæ ab Apennino, alpibusque descendunt, in unum coeunt Padialueum. Aestiuo, quam hyemali tempore maior fluit, ob liquecētium niuium multitudinem. Nauigatur a loco, quem incolæ Volanam appellant, uersus alpes circiter duo millia stadiorum. Vbi primum oritur, simplex est: mox in duos alueos diuisus, binis in sinum Adriaticum hostiis erumpit, Padoam, Volanamque incolæ uocant. Volana portum efficit inter omnes maris

Adriatici portus, tutissimū. Padum, eius loci habitatores olim Bodencum uocauere. Multa præterea de hoc fluuio Græci scriptores referunt, utputa Phaetontem ex auriga patris præcipitem in eum decidisse, continuas Heliadum lachrymas, quas deinde arbor referuat, incolas loci ex eo die pullatis uestibus, quas in signum mæstitiæ gestare inceperant, assidue usos, atq; alia plurima, quæ nos in præsentia omisimus, superuacua fore rati ad nostri operis præparationem: posthac cum se locus offerret, quâturna res postulare uidebitur, referemus: præsertim cū Timeum constet ea, quæ ad hanc regionem attinent, ignorasse. Campos omnes, quos Apennino atq; Adriatico mari terminari diximus, olim habitauere Tyrrheni, quo tempore Phlegræos etiã campos, qui circa Capuam & Nolam sunt, tenebant. Cum iis ob uiciniam loci frequenter Galli conuersabantur: hi specie ac fecunditate regionis pellecti, exiguam quandã nacti occasionem exercitū comparant, factoque in Tyrrhenos impetu, finibus expellunt, campos deinceps ipsi tenent. Inter Padum, atq; alpes habitant Lati, mox Lebitii, dehinc ingens Insubrum natio: post nō longe a ripa fluminis Cenomani. Loca uero mari Adriatico uicina antiquum ex Paphlagonia genus colit. Hi Veneti appellati, neq; moribus neq; ornatu corporis, sed tantūmodo lingua a Gallis differunt. Inter Apenninum rursus, & Padū primo Ananes, post Boii, inde Eganæ, postremo Senones, qui iuxta Adriaticum mare extremi omnium Gallorum incoluerunt. Præcipue igitur authoritatis populi ex Gallis, qui in Italia morabantur, hi sunt: uillas habitabant, nullis septas mœnibus, apparatus omnium prorsus expertes erant. In terra super strato gramine dormiebant, uelcebantur carne, bellicas solummodo res atq; agriculturam exercebant, & simplicem uitam uiuentes, neq; scientiis, neq; aliis artibus operam dabant, diuitias suas in auro & pecudibus habebant, q; hæc sola, cum ferret necessitas, quocunq; liberet, facile transferri possent, amicitias comparandis maximum quisq; studium adhibebat. Quippe is maxime pollēs inter eos putabatur, qui factiosis abundaret. Principio duntaxat eam regionem tenebant, postea pleroseq; ex uicinis audacia eorum deterritos, sibi asciuere. Interiectis temporibus, cum bellū aduersus populum Romanum gererent, superatos prælio Romanos, ac turpiter in fugam conuersos persecuti, triduo post inibatam pugnam Roma, præter Capitolium, potiti sunt. Sed Venetis per id tempus, regionem eorum infestantibus, retrocedere coacti, cedere cum Romanis percusso, ac restituta urbi libertate, domum migrarunt. Hinc intestinis inter se bellis uexari cœpere. Nam qui Alpes incolebant, animaduertentes uires istorum, in dies summopere

augeri,

augeri, plerunq; aduersus eos mouebant. Interea Romani instauratis uiribus, res Latinorum cōposuere. Annus erat post captam urbem trigessimus, cum Galli ingenti exercitu comparato Albam reuertuntur. Romani, q; aduentus eorum repentinus fuit, & neq; exercitum cogere, neq; a sociis auxilia conuocare potuerunt, haud quaq; aduersati Gallis fuere. Cæterum post duodecimum annum cum iterum Galli eodem reuertentur, euestigio Romani aduentu eorum cognito, obuiam alacres cum exercitu processere, nihil magis quam dari sibi ab hostibus pugnandi copiam cupientes, quæ de omni imperio uno tempore decerneretur. Galli audacia Romanorum perterriti, simul orta inter se seditione, per noctem terga uertentes, turpi fuga redierunt in patriam, atq; annos tredecim quieti permansere. Postea cum uires populi Romani in dies q; maxime augeri cernerent, de pace agere cœperunt, qua impetrata, ad trigessimum annum quiescere. Iam uero Trāsalpini iterato eos infestare: hi, ne utrinq; premerentur ueriti, per generis affinitatem precari, ne sibi inimici essent, munera præterea opima offerre, ut bellum in populum Romanum conuerterent, hortari, se omnibus uiribus eis affuturos ostendere. Id ubi per suasum illis intelligunt, omnes unanimi consensu aduersus Romanos per Tyrrheniam pfecti (quippe magnus Tyrrhenorum numerus apud eos morabatur) facta ingenti præda domum incolumes reuertuntur. Hic orta inter eos pro diuisione prædæ seditio usq; adeo processit, ut non solum prædæ, uerum etiam imperii magnam partem perdiderint, quod frequenter accidere Gallis consueuit, ob immoderatas eorum crapulas atq; ebrietates. Quarto dehinc anno cū Samnitibus coniuncti denuo Romanos inuadunt, plurimos eorum cædunt. Nō multis interiectis diebus eos iterato adgressi, iuxta Sentinatū regionē prælium ineunt, plurimos obrucant, reliquos ad suam quenq; domum fugere cōpellunt. Post decimum annum cōparato ingenti exercitu, in Hetruriam pfecti, Aretium obsident. Romani Aretinis auxiliū ferentes, nō longe ab urbis mœnibus dimicauerunt. In qua pugna superati Lucio consule amisso M. Curium in eius locum suffecere. Hic statim legatos in Galliam ad redimendos captiuos mittit: qui cum eo peruenissent, uiolato iure gentium, a Gallis interficiuntur. Quo scelere indignati acriter Romani, nouo delectu habito penetrare in Galliam adgrediuntur. Sed parum processum erat, cum eis Senones occurrunt. Hos collatis signis euestigio adgressi superant, magnam partem interficiunt: siqui superauerant, sedibus fugant, regione potiuntur, nouam ipsi in urbem coloniam inducunt, eam ueteri nomine, quod primo a Gallis habitata fuerat, Senam appellant. Est autem ea urbs, quemadmodum supra memorauimus, in littore Adriatici ma-

G ii

ris sita, ubi campi Italiae terminantur. Boii, cum Senones propriis finibus fugatos a Romanis intelligerent: ueriti, ne ipsi quoque idem paterentur, coacto exercitu, Tyrrenisque omnibus in subsidium uocatis, arma aduersus Romanos mouent: nec multis interiectis diebus praeliū ineunt, in quo Tyrrenorum magna pars caesa, Boiorum ad extremum quae paucissimi fugere. Nectamen ob eam stragem cecidere animis, quin proximo anno iterum aduocatis uiribus, collectaque omni iuuentute, quae ad usum armorum apta uidebatur, in Romanos exeunt, ubi adeo fusi, profligatique fuere, ut pene ad internitionem delerentur. Quamobrem mitigtis parumper animis, foedus cum Romanis per legatos percipiunt. Erat, dum haec gerebantur, tertius annus post traiectionem Pyrrhi in Italiam, & quintus post eam cladem, quam Galli apud Delphos passi fuere. Ita ea tempestate fortuna quasi pestis quaedam hostilis in Gallos immissa passim omnes persequatur. Verum enim uero ex iis praeliis, quae supra memorauimus, duplicem utilitatem Romani cepere. Nam & assuefacti dimicare cum Gallis, quorum nomine nihil apud eos tetrius, nihil horribilius esse consueuerat: praestantissimi aduersus Pyrrhum certatores facti sunt, & ita Gallorum audaciam paulatim contriuerunt, ut non longe post securi primo cum Pyrrho de Italia, deinde cum Carthaginensibus de imperio Siciliae dimicauerint. Galli superioribus praeliis uexati, quinque & quadraginta annos quieuerunt, non uiolata pace, quam cum Romanis habebant. Postquam uero senes, qui & conspexerant saepe pericula, & uarias experti fuerant iacturas, naturae concesserunt, insurrexere iuuenes ingenio prauo, rudes, & praeteritarum rerum omnino inexperti. Hi, ut fert natura hominum, confestim nouis rebus studere coeperunt, & quocumque res ferret, infesti Romanis esse, a Transalpinis etiam auxiliū aduocare. Verum id principio duces tantum inconsulta plebe peragebant, quo factum est, ut uenientibus Ariminum cum exercitu Transalpinis, multitudo Boiorum, quae cuiusmodi rerum ignara erat, aduentum Transalpinorum uerita, cum Ducibus suis in dissensionem uenerit, Gallorumque sic regibus interfectis, praelium cum Transalpinis commiserit. Romani quoque ea tempestate aduentu Transalpinorum deterriti, copias eduxerant, sed cum primum Gallorum inter se conflictum audiuerunt, domum iter uerterunt. Quinto dehinc anno M. Lepido Consule, C. Flaminius legem ad populum tulit, ut ea regio Galliae, quam Picenum uocant, unde Senones fuerant expulsi, militibus Romanis diuideretur. Quae res causa extitit, ut nouum bellum statim suscitatum fuerit. Nam plerique ex Gallis, ac praecipue Boii qui proximi Romanis erant, eam rem grauissime indignabantur, rati Romanos iam non amplius de principatu, aut gloria, sed de praeda atque inter-

atque interitu suo certaturos. Boios igitur atque Insubres in sententiam trahunt, communique consilio trans alpes legatione missa Congolitanum atque Aneroestem Gallorum Reges, itemque alios eius prouintiae circa Rhodanum habitantes populos, ac praecipue Gessatas, qui ex eo, quod mercede militare soleant, ita appellantur, adgrediuntur. Hortantur, ut coacto exercitu in Italiam transeant, in praesentia utilitatem belli, in posterum magnitudinem Romanae felicitatis illis ostendunt. Quae sint parata commoda, si uicerint, ante oculos ponunt, simul dant illis fidem se socios belli futuros. Res gestas maiorum suorum in memoriam reuocant, eos non solum praelio fuisse olim Romanos iactant, uerum etiam post praeliū incredibili celeritate urbem Romam cepisse. Dehinc rebus omnibus, quarum ea urbs refertissima erat, positos, cum in ea mensibus septem imperassent, sponte restituto Romanis imperio, integris omnibus fortunis suis foeliciter in patriam reuersos. Haec iactando monendoque, ita reges ipsos, populosque Galliae ad bellum incenderunt, ut neque maior unquam exercitus, neque ex ualidioribus pugnationibusque militibus, neque omni apparatu insignior ex iis Galliae partibus descenderit. Haec ubi Romanam delata fuere, tantus in urbe terror coortus est, ut confestim nouos delectus facere coeperint, commeatum parare, interdum copias ad fines suos educere, uelut iam praesentibus Gallis, qui tamen nondum propriis sedibus excefferant. Quae res non parum Carthaginensibus profuere ad imperium in Hispania propagandum. Siquidem Romani haec, quemadmodum supra diximus, magis necessaria putantes, quam hi populi eorum ceruicibus imminerent, negligere res Hispanas coacti sunt, quoad res Italiae componerentur. Itaque renouato cum Asdrubale duce Carthaginensium, quemadmodum supra memorauimus, foedere, totis iam animis in bellum Gallicum uersi, id unum per id tempus maxime cogitabant, quo pacto aduersus Gallorum impetum resistere possent. Galli coacto circa Rhodanum exercitu, & cum ingenti multitudine hominum superatis tandem alpiibus, in campos qui sunt circa Padum, descenderunt. Cum his confestim Insubres, Boiique magna multitudine coniunguntur. Veneti uero & Cenomani legationibus Romanorum deliniti, amicitiam populi Romani societati Gallorum praetulerunt. Quamobrem reges ob suspicionem eorum partem copiarum Insubribus praesidii gratia relinquere coacti, ipsi cum reliquo exercitu castra uersus Etruriam mouerunt, ducentes peditum circiter quinquaginta millia, equitum uero ac bigarum duo millia. Romani, cum primum superatas a Gallis alpes cognouere, L. Aemylium Consulem cum exercitu Ariminum miserunt, ut illic oppositus hostibus, transitum eorum prohiberet. Unus uero pra-

torum proficisci in Hetruriam iussus, & alter consulum C. Atilius principio cōsulatus sui in Sardiniam cū classe nauigarat. Ciuitas tota mœsta, atq; sollicita erat, nec sine ingenti metu tanti Gallorum conatus expectabantur. Veniebat in mentem uetustæ cladis, & quasi fatalem Romanæ urbi gentem omnes formidabant. Itaq; maximus iam pridem exercitus paratus erat: noui insuper delectus quotidie habebantur, admonuerant socios, ut instructi, paratiq; forent. Præterea ut descriptiones omnium copiarum totius Italiæ ad Senatum referentur, mādauerant, omnem simul multitudinem Italici exercitus nosse cupientes. Frumenti insuper, telorumq; ac ceterarum rerum bello necessariarum tantum apparatus fecerant, quantum nemo ante nostram ætatem meminit. Nec sane ceteri Italiæ populi segniore, adeo enim aduentu Gallorum perterrefacti omnes erant, ut non iam pro Romanis bella geri, neq; pro eorum imperio certari, sed pro sua singuli quicq; salute, pro ciuitate, pro patria existimarent, propterea omnes Italiæ populi libenter Romanis in hoc bello paruerunt. Libet mihi hoc loco apparatus populi Romani, & magnitudinem copiarum, quas ea tempestate habebat, cōmemorare, quo manifeste omnes intelligant, quales, quantasq; res, quibus tunc uiribus adgredi Annibal fuerit ausus, & quibus copiis potentiæ Romanorum oppositus, urbem Romam in tātum discrimen adduxerit. Primum igitur cum Consulibus quatuor legiones urbanæ in expeditionem exiuerant. Harum singulis quinque millia, & ducenti pedites, equites uero trecenti inerant. Habebant etiam iidem consules auxilia sociorum, horum numerus erat triginta millia peditum, equitum uero duo millia. Erant præterea tumultus Gallici causa hæ copiarum paratarum, a Tuscis atq; Sabinis peditum circiter septuaginta millia, equitum uero ad quatuor millia. Hi statim ut Galli transire Apenninum nunciati sunt, uersus Hetruriam missi, atq; eis prætor urbanus præfectus est. Post hos Umbri & Sarsinates Apennini accolæ ad uiginti millia coacti. Veneti item atq; Cenomani circiter uiginti millia. Hi omnes in Apennino consistere iussi erant, ac in Boiorum agros, cū facultas daretur, irrumpere. Has aduersus Gallos copias principio opposuerant. Erant præterea in urbe Roma paratarum aliarum copiarum, quæ præsidiorum gratia tenebantur, & si quid subitaneum accideret, iussa Senatus expectabant. Romanorum uiginti millia peditum, equites uero mille & quingenti, sociorum autem triginta millia peditum, equitum duo millia. In tabulis uero relatæ erant copiarum Latinorum octuaginta millia peditum, equitum quinque millia, Samnitium septuaginta millia peditum, equitum septem millia. Lapigum ac Melapiorum peditum quinquaginta, equitum uero sexdecim millia.

Luca

Lucanorum peditum triginta, equitum tria millia. Marforum autem, & Marrucinatorum, ac Ferentanorum, & præterea Vestinorum peditum uiginti, equitum quatuor millia. Erant quoq; per id tempus in Sicilia, & circa Tarentum legiones due præsidii gratia cōstitutæ. Harum singule habebant peditum quatuor millia, & ducentos, equites uero ducentos. Insuper Romanorum ac Campanorum multitudo erat circiter ducenta & quinquaginta millia peditum, equitum uiginti tria millia. Ita omnium copiarum, quæ Senatui, populocq; Romano subiectæ erant, numerus fuit peditum supra centum & quinquaginta millia, equitum uero circiter sex millia. Omnium autem simul ex tota Italia armatorum numerus septies centena millia peditum, equitum ad septuaginta millia. Aduersus quos Annibal uix uiginti millia hominum habes in Italiam ausus est irrumpere. Sed de his alias latius. Galli tandem superato Apennini iugo, in Hetruriam descenderunt, omnia ferro igniq; uastantes. Cuncti iam circa urbem essent, quam Clusium appellant, distatq; ab urbe Roma non amplius trium dierum spatio, nunciatur eis, Romanorum copias, quas præsidii gratia in Hetruriam collocatas diximus, simul conuenisse, ac se insequi. Quo nuncio accepto Galli, euestigio iter in Romanos tumultuosius cōuerterunt. Cuncti in conspectu essent, iam occidente sole, sua utriq; castra muniuere. Obortis deinde tenebris Galli, erectis de more ignibus equitatum omnem in castris relinquunt, iubentes, ut cum prima luce postq; hostibus cōspicui fuerint, iter post eos arripiant. Ipsi occulta fuga cum omni multitudine peditum Fesulas uersus iter faciunt, eo consilio, ut simul equites suos reciperent, simul insequentes hostes circumuenirent. Romani sub prima luce Gallorum equites tumultuosius abire conspicati, fugam & trepidationem existimantes, raptō post eos agmine, incautius feruntur. Quos simul atq; nacti fuere, cōuersantibus undiq; excomposito Gallis, atrox initum est certamē. Tandem Gallis numero atq; ferotia animi longe præstantibus, Romanorum circiter sex millia in ea pugna cecidere, reliqua omnis multitudo salutem pedibus quesuit. Eorum magna pars recepit sese in tumultum, situ atq; natura loci munitum. Hos principio Galli obsidere adgressi, sed quoniam & transactæ noctis uigiliis, & eius diei labore cōfecti erant, ad curanda duntaxat corpora uertuntur, relicto ibidem præsidio equorum, qui diligenter tumultum custodirent, eo pposito, ut nisi postridie se sponte dederent, totis uiribus eum locum expugnarent. Per idem tempus L. Aemilius Consul quem Arimini cum exercitu fuisse memorauimus, cognito Gallorum in Hetruriam transitu, & quod uersus urbem Romam cū exercitu properarent, præsidium ferre sociis maturat. Cuncti iam supatis Apennini saltibus

G iiii

non longe ab hostibus castra posuisset, qui ad tumulum confugerant, cognito aduentu Consulis, id enim per nocturnos ignes intelligebatur, auctis confestim animis, quosdam e suis inermes per propinquam syluam ad eum mittunt, a omnem rei gestae seriem nunciant. Consul in tanto sociorum periculo minime cunctandum ratus, Tribunis militum mandat, ut cum prima luce pedestres copias educere maturent, ipse cum equitatu praecedens, iter uersus tumulum facit. Gallorum quoque Duces ex nocturnis ignibus, aduentum Consulis coniectari, contionem aduocarunt, ut quid agendum foret, communi consilio decerneretur. Tum rex Aneroestes, stultum esse, inquit, antequam tantum praedae abigant, incredibilis enim multitudo hominum, ingensque omnium rerum copia in Gallorum potestatem deuenerat, tempus cum hostibus terere, & res iam a se acquisitas in ambiguo ponere. Proinde primo in patriam reuertendum, relictisque ibi sarcinis atque impedimentis, Hetruriam denuo, si uideatur, repetendum, ut praelium aduersus hostes expediti committant. Id consilium Aneroestis cum omnibus placuisset, Galli ante lucem signa mouentes, onusti omnis generis praeda per littus inferi maris Galliam repetebant. L. Aemylius consul susceptis copiis, quae in tumulum confugerant, Gallos cum exercitu persequabatur. Non enim pugnare exposito cum tanta multitudine conducere rebus suis existimabat, sed commoditatem aliquam loci aut temporis opportunitatem censebat expectandam, qua uel hostes terere, uel abactam recipere praedam ualeret. Per idem tempus C. Atilius alter Consul, qui nuper ex Sardinia cum exercitu Pisas uenerat, expositis in terram copiis, contrario quam Galli itinere per littus inferi maris Romam uersus ductabat exercitum. Atqui iam Galli non longe aberant a Telamone Tusciae ciuitate, cum quidam ex eis, qui exercitum antecedeabant, in Romanos ex improviso incidentes, captique rem omnem Consuli exposuerunt, non longe abesse Gallos nunciantes, Lucium uero Aemylium Consulem pone sequi. Quibus rebus auditis C. Atilius partim nouitatem rei admiratus, partim adductus in spem uictoriae, quod obiecisse sibi medios inter duos exercitus hostes fortuna uidebatur, legiones Tribunis militum tradit, iubens, ut aduersus hostes procedant quousque locorum opportunitas sinat. Ipse interea imminentem uiae collem conspicatus ad rem gerendam per opportunum, quo tendere iam Galli uidebantur, collectis equitibus, locum praecipue constituit, & primum sese periculo obicere, sperans per eum modum, si uictoria penes Romanos foret, summam totius rei sibi attributum iri. Galli principio aduentum Consulis ignorantes, coniectatque ex his, quae cernebant, L. Aemylium Consulem per noctem cum equitibus praecessisse, quo loca

quo loca bello opportuna praecipue occuparet, confestim equitatum omnem a partem expeditorum premittunt ad eum collem occupandum. Cum uero captum iam ab Atilio collem ex captiuis intellexissent, confestim pedes iubent praecedere, a fronte simul atque a tergo aciem struunt, quod hos quidem post tergum insequi uideret: illos uero a fronte consistere, & ex captiuis, & ex iis, quae in praesentia acciderant, scirent. Qui cum L. Aemylio erat, & si aduenisse Pisas ex Sardinia copias dicebatur, nondum tamen eam rem copertam habentes, tunc certamine, quod in colle fiebat, plane cognouerunt, iam enim quam proxime hostes accesserant. Quamobrem ingenti laetitia profusi, equites Aemyliani per proximum collem in subsidium eorum, qui pro colle pugnabant, transiuerunt. Aemylius uero ipse cum legionibus solito ordine post Gallos iter maturabat. Galli, ubi se ab hostibus utrinque circumuentos uidere, contra Aemylium, qui a tergo sequebatur, Gessatas, atque Insubres constituerunt, a fronte autem aduersus C. Atilium Taurinos, & qui circa Padum habitant, Boios, Carros, ceteraque impedimenta unum in locum extra utranque aciem collocarunt: praedam uero omnem in proximum tumulum, relictis qui eam custodirent equitibus, exposuerunt. Ita cum bifrontem aciem constituissem, accidit eam non modo terribilem aspectu, uerum etiam ad pugnandum efficacissimam esse. Boii quidam atque Insubres auratis fulgebant sagulis, Gessatae uero ob magnitudinem animi, & incredibilem gloriae cupiditatem, huiusmodi ornamentis abiectis, nudi tantum cum armis ante omnes stabant, rati per eum modum aptiores sese, & magis expeditos ad bellum fore. Siquidem densae in iis locis sentes implicarent uestes, & armorum usum praepedirent. Principio certamen in colle erat omnibus conspicuum, simul hinc atque ibi concursantibus equitibus, & summa uirtute ab utroque agmine pugnantibus. Hoc in loco C. Atilius Consul fortissime dimicans occiditur, caput eius ad Gallorum Reges delatum. Romanorum equites haud ob eam rem cecidere animis, sed longe atrocius praelio incumbentes, tandem non solum collem tutati sunt, uerum etiam Gallorum equitatum omnem fuderunt. Interea cum pedes inter se acies appropinquassent, praelium commissum non modo presentibus uisu, uerum etiam caeteris auditu horrendum, mirabileque futurum. Primo enim cum extantibus exercitibus pugna constaret, facile sibi quisque persuadere potest, non solum aspectum, uerum etiam usum eius praelii nouum atque horribilem, aspicientibus fuisse. Deinde quis non ambigat, uel in praesentiarum, uel eo tempore, si interfuit, utrum Galli peiores partes in eo praelio habuerint, quod non solum a fronte, uerum etiam a tergo ab hostibus premebantur: an meliores, simulque cum utroque exercitu pugnabant;

simul quod utraq; pars impetum hostium ab altera propulsabat, ut sese inuicem uno tempore utriq; protegerent: & quod præcipuū est, a fronte quidem prærumpere, a tergo uero fugam sperare minime possent. Habent enim hunc in primis bifrontes acies usum, quod nullam militibus uertendi terga spem præbent. Atqui Romani simul in spem uictoriæ ducebantur, quod medios hostes quasi de industria sibi oblatos cernebant, simul ordinem, strepitumq; Gallici exercitus formidabāt. Terribilis erat classicorum sonitus, cum quibus omnis simul Gallorū multitudo tantum clamorem ululatumq; attollebat, ut incredibilis uociferatio audiretur: nec tubæ solum, militeq; uerum etiam circumstantia omnia loca uocem emittere uiderētur. Terribilis etiam præcedentium nudorum hominū aspectus. Magna enim ac nuda corpora, & bellici quidam motus sub clypeis, miraculo simul & formidini erant. His accedebat splendor, & pulchritudo ornamentorum. Quippe tota acies torquibus aureis, & uirgatis sagulis fulgebat, quæ aspicientes Romani, partim obstupebant, partim spe prædæ uehementius incendebantur. Tandem uero sagittariis, qui aciem Romanam ex more præcedebant, tela passim emittentibus, qui posteriores erant, armis tecti facile se tutabantur. Qui uero ante alios nudi pugnabant, re longe aliterq; sperarant, procedēte, maxime infestabantur. Prægrandia enim, ac nuda corpora scuto gallico protegere omnino nequibāt, itaq; spicula intro adacta facile cohærebāt. Deniq; cum infestius ferirentur, & sagittarios cum propter distantiam loci, tum propter multitudinem uolantium undiq; telorum ulcisci nequirent, in desperationem adducti, & quasi rabie furentes, alii in hostes temere ob dolorem ruentes opprimebantur, alii pedem ad suos referentes, foedati sanguine terrebant ceterorum animos, atq; ordinem perturbabant. Per hunc modum iactantia Gessatarum, qui antesignani in prælio erant, domita, Insubres, & Boii, & Taurini prælium exceperunt. Neq; iam sagittis eminus, ut ante, sed cominus pilis & gladiis certabatur. Hic uero, quantum nunquam alias, atrox prælium fiebat, nec quicq; erat in tantis exercitibus segne. Sed & scuta ad tutelam corporum, & enses ad usum bellorum longe impares erant. Quippe Gallorum enses graues, & obtusa cuspide, scuta uero debilia erant. Romani autē & scutis ad protegenda corpora ualidioribus utebantur, & gladiis breuioribus, sed tamen acutis. Itaq; semper & in uniuerso certamine, & singulorum congressibus Galli superati passim cadebant. Stetit tamen immota eorū acies, donec equites Romani e colle cum ingenti impetu descēderūt. Tunc deniq; turbati Galli passim prosternuntur, pedites quidem in iisdem locis, in quibus constituti fuerant, cecidere, equites uero in fugam se uertunt.

terunt. Perierunt in eo prælio quadraginta millia Gallorū, decem millia duntaxat, inter quos & Cōgolitanus rex fuit, uiti in potestatem Romano rum peruenere. Alter uero Gallorum rex Aneroestes, cum in propinquum locum paucis quibusdam comitantibus fugisset, non longe post omnes sibi mortem consciuere. His rebus gestis, L. Aemilius Consul spolia hostium Romam misit, prædam uero his, quorum fuerat, restituit. Ipse cum omnibus copiis per Liguriam in Boiorum agrum profectus, omnia uastat, populaturq; & intra paucorum dierum spatiū omni genere prædæ ditato exercitu, Romam cum copiis reuertitur, armis, torquibusq; (id genus ornamenti est ex auro, quod Galli circa collum gestare solent) Capitolium ornat, reliquam uero prædam, & captiuos omnes ante se in triumphum ducit. Per hunc modum tanti Gallorum conatus, quos non solum populus Romanus, uerum etiam tota Italia formidabat, in irritum deuenere. Quibus rebus Romani in spem adducti expellendi omnino ex Italia Gallos, Q. Fuluium, & T. Manlium, creatos nuper Consules, in Galliam cū ingenti exercitu transmittūt. Hi simul ac prouintiam ingressi fuere Boios in ditionem populi Romani uenire cōpulerunt. Deinde cum in reliquos Gallos grassari cœpissent, multitudine hymbriū, ac subinde pestilentia impediti, desistere coacti sunt. Post hos creati Consules P. Furius, & C. Flaminius rursus in Galliam cū exercitu profecti, receptisq; in amicitiam Ananibus, qui non longe a Massilia habitant, mox in Insubrum agros legiones traduxere, non longe ab eo loco, quo Adua fluius in Padum influit. Insubres magna multitudine ad prohibendū hostem conuenerant, a quibus non modo in transmittendo animum, uerum etiam in muniendis castris, cum magna detrimenta Romani suscepissent, statim ex eo loco discesserunt, profectiq; in Cenomanorum regionem, & illorum copiis, erant enim socii Romanorū, ad exercitum adiunctis, rursus e superiori loco, qui ad alpes spectat, in Insubrū agros descenderunt, totam regionem longe lateq; uastantes. Principes Insubrum immutabile hoc Romanorum consilium animaduertentes, tentare fortunā belli, & cū Romanis decernere statuerūt. Coacto itaq; exercitu & signis aureis, quæ immobilia uocitāt, e templo Minerue sublatis, ceterisq; necessariis rebus paratis, aduersus Romanos intrepide profecti, nō longe ab illorum copiis castrametati sunt, numero circiter quinquaginta millia hominum existentes. Romani, cum se numero longe inferiores esse perspicerent, aduocare Gallorum, cum quibus societate iuncti erant, auxilia cogitabant. Cæterum, quoniam cum eiusdem generis hominibus dimicandū illis esse intelligebant, periculosum uidebat eiuſmodi hominibus in eo discrimine, atq; iis præsertim

locis salutem suam committere. Ita ancipites consilii, tandem periculosum consilium capiunt. Castra erant apud Aduam amnem, ubi & pons erat ad ulteriorem fluminis ripam. Vocatos igitur ad se Cenomanos, transire amnem iubent. Cum omnis multitudo transisset, pontem rescindunt, uno tempore & illis facultatem coniungendi sese cum hostibus auferentes, & suis unam duntaxat spem salutis in uictoria relinquētes: quæ cum fecissent, copias in aciem educunt, potestatemque pugnandi Insubribus faciunt. Vicerunt id prælium Romani prouidentia Tribunorum. Hi enim quæ ex superioribus pugnis animaduertent Gallorum gentem primo impetu acerrime dimicare, mox uero labascere animis atque confringi enses præterea illorum, quemadmodum supra memorauimus, unam duntaxat plagam uehementem habere: sed esse ad crebriores ictus prorsus inutiles. Cum structæ iam acies essent, acceptas a Triariis hastas antesignanis tradidere, admonentes, ut Gallorum impetum tam diu distinerent, quoad primis ille ardor animi efferuesceret: tum dimissis hastis, ensibus uterentur. Illi Tribunorum imperio parētes excomposito in Gallos irruunt, pectoraque eorum hastis feriunt. Galli in præcidendis hastis omnem impetum effudere: tum denique Romani abiectis hastis, pedem pedi conferentes, Gallorum conatum omnino inutilem fecere: quippe auferentes iis spatium ex distantia pugnandi, quod proprium eius gentis est, propterea quod obtusi sunt gladii ipsorum: nec nisi ad demittendos ex distantia ictus, propter longitudinem utiles. Ipsi uero breuioribus ensibus freti, nec cæsum, ut illi, sed punctim ora pectoraque Gallorum crebris ictibus ferientes, magnam partem hostium interfecere. Tantum in eo prælio ualuit prouidentia Tribunorum. Nam Consul haud sane prudenter locum ad pugnam elegerat. Quippe structa acie iuxta ripam fluminis, abstulerat Romanis, quod proprium esse illorum uidetur, nihil loci eis relinquens ad referendos ex acie pedes. Quod si quid inter pugnam tantillum retrocedere coegisset, incidere omnes in profluentem oportebat, ob incertam Consulis. Præclaram tamen, ut diximus, uictoriam propria uirtute adepti fuere, & ingenti captiuorum multitudine, multisque Gallorum spoliis onusti, incolumem Romam exercitum reducerunt. Proximo de hinc anno, Galli tantis cladibus afflicti, pacem a Romanis per legatos petiere, omnia illis pollicētes. At M. Claudius, & C. Cornelius Consules creati, ne id a Senatu impetrarent, educere omni celeritate in prouintiam exercitum maturant. Quamobrem Galli desperata pace, quasi extremum periculum subituri iterato exercitum comparare, conductisque triginta millibus Gessatarum, quos cis Rhenum habitare supra memorauimus, omnes instructos, paratosque in armis habere, Romanorum aduentum præstolari.

præstolari. Consules igitur adueniēte Vere copiis in Insubres ductis, Acerras urbem, quæ est inter Padum & Alpes, obsedere. Insubres, & si ferre auxilium obsessis nequibant, propterea quod media loca fuerant a Romanis præoccupata, ad dissoluendam tamen obsidionem toto animo intenti, partem copiarum trans Padum mittunt. Hos obsidere Clastidium oppidum sociorum populi Romani iubent, rati ea difficultate coactos Consules, urbem obsidione soluturos. Id simul ac Consulibus nunciatum fuit, M. Claudius cum equitatu, & parte expeditorum ferre obsessis auxilium properat. Galli postquam aduentum Consulis cognouerunt, soluta mox obsidione, aduersus Romanos intrepide fecerunt iter, structaque acie in conspectu constitere. Sed principio quidem Galli, incidentibus ex improviso in ipsorum equites Romanis, meliores partes habuerunt. Postea uero undique circumuenti ab equitibus Romanis fusi passim, profligati que fuere, multi in fluuium metu hostium præcipitati, uorticibus absorpti periere. Magna pars ab hostibus cæsa, reliqui uui capti. At Galli, qui apud Acerras obsidebantur, simulac supatos apud Clastidium suos audiuerunt, fuga salutis suæ consulentes, Mediolanum præcipuam Insubrum ciuitatem petierunt. Cornelius urbe, quæ & frumento, & omni genere comæatus refertissima erat, potitus, Gallos persequitur: nec longe a Mediolano exercitum duxit. Cum uero obuiam Galli non prodirent, Mediolanensem agrum populatus, copias reducebat. Galli redeuntem infecuti, extremum laceßere agmen cœpere, plerisque Romanorum obruncatis, nonnullis & in fugam conuersis, donec Cornelius cum legionibus conuersus, omnes ad prælium cum hostibus capeßendum cohortatus est. Qui mandatum Consulis alacri animo audientes, in Gallos audacissime irruunt. Galli maximis nuper detrimentis affecti, haud diu restitere, sed reuocato extemplo gradu in proximas alpes aufugerunt. Hos persecutus Consul, simul prouintiam omnem populatus est, simul Mediolanum profectus, urbem per uim in populi Romani ditionem redegit. Quibus rebus gestis Duces Gallorum nullam amplius salutis spem sibi relictam uidentes, sese resque suas omnes in populi Romani potestate posuerunt. Hic tandem belli Gallici finis fuit, quo nullum usque in hunc diem, uel obstinatione animorum, uel militum audacia, uel atrocitate præliorum, uel multitudine interfectorum, uel numero copiarum maius, aut audiuius, aut legimus: quam & consiliis, & inceptis, & quotidianis deliberationibus prorsus inutile fuerit, propterea quod Galli ira potius atque impetu mouentur, quam ratione. De quibus, cum considerarem, quæ breui tempore e natali solo expulsi a Romanis fuerint, paucis quibusdam locis sibi intra Alpes relictis, cōsentaneum exi-

stimauimus, cum primos eorum conatus, tum omnē rerum successum ac postremo ultimum interitum ipsorum breuiter cōmemorare: id maxime proprium historiæ existimantes, huiusmodi res casusq; fortuitos posteris tradere, ne forte nostri homines eiusmodi rerum ignari, uanas ac frequentes Barbarorum infestationes facile pertimescant, sed certi q̄ leuiter, quanq; nullo negotio ea gens post primos statim impetus, si quis eis obstiterit, infringatur, & corruat, omnem potius fortunæ euentum experiri malint, q̄ aliquid necessarium, ut Barbaris cædant, prætermittere. Equidem, qui Persarum aduersus Græcos, Gallorumq; contra Delphos res gestas scripserant, plurimum profuisse arbitror ad certamina Græcorum, p̄ cōmuni patriæ libertate. Et certe nemo, uel diuitiis alicuius, uel armis, uel multitudine hominum deterritus, a patriæ & cōmunis soli defensione desistet, si sibi ante oculos ponet res ea tempestate gestas, considerabitq; quot millia hominum, quas uires, quantos apparatus uirtus Romanorum cum ingenio & ratione pugnantium superarit, fregerit, p̄ligauerit. Sed enim Gallorum terror non solum priscis temporibus, uerum & nostra ætate sæpenumero Græcorum animos inuasit. Quæ res me uel in primis animauit, ut eorum res gestas summam quidem, sed tamen ab origine referrem. Verum, ut aliquando eo reuertamur, unde discessimus, Asdrubal Dux Carthaginensium annos octo in Hispania cōmoratus, tandem per insidias, noctu a Gallo quodam priuatarum inimicitiarum causa domi occiditur, uir nō modo bellicis artibus, uerū & eloquentia, ad mouendos hominum animos adeo pollens potensq; ut magnam imperio Carthaginensi accessionem fecerit. Copiæ, quæ in Hispania erāt, Annibali filio eius adhuc satis adolescenti ob egregiam iuuenis indolem, & incredibilem in ea ætate magnitudinem animi traduntur. Hic in ipsis statim principiis hostem se populi Romani futurum declarauit, quod non longe post accidit. Ex eo tempore uariæ inter Romanos Carthaginensesq; suspensiones oriri cœptæ. Quippe Carthaginenses, quod expulsi e Sicilia fuerāt, secreto Romanis insidias machinabantur. Romani uero e contrario consilia eorum intelligentes, nō satis Carthaginensibus fidebāt, quibus rebus facile intelligebāt, nō post longum tempus bellum inter eos futurum. Per idem tempus Achæi, & Philippus Macedoniae rex, cæteri q; eorum socii bellum aduersus Aetolos gerebant, quod sociale appellatur. Nos igitur, cum bellum a Romanis contra Carthaginenses in Sicilia atq; Africa gestum, cætera q; que id bellum secuta sunt, cōmemorauerimus, ac deinde secundum ordinem nostræ præparationis uentum sit ad principium socialis belli, & secundi belli Carthaginensis, quod Annibalis bellum appellant, atq; ex his temporibus

temporibus nobis institutum sit nostræ narrationis initium facere, cōsentaneum est, ut iam ad res in Græcia gestas ueniamus, quo per hunc modum simili undecunq; præparatione facta, cum ad eundem ferum omnium exitum uentum fueritis, institutam a nobis historiam inchoemus. Cum enim nō unius duntaxat, aut alterius gentis, quemadmodū cæteri scriptores fecere, utputa Græcorum, siue Persarum, sed omnium simul totius orbis partium, quæ in nostram notitiam uenerunt, res gestas scribere proposuerimus, non absurdum erit, notissimarum gentium, locorumq; totius orbis breuiter ante initium nostri operis meminisse. De his igitur, quæ in Asia atq; Aegypto gesta sunt, satis erit a nostris inde temporibus referre, quod multi ante nostram ætatem res gestas eorum scripsere, suntq; fere omnibus in promptu: nec quicquam ex eo tempore immutatum est, quod sit a scriptorum commentariis alienum. Quæ uero Achæi, Macedonesq; gesserunt, breuiter nobis ab initio repetenda sunt, q̄ earum rerum (quemadmodū supra memorauimus) incredibilis mutatio fuerit nostris temporibus. Nam cum multi ante hæc tempora laborassent, ut Peloponneses in unam uoluntatem redigerent: neq; id perficere potuissent, quod omnes suo potius commodo, q̄ libertati patriæ studerent: tanta hac nostra tempestate immutatio facta est, ut non solum amicitiam, societatemq; inter se inierunt, sed etiam iisdem legibus usi sunt, iisdem ponderibus, iisdem mensuris, iisdem nummis, præterea iisdem principibus, iisdem consultoribus, iisdem iudicibus, ut nulla alia res Peloponneso deesset quin omnis una ciuitas foret, nisi quod nō erant una moenia habitantiū, cætera omnia, uel eadem, uel q̄similima erant. Primum autem quomodo regnare inter Peloponneses cœperit Achæorum nomen, haud absurdum erit ostendere. Nam hanc qui appellationem ab initio sortiti fuere, neq; regione cæteris præstant, neq; urbium multitudine, neq; diuitiis, neq; uirtute. Siquidem Arcades, atq; Lacedæmonii multitudine uirorum, urbiumq; non parū cæteros antecellunt, uirtute ac rebus gestis nemini Græcorum secundi. Quomodo igitur, aut quamobrem uel hi, quos modo memorauimus, uel cæteri Peloponneses pati æquo animo possunt, se non solū in Rem publicam, uerum etiam in nomen Achæorum transmigratos? Ac fortuna quidem hoc factum esse stultissimum esset asserere. Causa potius huius rei perquirenda est, sine qua nihil nec eorum, quæ ratione fiunt, nec eorum, quæ præter rationem agi uidentur, perfici potest. Est autem hæc, ut mea quidem fert opinio, æqualitas, & communis licentia, quæ inter omnes seruabatur, & quoddam quasi exemplar ueræ Reipublicæ. Quippe synceriora instituta in aliqua Græciæ ciuitate reperta nunquam

fuere. Hæc caula plærosq; Pelopōneses sponte sua æmulos, atq; imitatores eius Reipub. fecit, alios ad id rationibus, persuasionebusq; adduxit, nōnullos cum tempore paulatim coegit: ita tamen, ut statim postea animos eorum sedaret. Nam cum nemini quicq; superesse ab initio permisisset, sed omnia omnibus uoluisset equalia fore, statim ad eam amplitudinem Achæos perduxit, duabus rebus ad id efficacissimis usa, æqualitate atq; clementia. Hęc igitur primaria causa fuisse dicēda est, quæ Peloponneses unanimes inter se, atq; concordēs ad eam foelicitatē, in qua modo sunt, perduxit. Verum hic mos uiuendi, atq; hæc ratio administrandæ Reipublicæ longe ante hæc tempora apud Achæos fuit, quod infinitis pene testimoniis licet ostendere. Sed in præsentia unum duntaxat, uel ad summum duo proferamus. Nam quo tempore in ea regione Italiæ, quæ tunc magna Græcia appellabatur, cæcus Pythagoreorū ob clandestinam coniurationem concrematus fuit, magna rerum publicarum mutatiōe facta, utpote principibus unicuiusq; ciuitatis temere interfectis, accidit, ea loca, easq; urbes maximis cædibus, seditionibusq; uexari. Quocirca uarię ad eos undecunq; legationes componendarum rerum gratia confluxere. At illi ceteris posthabitis, Achæorum duntaxat fidei res suas cōmiserunt. Quinetiam non multo interiecto tempore, omnino instituta illorum imitari, atq; eam Rempubicā effingere decreuerunt. Siquidem Crodematę, Sybaritę, Caulonitę cōpositis inter se unanimitè rebus, primo Omarii Iouis templum publice constituerūt, ubi & contiones fieri, & cum populo agi posset. Præterea acceptis ab Achæis institutis & legibus, iis duntaxat uti suamq; Rempubicam componere uolebāt. Sed a Dionysio Syracusarum tyranno, & uagantibus per id tempus circū ea loca Gallis, desistere ab incœpto coacti. Præter hæc Lacedæmoniis ex insperato apud Leuctras profligatis, Thebanis uero iam imperium Græcorū affectantibus, ingens per omnem Græciam tumultus, atq; incredibilis perturbatio orta, præsertim apud hos ipsos Lacedæmonios, atq; Thebanos, cum & illi superatos se arbitrarentur, & hinc nondū se uictoriā insecutos existimarent. Veruntamen uterq; populus cōmuni consilio solos ex omni Græcia Achæos delegere, quibus rerum omnium, quę in ambiguo erant, iudicium permetteret, non tam uires, aut potentiā eorum animaduertētes (erat quippe tunc ea regio cæteris omnibus Græciæ prouinciis minor) q̄ fidem atq; integritatē populorum, quę ea tempestate apud omēs habebat insignis. Tunc igitur nuda apud eos uirtus erat, sed res gestæ nullæ, gloria dignæ forent. Itaq; Respub. eorū parum augebatur, q̄ neminem uirtutibus suis dignū principē haberent: semper autem uel Lacedæmoniorū, uel Macedonum imperio

obscura

obscurarentur. At postquam interiectis temporibus dignos eorū principatu præfectos inuenere, clari euestigio, atq; illustres facti sunt. Perfecerunt, * quod optimum omnium erat, Pelopōnesium inter se cōcordiam, cuius authorem, ac ducem fuisse nemo ambigit Aratum Sicyonium: qui uero rem cœptā cōfirmauit atq; perfecit, Philopœmenem Megalopolitanum. Tertium autē qui eam auxit amplificauitq; Lycertam, & cæteros eius sequaces. Quæ uero a singulis gesta fuerint, & quemadmodum, quoue tempore, hinc ostēdere conabimur, quantū p̄ materia licebit. Sed Arati quidem res gestas & nunc, & rursus posthac summam referemus, quod ipse in commentariis suis omnia fuerit nō minus uere, q̄ aperte copioseq; complexus. De cæteris uero paulo diligentior, atq; prolixior sermo erit. Atqui & faciliorem nobis narrationem, & discitentibus apertiore historiam futuram arbitramur, si ab his temporibus repetemus, in quibus Achæorum populi, qui a principibus Macedoniae per ciuitates diuisi fuerant, rursus in unum quasi corpus coaluerunt: & ita aucta confestim ea gens fuit, ut ad hanc amplitudinem perueniret, de qua hæcenus particulatim diximus, & quæ durat usq; in præsentem diem. Olympias igitur erat centesima uigesima quarta, cum Patrenses & Dymensorina animis conuenere, tempore quo Ptolemæus Lagifilius, & Lysimachus, & Seleucus, & Ptolemæus Ceraunus uitam obiere. Omnes enim sub hac Olympiade diem functi sunt. Superioribus itaq; temporibus hic erat Achæorum status. Regnari apud eos cœptum tempore quo Tisamenes Horestis filius post descensum Heracidarum Lacedæmone expulsus loca quę sunt circa Achaia, occupauit. Ab hoc cōtinuē per successionem usq; ad Sygi tempora reges habuere. Postea uero moleste ferre regnum cœperunt, q̄ filii Sygi iam non legitime, sed per tyrannidem prouintiam gubernarent. Igitur Rempub. a Regibus ad populum transtulerūt, & reliquum quidem tempus usq; ad Alexandri, Philippicq; ætatē uariē uariis temporibus se gesserunt: conati tamen, quātum in se fuit Rempubicam publice administrare. Hæc autem ex duodecim ciuitatibus cōstabat, quę nostra quoq; ætate extant, præter Olenum & Elicem, quas solidas ante certamen Leuctricum terræ motus absorbit. Hæ sunt, Patræ, Dymæ, Pharæ, Tritea, Leontia, Egira, Pellene, Bura, Ceraunia, Carinia. Post Alexandri uero ætatem, & ante eam Olympiadem, de qua modo locuti sumus, tanta inter eos maxime propter Reges Macedoniae dissensio orta est, ut diuisæ inter se ciuitates, id demum conducere sibi arbitrarentur, si arma aduersus se inuicem hostiliter ferrent. Quibus ex rebus accidit, alias Achaia ciuitates præsidium Demetrii, Cassandricq;, & non longe post Antigoni intra

H iii

urbem recipere, plerasq; a Tyrannis, qui tunc in Græcia cōplures erant, occupari. Cētesima uero & uigesima quarta Olympiade, quemadmodū supra memorauimus, rursus conuenire inter se ii populi cœperunt, tempore quo Pyrrhus Epirotarum rex in Italiam transfretauit. Principio conuenere Dymenses, & Patrenses, Tritenses & Pharenenses. Postmodū uix elapso quinquennio, Egirenses eiecto extra urbem præsidio illis adheferunt, quos Buriis interfecto tyranno, ac nō longe post Ceraunii secuti. Quippe Iseas Cerauniorum ea tempestate tyrannus cum eiectum Egira præsidium, interfectumq; a Buriis tyrānum, se uere bello undiq; circumuentum intelligeret, deposito principatu, & pacta ab Achæis salute urbem administrationi eorum reliquit. Sed quam ob rem hæc tam alte a nobis repetita sunt. Primo, ut palam omnibus fiat, quo pacto, quibusue temporibus, qui primi Achæorum rursus hanc Rempublicam, quam florere hac tempestate cernimus, instituerit: deinde, ut nō solum historiæ nostræ, uerumetiam rerum ab illis gestarum, cognitis ipsorum institutis, facilius apud omnes fides sit. Siquidem unus semper apud eos gubernandæ Reipublicæ mos, una ratio fuit, per quam seruata cōtinue erga suos omnes æquabilitate, & iis, qui uel per se, uel per reges occupare eorum patriam conabantur: frequenter bello profligatis, tandem opus hoc pulcherrimum perfecerunt, partim suis uiribus freti, partim auxilio sociorum. Nam quæ sunt ab his secutis postea temporibus in ea prouintia gesta, ad Achæos referenda sunt, qui cum multis maximisq; in rebus socii Romanorum fuissent, nunq; sibi quicq; ex rebus gestis ascribere, ad nullam protinus rem, nisi ad Peloponnesi libertatem atq; concordiam intenti. Verum hoc ex ipsis rebus gestis manifestius apparerebit. Quinq; igitur & uiginti annos cum his pariter Rempublicam administrarūt a principio hæ, quas modo memorauimus, ciuitates, quæstorem unum, & duos duces uicissim creātes: postea rursus unum duntaxat ducem decernere statuerunt, cui summa rerum omnium committeretur. Primus omnium eum honorem adeptus fuit Marcus Gerineus, post quem perfectis quatuor annis dux creatus fuit Aratus Sicyonius, cum esset annorum uiginti. Hic statim singulari uirtute, ac magnitudine animi patriam tyrannide liberauit, & Reipublicæ Achæorū, cui iam inde ab initio affectissimus fuerat, adiunxit. Ne longe post cū octo annis imperasset, dux denuo electus, si qua uia arcem Corinthi, quā tunc Antigonus tenebat, capere posset, animū intendere cœpit, qua mox potitus, pterritis omnibus, qui Peloponnesum colebant. Corinthiis uero tyrannide liberatis, eam quoq; urbem Achæis addidit. Idem etiam de ciuitate Megarensiū paucis interiectis diebus effecit. Hæc gesta sunt an-

no ante

no ante eum Carthaginensium conflictum, quo Carthaginenses omni Sicilia excedere, ac tributum populo Romano pendere sunt coacti. Aratus huiusmodi rebus intra breue tempus strenue peractis, reliquū gratis in administratione Reipub. consumpsit, omnes conatus ac cogitationes suas ad unum finem dirigens, ut Macedones Peloponneso eiceret, tyrannides infringeret, cōmunemq; ac patriam libertatē unicuiq; conseruaret. Ita quandiu Antigonus uixit, facile & conatui, ac omnifariam machinis ipsius, & cupiditati Aetolorum restitit, utrisq; alioquin eo temeritatis atq; audaciæ prolapsis, ut fœdus inter se inuicem de diuisione ciuitatū Achæiæ facere nō erubuerint. Mortuo uero Antigono, initaq; inter Achæos, atq; Aetolos societate, cum bello a Demetrio infestarentur, dissensiones atq; discordiæ paulisper sedatæ, cōmunisq; & mutua quædā amicitia inter eos orta est. Postq; uero Demetrius, qui decem tantum regnauit annos, diem functus fuit, tempore quo primum Romani Illyrium transfretarunt, incredibile rebus Achæorum additamentū accessit. Quippe omnes tyranni, qui in Peloponneso regnabant, in desperationem adducti sunt, tum propter Demetrii mortem, quo Duce atq; Imperatore uti consueuerant, tum q; Aratum cernebāt totis uiribus adniti, ut Tyrannides deponerētur, & iis quidem, qui sese sponte imperio abdicarent, summos honores, præmiacq; proponere: iis uero, qui in p̄tina natiā permanerent, metum terroremq; iniicere: deniq; uniuersos hortari, ut Tyrannides dimitterent, patrias in libertatem uendicarent, & in Rempublicam Achæorum conuenirent. Lysidas igitur Megalopolitanus, qui adhuc uiuo Demetrio singulari prudentia futura præuiderat, confestim deposita tyrannide Reipub. Achæorū ascribi uoluit. Aristomachus quoq; Argiuorum tyrannus, & Xenon Hermioniorū, & Cleominus Phliasiarum, depositis tyrānidibus in eandem Rempub. cōfluxere. Quibus ex rebus cum ea gens mirum in modū adoleuisset, Aetoli ob innatā eis cupiditatē Achæis inuidentes, sperantesq; se ciuitates, quæ una coaluerant, dissoluere posse, quemadmodū ab initio fecerāt, Acarnanū ciuitates cū Alexandro, Achæorū uero cū Antigono se diuisuros pollicent. Ita simili spe in sententiā trahūt Antigonū, q; per ea tpa Macedonibus præerat, relictus a Philippo filii Tutor, & Cleomenē, regē Lacedæmoniorū. Nā cū Antigonū ea tempestate Macedonibus imperantē cernerent uirū bellicosum, & ob amissam Corinthi arcē Achæis maxime infestū, facile sibi psuadebāt, si Lacedæmonios quoq; eo bello adiutores haberēt, se haud dubie eam gentē armis undiq; circumuentā opp̄ssuros: qd. p̄culdubio euenisset, nisi, q; illi minime considerauerant, Aratū singulari uirtute, ac magnitudine animi uirū, propugnatorem habuissent.

H iiii

Totis itaq; uiribus iniquissimum bellum adgressi, nō solum quod sperabant, perficere nequuerunt, sed e contrario Aratum, qui ea tempestate Achæis præerat, & omnem illorum gentem robustiorem, audatioremq; fecere, duce callide omnia ac diligenter prouidēte, quemadmodum ex sequentibus liquebit. Nam cum uir prouidus animaduerteter, pudere Aetolos palam Achæis bellū indicere, ob recepta nuper ab illis in bello Demetriaco beneficia, proptereaq; Lacedæmonios, ut id ipsi factitarent, hortari: tanta deinde inuidia ob res Achæorum secundas premi, ut Cleomeni, qui Tegetam, Mantiniam, Orchomenumq; amplissimas Aetoliæ ciuitates sibi per fraudem sustulerat, non solum irati nō fuissent, sed eas regi lætissime confirmassent: præterea nulla ab Achæis iniuria lacessitos, duntaxat immani cupiditate regnandi, omnem bello occasionem quæritare: patiq; in præsentia haud inuitos, ut foedus sibi a Rege uiolaretur, auferrenturq; per fraudem amplissimæ ciuitates, ea tantū fini, ut auctæ per eum modum Cleomenis uires facilius Achæorū rem publicā labefactare possent. Cum inq; hæc omnia Aratus, cæteriq; Achæorum duces animaduerteter, statuerunt inter se bellum quidem nemini indicendum, sed conatui Lacedæmoniorum totis uiribus resistendum esse. Principio igitur hæc inter se Duces decreuere. Interiectis uero temporibus cum animaduerteter Cleomenem oppidum quoddam, quod postea Atheniense appellatum, in regione Megalopolitarum intrepide ædificantem, & iam sese apertum, atq; acerrimum Achæorum hostem indicantem, congregato concilio decernunt bellū aduersus Lacedæmonios non iam ex abdito, sed palam esse suscipiendum. Bellum igitur, quod Cleomenicū appellatur, per ea tempora huiusmodi initium habuit. Achæi primum per se ipsos sine cuiusquā subsidio resistere Lacedæmoniis cœperunt, simul q; gloriosius nomini eorum futurum arbi trābātur, per se ipsos, q; per alios, ciuitates, patriamq; tutari: simul q; seruare cum Ptolemæo amicitiam totis uiribus adnitebantur, ueriti ne forte is ægreferret, si ab aliis potius, q; a se præsidia quærirarent. Iam uero procedente bello cum Cleomenes pessundata Republica legitimum imperium in tyrannidem uertisset, & bello alioquin fortiter, prudenterq; uteretur, Aratus quod futurum erat, longe prospiciens, quippe quem minime latebat consilium atq; audacia Aetolorum, sedulo irritandos esse illorum conatus iudicauit. Cum itaq; animaduerteter Antigonom industria atq; experientia rerum, præterea etiam fide præter cæteros præstantem, & Reges consideraret natura quidem neminem uel hostem, uel amicum habere, sed ex eorum commodo amicitias, inimicitiasq; metiri, conuertere se ad eum Regem decreuit, om-

nemq;

namq; belli euentum illi ante oculos ponere: postremo una belli societatem inire. Verum id palam facere, cōplures causæ prohibebant. Quippe ea re intellecta Cleomenes atq; Aetoli, diligētius se parari ad bellū uidebātur, & Achiui nouitate rei perterriti, q; Ducem ueluti in summa desperatione rerum ad hostem confugere existimarent, magna ex parte bellum deserturi. Quamobrem nequid huiusmodi accideret, nō modo nemini consilium aperiebat, sed multa præter sententiā faciebat, loquebaturq;, queis contrarium eius rei, quam moliebatur, ostēderet. Cum itaq; Megalopolitanos cerneret ob uicinitatē, quam cum Lacedæmone habebant, bello præter cæteros q; maxime affligi, neq; ullum ab Achæis, qui eodem bello premebātur, expectare præsidium, foedere præterea atq; amicitia cum Macedonibus coniunctos esse, quorum singularia fuerāt erga Philippum Amynthæ filium beneficia, nō dubitabat eos, q; primū infestari a Cleomene cœpissent, Antigoni atq; Macedonum præsidium imploratos. Itaq; secrete consilium suum Nicophani & Cercidæ Megalopolitanis aperit. Hi ei paterni hospites erant, ac præter cæteros ad componendam rem aptissimi uidebātur. Per eos itaq; Macedonas hortatur, legatos ad Achæos mittant, rogentq;, ut secum una præsidium ab Antigono postulent. Megalopolitani Nicophanem, atq; Cercidam legatos ad Achæos mittunt, & ut inde consentientibus Achæis ad Antigonom pficiscantur, iubent: Achæi id Megalopolitanis facile permiserunt. Profecti igitur ad Regem legati, quæ in mandatis habebant, referunt, & ex iis quidem, quæ ad patriam eorū spectabant, duntaxat necessaria breuiter summamq; exponunt. De uniuersa uero re plura, ut ab Arato edocti fuerant, uerba faciunt. Aetolorum, Cleomenisq; conatus quid possint, quo tendant, ante oculos ponunt. Esse id bellum in præsentia quidem Achæis periculosum, sed posthæc, si illi uoti compotes fuerint, ipsi Antigono longe pñitiosius futurū. Neminē quippe dubitare, Achæos uno tēpore amborū uiribus oppressos, facile pessundatū iri: at Cleomenem, Aetolosq;, si ea uictoria potiti fuerint, haud quatq; in iis finibus permansuros, longe minus dubiū esse. Quippe Aetolorum cupiditatem credendū non solū nō Peloponnesiū, sed ne totius quidē Græciæ finibus contentā fore. Cleomenis uero ambitionē, tametsi in præsentia Peloponnesi tantūmodo principatū appetere uideatur, tamen si uoti cōpos fuerit, non prius ab incepto destiturrā, quā omnē Macedoniā subiugauerit. His atq; aliis huiuscemodi rationibus Regē admonent, ut futura diligenter pspiciat, consideretq;, quid rebus suis magis cōducere uideatur, uel una cū Achæis atq; Bœotiis bellū in Peloponneso pro imperio Græciæ contra Cleomenem gerere, uel derelicta maxima gente, nō

nemq;

longe post aduersus Aetolos, Bœotios, Achæos, atq; Lacedæmonios in Thessalia p̄ principatu Macedoniae certare. Quod si Aetoli pudore ducti, ne concordiam tempore Demetriaci belli cum Achæis initam uiolare uiderentur, in amicitia, quemadmodum in præsentia faciebant, persistere simularent, Achæos per se ipsos satis superq; esse ad Cleomenis iniurias propulsandas. Itaq; si fortuna secundis rebus secum ageret, nihil opus esse aliorum subsidio: sin uero rebus suis iniqua Aetolos potius respiceret, Regem, ut sibi adesset, obtestabatur: neq; opportunum tempus prætermitteret, Peloponneses, anteaq; ad internitionem delerentur, cōseruaret. De fide ac premiis, nullam in præsentia curam habendā dicebant, inuenturum esse Aratum in summa rerum necessitate modū, quo utriq; rei satifaceret. Hunc ipsum, tempus, quo opus præsidio foret, Regi indicaturum. Antigonus auditis, quæ relata per legatos fuere, Arati prudentiam summopere commendauit, seq; ad omnem rei euentum paratum respondit. Dedit præterea ad Megalopolitanos literas, quibus significauit, præsto fore a se subsidium, dummodo id uolentibus Achæis fieret. His peractis, Nicophanes, & Cercidas domū reuertuntur: redditisq; Antigoni literis, beneuolentiam ac promptitudinem Regis ostendūt. Megalopolitani his rebus lætitia affecti, mittunt denuo ad Achæos legatos, rogantes, ut foedus cum Antigono ineant, ac totius rei summam fidei illius credant. Aratus, intellectis particulatim a Nicophane rebus, & studio Regis erga Achæos, seq; impium cognito, incredibilem coepit animo uoluptatem: simul q; haud frustratū se spe sua esse intelligebat: simul quod Antigonus præter spem Aetolorum haud aspernari amicitiam suam uidebatur. Stabat tamen in sententia a nemine petendi subsidium, nisi summa rerum necessitudine cogere. Quod si accideret, nequaquam id per se solum, sed per omnes simul Achæos fieri cupiebat. Verebatur enim, ne, si forte Rex uictoria potitus, Cleomene ac Lacedæmoniis superatis, ad extremū aliquid noui contra Rem publicam Achæorū tentaret: causam cuius rei sibi ascriberent, quod Regem sibi ob captam Corinthi arcem infensum admittendū intra patriæ limites per imprudentiā censuisset. Cum igitur legati Megalopolitanorū ad consiliū uenissent, & recitatis primo literis Regis, benignitatem atq; amicitia ostendissent, ac postremo Achæos hortati forent ad res cū Antigono cōponendas, atq; ad id prompta esse omnis multitudo uideretur, p̄cedens in mediū Aratus regis benignitatē facile amplexus est, dehinc multitudinis studium summis laudibus extulit. Verum pluribus eos hortatus est, ut per se ipsos seruare ciuitates, & patriā, conarētur. Si id fieret, nihil neq; præclarius, neq; utilius fore. Quod si rebus suis omnino

fortuna

fortuna aduersaretur, omnia prius experienda: & postq; nullam amplius intelligerent spem sibi relictam esse, tunc demum ad amicorum præsidia confugiendum. Id consilium facile multitudo omnis probauit, decretumq; a concilio fuit, ne quid in præsentia noui tentaretur, sed per se ipsos Achæi præsens bellum administrarent. Cum uero interea Ptolemeus Cleomeni auxilio esse, & necessaria ad bellum suppeditare cepisset, cupiens eum per hunc modum Antigono infestum facere, q; Lacedæmoniorum potius, q; Achæorū uiribus Macedoniae regnū consequi posse sperabat. Achæi autē primo iuxta Lyceum ex improviso Cleomeni obuiam facti, cæsi ac profligati fuissent: dehinc rursus in Laodicea non longe ab urbe Megalopoli, cum excomposito ad manus uenissent, ingentem iacturam passi: tertio prope Dymeam in loco, quod Hecatombeum appellatur, adeo fusi, dissipatiq; ut pene in extremum periculum incidissent: tunc demum tot malis circumuentus Aratus, moram omnē amputandam censuit, subsidiūq; ab Antigono, uti a principio statuerat, petendum. Filium itaq; legatum ad Regem mittit, ea confirmatum, quæ de subsidio inter se conuenerant. Verum anceps consilii, ac non parū sollicitus erat, q; neq; Antigonom cum præsidio uenturū sperabat, nisi arcem Corinthi, quam Acrocorinthium uocant, & ipsam Corinthiorum urbem fidei gratia accepisset: neq; intelligebat Achæos posse inuitis Corinthiis eam urbem Macedonibus tradere. Quamobrem dilatū cōsiliū fuit, ut de modo dandæ fidei cōsideraretur. Inter hæc Cleomenes rebus sceleriter a se gestis elatus, intrepide per omnem prouintiam discurrere, ciuitates partim psuasione, partim terrore sibi asciscere. Cum uero p̄ hunc modū Caphyas, Pellenem, Pheueum, Argos, Phliantem, Cleonas, Epidaurum, Hermionem, Tryzenem, & ad extremum Corinthum cepisset, castra nō longe ab urbe Syciniorum posuit, pariterq; Achæos ab ea quam supra diximus, sollicitudine animi liberauit. Quippe Aratus, simulatq; nunciatum est, eiectum a Corinthiis ex urbe præsidium Achæorum, missosq; ad Cleomenem legatos, qui urbem ei traderent, optimam ad eam rem occasionē nactus, arcem, quæ ab Achæis tenebatur, Antigono restituit, quæ res & offensam, quam apud Regem contraxerat, purgauit: & fidem ac munimentum quoddam, & ueluti receptaculum futuri belli Regi breuiter * Cleomenes, postquam conuenisse cū Antigono Achæos intellexit, arcemq; illi sponte tradidisse, cōfestim soluta obsidione castra non longe ab Isthmo traduxit, atq; eum locum, qui medius est inter arcem, & eos montes, quos incolæ Onios uocant uallo ac fossa diligentissime muniuit, ut qui iam animo spem cōceperat, totius se Pelopōnesi imperio potiturū, Antigonus iam pridē ad bellum

paratus, opportunitatē temporis præstolabatur. Cum tūto ex his quæ acciderant, appropinquare protectionem Cleomenis in Thessaliam, sicuti ab Arato didicerat, cōiectaretur, missis ad Achæos de omni re nunciis, ipse cū exercitu uersus Isthmum per Eubœam iter facit. Nam Aetoli aduentum ipsius ægre ferentes, ei nunciant, ne intra Thermopylarum angustias exercitū duceret: quod si faceret, amotos inter se eius impedituros. Igitur Antigonus atq; Cleomenes aduersus se inuicem castra posuere: ille animo ingrediendi Peloponnesum: hic studio arcendi eum a finibus suis. Achæi, & si maximam in uniuersum iacturam passi erant, haud tamen prorsus cecidere animis: sed q̄ primum rebellasse contra Cleomenem, Aristotelem Argium senserūt, in eius auxilium profecti, Timoxeno duce, Argos cepere: quæ res non mediocre momentū attulit uiribus Achæorum. Siquidem & Cleomenis impetus ob eā rem non parum repressus, & animi militum prostrati fuere, ut res ipsæ facile ostenderunt. Nam cum & locorum opportunitate, & copia cōmeatus, & uiribus atq; audacia militū longe præstaret Cleomenis exercitus, tanta repente facta est immutatio rerum, capta Argiuorum ciuitate, ut Cleomenes dimissis iis omnibus, fugæ similem profectiōnem fecerit: ueritus, ne ab hostibus undiq; circumueniretur. Profectus autem est Argos, ubi factō in urbē impetu, expugnare eam totis uiribus nititur. Sed hinc Achæis fortissime resistentibus, illic Argiuis ob pœnitentiam commissi erroris acerrime propugnantibus, ea quoq; spe frustratus, factō p̄ Mantiniam itinere, copias Spartam traduxit. Antigonus Peloponnesum ingressus, Acrocorinthum capit. Hinc citato gradu, Argos contendit, Arguos pluribus uerbis laudat, res ciuitatis cōponit. Dehinc rursus uersus Arcadiam ducto exercitu, ex munimentis a Cleomene extructis extrahit præsidia, eaq; per Aegyptanam regionē profectus Megalopolitanis tradit. Ipse Egium, ubi Achæorum conciliū erat, se transtulit. Hic multa de rebus præsentibus loquitur, futurorum etiam haud paucis admonet. Postremo omnium sociorum dux creatus, exercitum per hyemem in agro Corinthiorum detinet. Ineunte autē Vere copias educit, cōiungūtur una Achæi. Itaq; triduo Tegetam p̄fectus, obsidere urbem adgredit. Tegetā conspicati Macedones, fossis, cuniculis, atq; omnifariam machinis ad expugnationem urbis intentos, desperata prorsus salute, sese hostibus dedunt. Antigonus compositis in urbe rebus, confestim Laonicem traducit exercitum. Ita Cleomeni, qui se intra fines suos continebat, appropinquans, exiguis interdum certaminibus manus cum hoste conserit. Interea per exploratores nunciatur, milites ab Orchomeno in subsidium Cleomenis uenisse. Quamobrem, con-

uerso

uerso itinere, Orchomenum contendit, urbemq; nullo negotio capit. Post hæc Mantiniam ciuitatem obsidet, qua mox potitus, uersus Heram, & Telphusam legiones ducit, & eas quoq; urbes per deditiōnem sine interuallo accipit. Post hæc huiusmodi sunt tempestates infecutæ, uti opus necessario intermitteretur. Itaq; Macedones domi in hybernis relinquit, ipse cum mercenariis proficiscitur Egium, ut interea cum consilio de rebus necessariis disputet. Per id tempus Cleomenes, cū animaduertet Antigonom relictis domi copiis Egii moram trahere, distātem Megalopoli amplius trium dierum spatio: eam uero urbem, ut situ uastam, ita hominibus uacuam esse, multis præsertim pauloante in iis preliis, quæ iuxta Lyceum & Laodiceam facta memorauimus, inter certandum interfectis: præterea eo tempore propter præsentiam Antigoni negligentius obseruari, facile est adductus in spem urbis capiūdæ. Eo itaq; repente profectus comitantibus quibusdam Messeniis, qui patria exules, extorresq; Megalopoli uitam trahebant, ab iis noctu intra mœnia admittitur. Facta uero luce parum absuit, quin cum omni exercitu perditaretur, Megalopolitanis fortissime resistentibus. Veruntamen ad extremū & multitudine militum, & quia opportunissima quæq; loca præoccupauerat, uoti cōpos fuit. Urbem captam, spoliatāq; funditus euerit, ut nulla in posterum spes ipsius denuo ædificandæ relinqueretur. Id mihi quidem eo consilio uidetur fecisse, ut Lionensibus, Megalopolitanis, Stymphaliis, ceterisq; propinquis populis ostēderet, nihil proditoribus, aut iis, qui res nouas molirentur, tutum esse: nam Clitoriorum uirtutem, ac gloriam unius hominis peruersitas cœdauerat. Is fuit Thearces, quē merito ob eam rem Clitorii genitum apud se esse negauerūt, dicētes eum aduenæ cuiusdam militis filium ex Orchomeno aduenisse. Ceterum cum non desint, qui inter huius historiæ scriptores Philarchū cæteris omnibus præponant, cum tamen plerunq; contraria Arato & dicat & sentiat: utile, immo potius necessarium iudicauimus, nobis præsertim, qui sumus Aratū secuti, hanc partem nequaquā præterire silentio, ut facilius discerni a mēdatio ueritas possit. Hic igitur multa passim per uniuersam historiam, prout libido animi tulit, locutus est, quæ refutare in præsentia suprauacuum duximus, rati ea duntaxat penes hunc auctorem discutienda nobis esse, quæ iis temporibus, quo pios meminimus, id est in bello Cleomenico, gesta fuerunt. Hæc sane, satis, superq; erunt ad reliquos eius auctoris errores intelligendos. Principio cum nitere ostendere Antigoni, & Macedonum, præterea etiam Arati, atq; Achæorum crudelitatem: Mantinienses, inquit, cum primum in eorum potestatem uenere, omnia sæua, crudeliaq; ab hostibus passos: antiquissimā

nobilissimamq; Arcadię ciuitatem, in tot ærumnas, tot calamitates incidisse, ut uniuersam Græciam ad lachrymas mouerit. Post hæc dum augere crudelitatem, & legentium animos mouere ad commiserationē studet, refert mulierū mutuos amplexus, crines passos, nudatas papillas, uirorum & foeminarum gemitus atq; ululatus, paruos liberos, & confectos ætate parentes circum se trahentium. Hoc uero homo in malis ambitiosus passim per uniuersam historiam facit, ubiq; uulnera, gemitus, cruorem ante oculos ponens, ut nihil in operibus eius legi cōtingat nō muliebri atq; effœminatū. Atqui scriptorem rerum gestarum decet, non mouere hominum affectus, neq; orationem ad id aptam perquirere, neq; calamitates mortalium insectari, quod Tragœdiarū scriptores faciunt, sed dicta factaq; hominum uere referre, etiam si mediocria fuerint. Neq; enim est idem historię atq; Tragœdię finis, sed plane contrarius. Quippe in hac elaborandum, ut uerisimili oratione audientium animos in spem, metum, sollicitudinem, uoluptatem, aut aliud huiusmodi affectum trahamus; illic autem totis uiribus adnitendum, ut studiosis nostrorum operum dicta, factaq; hominū uere referamus. Quā ob rem illic uere similibus rebus opus est, ut spectatores facilius decipiātur: hic ueris, quia in utilitatem legentium scribuntur. Adde, q̄ idem author plæruncq; inter scribendum, nullam neq; causam, neq; rationem earum rerum adducit, sine quibus, neq; ad misericordiam, neq; ad indignationem mouere quempiam iuste possumus in rebus mortalibus. Nam quis est, qui non indignum putet, hominem liberum loro cædi: tamen si quis ob patratum a se delictum quid passus fuerit, iure eum id passum fatemur: porro si castigandi, emendandiq; gratia quispiam hominem liberum uerberarit, nonne honore, ac gratia dignus ab omnibus iudicabitur: Eodem modo ciuem interficere nefas est, idq; punitur acerrime. At si quis furem, aut adulterum interfecerit, nōne insons est: Quod si proditorem patrię, aut tyrannum quispiam obruncarit, non ab omnibus laudabitur: commendabitur: extolletur: Ita in omni re finis & intentio hominis spectari debet. Mantinienses igit̄ primo relicta Republica Achæorū, Aetolis se patrięq; sponte tradiderūt, nec longe post Cleomeni. Inter hæc, dum sub re publica Lacedæmoniorum uiuerent, anno ante Antigoniam ad eas partes aduentum quarto, iterum ab Achæis duce Arato capti fuere. Quo tempore tantum abfuit, ut ob contractam offensam mali quidpiam paterētur, ut incredibile omnibus apparuerit, q̄ facile, quanq; celeriter uterq; populus in unam denuo Rempubliā coaluerit. Quippe Aratus, simul atq; potitus est urbe, mandauit suis, ne quid alienum tangerent: postea uocatos ad se ciues, hortatus est, ut

bono

bono animo essent, suisq; rebus fruerentur. Futuros enim saluos q̄diu sub republica Achæorum manerent. Mantinienses qui omni prorsus spe destituti uidebātur, Arati uerbis summopere recreati, euestigio sententiā mutant, & quorum modo perniciosissimi hostes erant, in pprias domos admittūt, cum iis res, fortunaq; suas cōmunicant, nihil deniq; pretermittūt, quod ad ineundam firmissimā amicitia pertineret uideat. Neq; id iniuria, nescio enim an aliqui unq; uel in manus mitiorum hostium uenerint, uel in maiores fortunæ calus lapsi cum minori detrimento surrexerint, quod Arati, atq; Achæorum humanitas fecit. Post hæc cum & futuras inter se seditiones, & Aetolorum ac Lacedæmoniorum machinas longe prospicerent, mittunt ad Achæos legatos, qui urbem si dei eorum tradant, ac subsidium postulent. Achæi sine mora trecentos uiros ex suis forte deligunt, hos proficisci Mantiniam iubent. Igitur trecenti uiri de gente Achæorum, relicta patria, fortunisque suis omnibus, Mantinię moram trahebant, & libertatem, ac salutem urbis tutabātur. Mercenarios præterea circiter ducentos secum habebāt. Non multo interiecto tempore seditio inter Mantinienses oritur. Quam ob rem aduocatis confestim Lacedæmoniis, urbem eis tradunt: & ne quid sceleri desit, Achæos omnes obruncant, quo nescio, an perniciosius aliqd̄ facinus memorari possit. Nam si recedere omnino a foedere atq; amicitia Achæorum statuerāt, fuerat saltem præsidium incolume in patriam remittendum. Quippe, hæc consuetudo etiam cum hostibus iure gentium seruari solet. Sed hi ut facilius facerent fidem sui erga Cleomenem & Lacedæmonios animi, eo immanitatis ac uecordiæ processere, ut uiolato iure gentium ne amicis quidem parcerēt. Quod igitur tantopere in eos sequebantur, qui etiam pauloante urbe eorum per uim potiti omnes ueluti insontes dimiserant, & in præsentia patriam ac libertatem eorum tutabātur: qua pœna, quo cruciatu putabimus dignos: quod iudicium par tanto sceleri excogitari poterit: an ut una cum liberis, atq; uxoribus uenire eant: at hoc iure belli etiā de his, q̄ nihil seuum, nihil crudele cōmiserunt, fieri licet. Non igit̄ maiori pena & grauiori exemplo digni putabant: Quo circa si ea tantū passi fuere, que scribit Philarchus, nō solū nō credendū, Græcos ob eam rem miseratione affectos esse, sed potius laudasse iudiciū Achæorū, q̄ tantā, tamq; inauditā crudelitatem censuissent, acerrime puniendā. Quam ob rem cum nihil aliud fuerint ea tempestate Mantinienses passi, q̄ quod spoliati fortunis suis, & uenundati ab hostibus fuere, quis non uideat hunc historiarū scriptorē non modo fuisse mendacē, uerum etiā incredibilia dictu scripsisse: & ut ignorantie cumulus accederet, ne id quidē animaduertisse, q̄ Achæi in Tegeatas eodem

I ii

tempore a se praelio captos nihil tale moliti sunt. Atqui, si eius rei causa crudelitas Achæorū fuisset, profecto Tegeatæ quoq; eandē crudelitātē forent experti. Sed cum hæc diuersitas duntaxat aduersus Mantinienses fuerit, manifestum, ipsam quoq; causam iracundiæ diuersam apud eos extitisse. Rursus hic ipse author Aristomachum Argiuum refert clarissima familia ortum, Argiuorum Tyrannum fuisse antiquā a tyrānis originem ducentem. Hunc ab Antigono atq; Achæis captum, ac Cenchream adductum, iniustissimam atq; iniquissimam omnium mortaliū necem tulisse. Facit præterea eum ubiq; sui similis per noctem uoces quædam in uinculis emittentem, quibus uicinos partim crudelitate rei perterritos, partim ut rem certius intelligerent, nonnullos etiam grauius indignatos ad eum locum cursitasse: & alia quædam muliebria atq; effœminata, quæ in presentiarum omittimus, contenti iis, quæ hæcenus commemorata a nobis fuere. Ego uero Aristomachum arbitror, etiam si nihil aliud aduersus Achæos deliquisset, præterq; q̄ pessundata Republica libertatem patriæ in tyrannidem conuerterat, quamlibet magno cruciatu dignum extitisse. Quamq; præclarus author cupiens illius gloriam extollere, & cōmemoratione malorum, quæ pertulerat, mendicare ab audientibus misericordiam, non solum tyrannū fuisse scribit, uerum etiam e tyrānis genitū, quo quid grauius, aut perniciosius dici potest: hoc em̄ nomen quasi seminariū in se continet crudelitatis, & omnes hominū iniurias, sceleraq; cōplectit̄. Atqui Aristomachus, etiā si gratissimos cruciatus passus fuisset, ut Philarchus tradit, nō tamē dignas, uel unius diei pœnas luisset. In quo cū Aratus Argos cum Archæorum manu per insidias ingressus uindicare in libertatē Argiuos niteretur, tandem nemine ob metum tyranni se mouēte exire urbe coactus est. Quam ob rem Aristomachus occasione sumpta, quod conscii aduentus Achæorum fuissent, octuaginta ciues trucidari in conspectu necessariorum iussit, scœdum prorsus, miserandumq; spectaculum. Sed longum esset ipsius per omnem uitam crudelitatem referre. Quippe hæc maioribus suis quasi hæreditario iure habuit. Igitur, si huiusmodi exemplis ac cruciatibus affectus fuit, haud est indignum censendum, siquidem longe indignius fuisset, sceleratissimum hominem post tot uirorum cædes, tot rapinas ueluti in fontem impunitum mori. Neq; Antigoni atq; Arati sæuitiæ adscribendum est, q̄ tyrannum, quo bello potiti legitime fuerant, interfici in uinculis iusserunt, quem etiam tempore pacis capere, & summis afficere cruciatibus optimum simul atq; honorificum fuisset. Quod uero præter hæc Achæos & prodiderit, quibus suppliciis dignus iudicabitur: Deposuerat non multis ante temporibus tyrannidem ob Deme-

trii mor-

trii mortē omni spe subsidii destitutus. Quo tempore Achæi eū non modo saluum fecere, uerum etiam ita humaniter, ac benigne susceperunt, ut & iniurias omnes quibus usus in tyrannide fuerat, ei dimiserūt, & in suam Rempublicam acceptam maximis honoribus affecerint, ac demū Ducem Achæorum creauerint. At homo omnium sceleratissimus oblitus tantæ humanitatis atq; clementiæ, statim cogitare coepit, quo pacto inire Cleomenis amicitiam posset: nec multis interiectis diebus, non sine ingenti periculo Achæorum tempore maxime necessario ad hostes defecit. Quem post paucos dies in bello captum, non Cenchreis per noctem in uinculis interfici dignum erat, quemadmodum Philarchus scribit, sed per omnem Peloponnesum circumductū post multa maximaq; supplicia tandem crudelissime trucidari: ueruntamen homo omni genere sceleris præditus, nihil grauius pertulit, q̄ q̄ in uinculis strangulatus est. Adde, q̄ idem author Mantiniensium calamitates pluribus uerbis prosequitur, quasi decere scriptorem historiæ putet duntaxat res crudeles, atq; iniustas legentibus exponere. De Megalopolitanorū uero uirtute, ac magnitudine animi, qua per id tēpus uli fuere, nullā prorsus mentionem facit: perinde, ac si magis proprium historiæ foret scelera atq; flagitia hominum, q̄ quæ iuste honesteq; facta sunt commemorare, præclari uiri minus laudis ex rebus egregie gestis assequi, q̄ ex sæuitia ac crudelitate uiderentur. Præterea quo pacto Cleomenes ciuitatem ceperit, integrā seruaerit, tabellarios Messenem ad Megalopolitanos cum literis miserit, ut in incolumem patriam reuerterentur, sibiq; adessent, hortatus fuerit: quo deinde modo Megalopolitani literas, dum legerentur, absolui non permiserint, & uix a tabellariis manus abstinerint, cæteraq; huiusmodi leuia atq; humilia consecatur: quod uero sequebatur, quodq; maxime proprium erat historiæ, prætermittit, laudem uidelicet, atq; memoriā rerum egregie gestarum. At quid ei erat impedimento: nam si eos qui solummodo uerbis, ac uoluntate bellum pro sociis sustinent, bonos uiros putamus: qui uero populationem patriæ, incendia, obsidiones patiuntur, non solum laudamus atq; admiramur, uerum etiam gratis muneribusq; prosequimur: quibus laudibus Megalopolitanos efferemus: quibus studiis complectemur: non ne maximis atq; amplissimis: Hi primo prouintiam Cleomeni reliquerunt: deinde omnino se patria abdicarunt, ne ab Achæorum societate recederent. Postremo, cum præter spem atq; opinionem omnium reuertī incolumes in patriam possent, maluerunt uitam in exilio trahere, dimissis domibus, sepulchris, templis, fortunis, omnibus deniq; rebus necessariis, quam aliquid uiolatæ sociis fidei signū præ se ferre.

I iii

Quo quid maius, aut præclarius factum est unquam? uel in posterum fiet? Cui igitur rei magis attentos reddere auditores scriptorē historiae oportebat: aut quibus exemplis, melius poterat hortari homines ad fidem seruandam, resq; egregie gestas imitandas? Ac Philarchus nullam huiusmodi rerum mentionem fecit, cæcus (ut mihi quidem uidetur) ubi pulcherrime res occurrunt, & inter cæteras maxime memoratu dignæ. Addit non longe post cœpisse Lacedæmonios Megalopoli prædam sex millium talentorum, ex quibus duo millia Cleomeni ex consuetudine dedisse. Vbi quis non statim admiretur inscitiam, atq; ignorātiā hominis de diuitiis, & potentia Græcorum: quæ maxime nota esse historico debent. Equidem ita affirmo, non iis temporibus, quibus & a regibus Macedonibus oppressæ, & uariis inter se bellis exhaustæ erant Peloponnesium uires, sed ea tempestate, qua iunctæ una cunctæ ciuitates secunda fortuna potiri uidebantur, haud tantum pecuniarum ex omni Peloponneso colligi potuisse. Nam quis ignorat, Athenienses, quo tempore cum Thebanis bellum aduersus Lacedæmonios gessere, ut exercitum decem millium hominum, & classē triremium centum pararent, facto censu, non solum ærarium publicum, uerum etiam proprias domos, ciuitates, omnem deniq; prouintiam exhaustisse, & uix tandem cōgregare potuisse sex millia talentorum, ducētis quinquaginta exceptis? Ex quo haud absurdū uideri debet, quod modo de Peloponneso affirmauimus. At iis temporibus in urbe Megalopoli nemo sit, qui audeat dicere amplius q̄ trecentorum talentorum prædam potuisse capi, præsertim cum dare apud oēs constet, homines tam liberos, q̄ seruos Messenem confugisse. Maximum uero huius rei argumentum est, q̄ cū per id tempus Mantinienses, qui neq; uiribus neq; fortunis inferiores Arcadibus erant, ut hic ipse author testatur, cincti undiq; obsidiōe ita in manu hostium uenissent, ut neq; fugere quispiam, neq; surripere quicq; potuisset: ad extremum tamē præda omnis etiam cum corporibus nō amplius trecentis talentis æstimata ab omnibus fuit. Cæterum quod mox subiungit, quis nō magnopere admiretur? Venisse, inquit, decimo ante id prælium die a Ptolemæo oratorem, qui Cleomeni nunciaret, negare Ptolemæum se ad belli impensas suppeditare aliquid uelle, proinde eum hortari, ut pacem cum Antigono faceret. Qua re audita, Cleomenem statuisse de omni simul re confestim decernere, antequam id ad aures militum ueniret, ne forte indignarētur, nullam sibi amplius spem stipendii relictam intelligentes. At si nuper sex millia talentorum Megalopoli lucrifecerat, quid erat Ptolemæi præsidium necessarium? cui trecenta solūmodo talenta satis superq; fuissent ad uires Antigoni con-

fringen-

fringendas? Simul igitur asserere Cleomenem omnē spem stipendii in Ptolemæo collocatam habere, simul tantum pecuniarū Megalopoli nactum affirmare, nōne summa inscitia est? Longa mihi suppeditaret oratio, si cætera uitia quibus egregius scriptor & hic, & ubiq; scatet, psequi uellem, sed hæc in præsentia satis esse existimaui. Post Megalopolis captiuitatem Antigono in ciuitatem Argiuorum in hybernis commorante, Cleomenes, cum primum per anni tempus licuit, copias cogere cœpit. Hinc militum animos pro tempore hortatus, exercitū in Argiuorum regionem educit. Fuere pleriq; qui eum ob hanc rem ueluti audacem nimis ac temerarium reprehenderunt. Propter situs locorum asperos, ac natura munitissimos. Alii id melius cōsiderantes, sapienter eum fecisse existimauere. Nam cum animaduertetur Antigonom uictoriam in manibus, ut qui longe multitudine militū præstaret, dimisso domi exercitu paruam admodum mercenariorum manum secum habere, huiusmodi quædam cogitare cœpit, facile sibi prouintiam sine discrimine ingredi. Quod si per eam ferro igniq; uastatam usq; ad moenia urbis pergeret, necessario Argiuos Antigonom, q̄ talia per desidiam pateretur, increpaturos: qui si murmure multitudinis cōmotus aduersus hostem exire cogeretur, quidni esse sibi uictoriam in manibus? ut qui longe in multitudine militū præstaret? sin uero fretus ratione in urbe permaneret, se factis per omnem agrum incursionibus, ac non paruo terrore hostibus relicto, suorum uero animis confirmatis, tuto ad proprias sedes reuersurum. Quæ res ita plane, ut cogitauerat, euenit. Nam cum passim uastare prouintiam multitudo cerneret, Antigonom reprehendere. Ille nihilominus prudētissimi ducis officio fungi, sese intra urbem continere, Cleomenes per omnē regionem intrepide discurrere. Ita tandem rebus ex sententia gestis, deuastata prouintia, perterritis Argiuis, suis uero ad futura bella audatioribus factis, securus domū reuersus est. Ineunte autē Vere, cum Macedones atq; Achæi reuersi ex hybernis forent, Antigonus cū exercitu Laconicē p̄ficiscitur, Macedonum intra phalangem habens circiter decem millia, sagittariorū ad tria millia, equites trecentos: præterea ferendarios mille, Gallos totidem, mercenariorum tria millia peditū, equites trecentos, Megalopolitanos circiter mille, instar Macedonum armatos, quibus Dux præerat Cercidas Megalopolitanus: ex lociis uero Boiorum duo millia peditum, equites ducentos. Epirotarum mille pedites, equites quinquaginta, Acarnanum totidem: præter hos etiam mille, & sexcentos Illyrios, quibus præerat Demetrius Pharensis, ita ut omnis summa copiarum esset octo & uiginti millia peditū, equites mille & ducenti. Cleomenes aduētū hostiū

I iiii

per exploratores cognito, omnes aditus, qui in prouinciam patebant, militibus, fossis, ac sectis arboribus diligenter muniuit. Ipse aditum, quem Sellasiam uocant, cum exercitu occupauit, ratus (id quod euenit) hostes per ea loca iter facturos, erant eius copiarum circiter uiginti millia hominum. Duo colles huic loco imminebant, quorum alterum Euam incolae uocant: Olympum alterum. Via inter hos media est, quae per ripam perfluentis fluminis ducit Spartam. Cleomenes igitur occupatis collibus, ualloque & fossa diligentissime munitis, in Eua gregarium militem, ac socios posuit. Iis Ducem reliquit germanum suum Euclidem, ipse cum Lacedaemoniis & mercenariis in Olympo constitit, Equites autem in planitie supra utranque fluminis ripam cum parte mercenariorum collocauit. Cum ad ea loca appropinquasset Antigonus, uno tempore & difficilem locorum situm, & miram Cleomenis in disponendo exercitu industriam conspicatus, quippe qui nullum optimi Ducis officium praetermiserat, abstinendum sibi praelio in praesens tempus existimauit. Itaque haud procul ab eo loco iuxta Gorgyli fluminis ripam castra posuit. Vbi paucis quibusdam diebus commoratus, loca omnia atque exercitum hostium lustrabatur. Postea laceffere ad praelium hostes tentauit. Sed cum nullum prorsus uacuum custodia locum offenderet (siquidem Cleomenis prouidentia omnia diligentissime construxerat) ab incepto destitit. Veruntamen ad extremum communi consensu praelio inimicitias dirimere statuerunt. Ita prorsus uno tempore duos Duces uirtute, consilio, ac sapientia pares fortuna coniunxerat. Antigonus igitur iis, quos in Eua collocatos diximus, Macedones scutatos opponit. Item Illyrios, cohortesque in plures partes diuisas alternatim disponit. His Alexandrum Ameti filium, & Demetrium Pharenses Duces praefecit. Post hos Acarnanes & Cretenses collocat. Postremo duo millia Achaeorum subsidii gratia subsequi iubet. Equites non longe a ripa fluminis aduersus hostium equitatum constituit, Alexandro Duce cum duobus millibus peditum illis relicto. Ipse cum mercenariorum ac Macedonum manu contra Olympum constitutus, inire cum Cleomene praelium decreuit. Deductis igitur in aciem mercenariis, Macedonum phalangem statim subsequi iussit. Quippe locorum angustiae, ne secus fieret, impediabant. Signum erat Illyriis inchoandi certaminis, cum primum ostensum ex locis, quae circa Olympum erant, linteum prospicerent. Nam hi per noctem sub ripa Gorgyli fluminis iuxta radicem collis confiterunt. Megalopolitanis quoque atque equitibus signum ineundi praelii erat, cum primum a Rege purpuream uestem erectam aspexissent. Iam igitur certaminis tempus aduenerat, & Illyrii datum ab Antigono signum notauerunt. Hortantur pro tempore socios, ut forti,

magnoque

magnoque animo sint, uictoriam sibi in manibus esse non dubitent. Post haec omnes incredibili audacia ad expugnationem collis irrumpunt. At leuis armaturae milites, quos cum equitatu Cleomenis in planitie relictos supra memorauimus, ubi animaduertere cohortes Achaeorum omni subsidio nudas esse, a tergo iam collem ascendentes, insecuti maximum in discrimen adduxerunt. Siquidem a dextra Euclidis cum gregariis militibus a frontibus praestabat, a leua uero mercenarii milites de tergo pertinacissime irruentes, impressionem faciebant. Quibus ex rebus accidebat, eos uno tempore ab utroque hostium agmine circumueniri. Id ubi animaduertit Philopomenes Megalopolitanus, statim quod optimum factum erat, excogitauit, idque aperuit ducibus. Sed quia & adolescens admodum erat, nec Ducatum unquam fuerat assecutus, parum ei adhibita aures fuere. Qua propter ad conciuces suos conuersus: parta, inquit, nobis est uictoria fortissimi uiri, si me sequimini. Factoque contra hostium equitatum impetu, audacissime eos inuadit. Mercenarii, qui de tergo expugnantes, collem infestabant, audito ingenti strepitu, simulque equorum certamen conspicati, retrahunt gressus, & ad equitum subsidium, ubi constituti ab initio fuerant, reuertuntur. Per hunc modum turbatis hostium ordinibus, Illyrii atque Macedones, ceterique una ab Antigono constituti, magno impetu in hostes feruntur. Ex quo post haec clara apud omnes opinio fuit, Euclidem eo tempore Philopomenis industria ac magnitudine animi superatum. Vnde & Antigonus tradunt, cum postea Alexandrum interrogasset, quam ob rem haud expectato, uti conuenerant, signo mouisset aduersus hostes equitatum: atque ille respondisset, id a se minime, sed ab adolescente quodam Megalopolitano, se inscio, factum, dixisse, adolescentem quidem optimi Ducis, Alexandrum uero ignari adolescentis officio functum. Qui autem cum Euclide cacumen collis tenebant, ascendentes hostium cohortes conspicati, facile imperitiam suam ostendere, neque enim cunctandum erat, quoad hostes ad uerticem collis integri peruenirent, sed fretos opportunitate locorum obuiam hostibus procedere, & ex superiori loco impetum in eos facere oportebat: postea, cum opus foret, ad dextram conuersos, confestim sese ad tuta recipere, dehinc rursus in hostes ferri. Per hunc modum fractas tandem, dissipatasque Macedonum copias facile uertissent in fugam. At hi, tanquam uictoriam in manibus haberent, plane contrarium fecere. Siquidem immoti in loco, ubi collocati a Cleomene fuerant, aduentum hostium praestolantes constiterunt, rati eorum maiorem fore hostium conflictum, quo ex altiori loco, & praerupto magis colle proiecti, praecipitatisque essent. Verum mox inscitiae suae poenas dedere. Quippe Macedones sine impedimento superato colle, postquam in

æquum locum uenerunt, pedem pedi conferentes, tanta audacia in medios hostes prorupere, ut eos statim in præcipitem ac perniciosissimam fugam conuerterint. Atrox eodem tempore prælium etiam inter equites gerebatur, ubi operæpretium erat aspicere, quo ardore, quibus uiribus, qua animi alacritate Achæi concurrerent: quippe omnibus pro libertate patriæ dimicantibus. Præcipue tamen inter ceteros Philopœmenis uirtus clara atq; illustris habebatur. Hic, cum eius equus telo grauius cõfossus exanimis cecidisset, nihilo timidior factus, pedestri certamine diu atrocissime se exercuit. Ad extremum utrunq; crus sagitta transfixus cū incredibili animi robore spirauit. Reges quoq; in Olympo cū mercenariis, ac leuis armaturæ militibus prælium inierant. Erant hi circiter quinque millia hominum, qui interdum priuatis certaminibus inuicem congressi, nonnūquam uniuersi simul fortunam belli tentantes, diu uariam uictoriam experti fuerant, eratq; ad extremum æquo Marte discessum. At postq̃ Cleomenes relictum ab Euclide collem, sociosq; in fugam conuersos animaduertit, equites uero iam ad summam desperationem redactos, undiq; formidine circūstrepente, patefacere p̃pinquū aditū, et fronte p̃ unum ex lateribus aciei exercitū educere decreuit. Iubet itaq; tubicines receptui canere, ac statim p̃ eum modū reuocatis leuis armaturæ militibus, phalanges ex utraq; parte conuersis hastis præliū capessunt. Fit atrox certamen, tantisq; animis utrinq; concurritur, ut modo cedentibus Lacedæmoniis, modo facta impressione Macedones cedere cõpellentibus, diu anceps uictoria fuerit, & cuius laus prima esset, difficile iudiciū uideret. Ad postremū Lacedæmonii superati, cū se fugæ cõmississent, passim instar pecudū cęsi, trucidatiq; fuere. Cleomenes paucis quibusdā equis comitatus, Spartā incolumis puenit. Hinc proxima nocte Sythium profectus, naues, quæ iam dudum ad necessarios usus paratæ erant, conscendit, atq; Alexandriam cum amicis nauigat. Antigonus nemine iam resistente Sparta potitus, cum cæteris in rebus magnanimitè se, ac perhumanitè erga Lacedæmonios gessit: tum uel in primis, ut salua integræq; Republica patriis institutis uiuerent, permisit. Paucos deinde dies ibi commoratus, cum ei nunciatum esset, Illyrios Macedoniam ingressos, prouintiam deuastare, in patriam cum exercitu reuertitur. Ita semper maximas res pro libidine fortuna uersat. Nam si uel id prælium Cleomenes aliquando diutius distulisset, uel saltem post fugam Spartæ commoratus, spem aliquandiu protraxisset, proculdubio discedente Antigono, summa totius rei ad eum inclinatura erat. Profectus itaq; Tegetam Antigonus iis quoq; integram Rempublicam permisit. Postridie Argos aduenit, tempore eo quo

omnis

omnis populus ad celebrandos Nemeæ ludos conuenerat. Huic effusa omnis multitudo obuiam procedit, in hunc oculos ciuitas uniuersa, in hunc suspenſa ora conuertit, hunc laudibus efferunt, hunc omnibus nō humanis tantum, uerum etiam diuinis honoribus & commune Græcorum concilium, & per se singulæ quæq; ciuitates honorant. Demum Macedoniam properat, ubi cum uagantes offendisset Illyrios, structis utrinq; aciebus eos adortus, post longum certamen superauit. Verum tantis inter certandum clamoribus ulus est, ut profluuio sanguinis paucos post dies interierit, ingenti spe fraudatis Græciæ populis, quam de eo non tam propter armorum usum, quam propter uirtutem atq; integritatem regiam cõceperant. Regnum Macedoniæ Philippo Demetrii filio reliquit. Verum, si quis forte a nobis quærat, cur præsens bellū tam longe repetitum tot uerbis scripserimus, sciat, nos illud consulto fecisse. Nam cum hoc tempus in ea potissimum tempora incideret, de quibus scripturi in præsentiarum sumus: dignum, immo potius necessariū iudicauimus, quemadmodum institutum ab initio fuerat, Macedonum, ac Græcorum statum, qualis ea tempestate extiterit, notum omnibus facere. Per idem tempus Ptolemæo etiam morbo consumpto, Ptolemæus Philopater regnum suscepit, Seleucusq; diē functus est Seleuci Callimachi & Pogonis filius. Huic Antiochus frater in regno Syriæ successit. Ita simile quiddam his accidit, atq; superioribus illis, qui post mortem Alexandri ea regna obtinuerant, id est Seleuco, Ptolemæo & Lysimacho. Illi enim centesima & uigesima quarta Olympiade, uti supra memorauimus: hi uero centesima & trigesima nona diem suum obierunt. Nos igitur, postquam totius nostræ historiæ præparationem exposuimus, latiscq; abunde declaratū est, quo tempore, quo modo, quibus causis populus Romanus omni Italia potitus exterarum gentiū in regna adortus fu erit, quis eo tempore Græciæ ac Macedoniæ status, quis Cartaginensium extiterit, cõsentaneum arbitramur, cum ad ea uentum sit tempora, uti ab initio fuerat institutum, in quibus Græci Sociale, Romani Annibalis bellum gessere, Reges uero Asiæ inferioris, Syrio imperio contenderunt, præsentē librū una cū huiusmodi rerū commemoratione, & hac p̃mutatione reſgnorū terminare.

POLYBII HISTO

RIARVM LIBER TERTIVS,

Nicolao Perotto Interprete.



Atis est a nobis in primo libro ostensum, quod Sociale, Annibaliscum, & Syriacum bellum ueluti principia, ac fundamenta rerum a Romanis gestarum subiecimus: ubi etiam redditae sunt causae, quae nos, ut repetitis altius principis Secundi libri historiam connecteremus, impulere. Nunc uero ipsa bella, causaeque, a quibus & orta sunt, & tam longe lateque diffusa, demonstrare conabimur, si prius conatum populi Romani quod breuius fieri poterit, exposuerimus. Nam cum unum opus, ac ueluti unum spectaculum sit, quod scribere adgressi sumus, quo pacto, quando, aut quam ob rem uniuersae orbis partes in populi Romani ditionem peruenere, idque & principium cognitum habeat, & tempus definitum, & finem certum: profecto utile existimauimus res etiam quae intra principium ac finem huiusmodi bellorum gestae sunt, duntaxat memoratu dignas, summam commemorare, rati per hunc modum studiosos nostri operis totius historiae cognitionem facilius adipisci posse. Multa siquidem animus noster ex uniuersalis historiae cognitione ad particularium rerum historiam necessaria percipit, nec parum etiam particularium rerum peritia ad uniuersalis historiae scientiam confert: quod si utrumque inuicem iunctum ueluti unam ex ambobus faciem praebet, incredibilem sane legentibus fructum affert. Verum, nos quidem de summa totius operis satis, superque duobus superioribus libris diximus: particularium uero rerum, quae medio tempore gestae fuerunt, principia quidem sunt haec, quae supra memorauimus, bella: finis uero Regum Macedoniae interitus: tempus inter principium finemque medium, anni quinquaginta. Intra quos tales ac tantae res gestae sunt, quales, quantaque superior aetas intra tam breue temporis spatium nunquam tulit. De quibus nos a Centesima & quadragesima Olympiade scribere incipientes, hunc ordinem seruabimus. Principio ostendemus causas, unde id bellum, quod Annibalis appellatur, inter Romanos, ac Carthaginienses oriri coepit, ut Carthaginienses Italiam ingressi, maximum in discrimen populum Romanum adduxerunt, ut repente inciderunt in spem, non solum reliqua Italia, sed ipsa etiam urbe Roma potiundi. Post haec exequi conabimur, quo pacto Philippus Rex Macedoniae post bellum cum Aetolis gestum, compositis in Graecia

Graecia rebus, in Carthaginiensium quoque spem deuenit. Antiochus uero & Ptolemaeus Philopater post longam dissensionem, tandem pro inferiori Syria bellum inter se gessere: Rhodii autem, & Prusias illato Byzantiis bello, abstinere eos Ponto coegerunt. Hic huiusmodi narratione terminata, de institutis atque republica Romanorum dicere aggrediemur, quod haec ueluti peculiaris populi Romani, in tantum uires eorum auxit, ut non solum Italia Siciliaque, praeterea & Galliae atque Hispaniae incredibili celeritate potiti fuerint. Sed tandem superatis bello Carthaginiensibus, totius orbis imperium affectarint. Hinc ueluti per transgressionem narrabimus, quo pacto Hieronis Syracusani imperium dirutum, prostratumque sit, item uarias turbationes, quae in Aegypto fuere. Praeterea quemadmodum post Ptolemaei regis interitum, Antiochus & Philippus iunctis inter se consiliis de diuisione regni puero relictis gerere bellum coeperunt. Philippus aduersus Aegyptum ac Samum, Antiochus aduersus Syriam atque Phoenicem. Post haec receptis summam Hispaniae Libyae atque Siciliae rebus, sermonem protinus simul cum ipsarum rerum mutatione ad loca Graeciae transferemus. Expositis enim naualibus praелиis, quae Attalus & Rhodii aduersus Philippum gessere: item Romanorum ac Philippi bello commemorato, quo pacto, aut per quos gestum sit, quem finem habuerit: seruata serie rerum, ad indignationem Aetolorum ueniemus, qua indixere Romanis bellum, Antiocho ex Asia aduocato, cuius belli causas una cum transfretatione Antiochi in Europam executi: primo ostendemus, quomodo Antiochus e Graecia fugerit: de hinc quo pacto bello superatus, omni prouincia quae est citra Taurum, Romanis cesserit. Tertio, quibus uiribus freti Romani post Gallorum, qui in ea prouincia uagabantur, excidium, totius Asiae imperium uindicauerint, omnesque citra Taurum habitantes populos barbarorum timore, & Gallorum temeritate liberarint. Post haec commemoratis Aetolorum ac Cophallinorum rebus infeliciter gestis, Eumenidis, Prusiasque & Gallorum bellum aggrediemur, item Ariarati bellum contra Pharnacem. Dehinc de concordia Peloponnensium, & incremento Reipublicae Rhodiorum breuiter locuti, narrationem nostram pariter cum rebus gestis concludemus, repetitis ultimo loco Antiochi, cui Epiphanes cognomen fuit, in Aegyptum expeditionibus, item bello Persico & interitu regni macedonici. Quibus ex rebus facile intelligi poterit, quomodo Romani singula quaeque aggressi haud longo interuallo uniuersum terrarum orbem subiugarunt. Quod si ex rebus prospere siue infeliciter gestis liceret uirtutem a uitio, aut laudatum hominem ab illaudato discernere, profecto hic finem facere oportuisset, narrationemque ad ea

quæ nouissime explicare a principio proposueramus, conuertere. Nam & tempus trium ac quinquaginta annorum in hæc desit, & imperiū Romanorum ita propagatum est, ut in posterum omnes clare intelligerēt, id factu necessarium fore, quod populus Romanus iuberet. Verū quoniam iudicari hæc ex euentu rerum non recte possunt, cum sæpenumero ea, quæ factu optima uidentur, nisi opportune fiant, ingētes afferant iacturas: & e contrario, qui in aduersum aliquem casum inciderunt, si id forti ac magno animo tolerant, plæruncq; fortunam suam in melius uertant: dignum iudicauimus, his quæ scripta a nobis sunt, etiam illud addere, quæ conditio uictorum fuerit, quæ ratio administrandi imperii, quomodo reliquæ urbes, regiōes, loca sponte ad eos descuerint: præterea qui mores, quæ ue instituta apud omnes fuerint, cum uitæ priuatæ, tum in uniuersum totius Reipublicæ. Sic enim & præsentibus palam fiet, fugiendumne, an potius sponte eligendum sit imperiū populi Romani: & posteris, utrū laude & memoria dignè, an e contrario uituperandè omnino sint res gestæ Romanorū. In hoc enim cōsistet in primis nostræ historiæ utilitas, siue ad præsentēs, seu ad posteros respexeris. Quippe nec qui bella gerunt, nec qui de bellis iudicant, finem bellorum statuunt ipsam uictoriam, nec ut imperio suo cuncta subiiciant. Neq; enim prudens quispiam iccirco cum finitimis bellū gerit, ut fusos, profligatosq; inspiciat hostes, neq; multa maria nauigat, dumtaxat transfretandī gratia, neq; artes & disciplinas illarum tantummodo causa sectatur, sed omnes ad hæc mouemur ob id, quod sequi exinde cernimus, uel iucū dum, uel uile, uel honestum. Quā ob rem & finis nostri operis merito dicetur: nosse, quæ conditio omniū fuerit post acquisitū a Romanis imperiū orbis terrarū, quousq; rursus noua rerū turbatio orta est. De qua, quoniā multæ maximèq; res memoratu dignè acciderunt, quibus ipse non solū spectator magna ex parte, uerum etiam hortator, atq; adiutor interfui, haud inuitus factō quasi alio principio scribere decreui. Hæc turbatio fuit, in qua Romani quidem bellum aduersus Celtiberos mouerunt, Carthaginēses uero aduersus Masanissam Libyæ Regem: quo tempore in Asia quoq; Attalus & Prusias inuicem contendebant. Ariarathes autem Cappadotiæ rex a Roserne per Demetrium regno expulsus, nō longe post per eundem in paternum imperiū restitutus est. At Demetrius Seleuci filius, cū annos duodecim regnū Syriæ tenuisset, ceteris regibus aduersum se conspirantibus, uita simul ac regno spoliatus fuit. Romani Græcos, quos bello Persico patrio solo extorres egerant, ciuitatibus suis restituerunt. Ipsi non longe post Carthaginensibus bellum intulere, ob causas quas dicemus. Ita cū Macedones quidē ab amicitia Romanorū,

Lacedæ

Lacedæmonii uero ab Achgorum Repub. descuissent, secta est cōmunis totius Græciæ calamitas, sed hæc de apparatu nostro satis. Utinam mihi tantum uitæ deinceps Deorum uolūtate sit, quantum ad perficiendum inceptum opus sufficiat: quanq̄ mihi persuadeam, etiam si longiora uiuendi spatia nobis negarentur, non defuturos tamen in tanta eruditorum multitudine, qui opus nostrum ad finem perducerent, & quod nobis repentina mors uetasset, exequi conarētur. Verum, cum res, quæ memoratu digniores uidebantur, abunde cōmemorauerimus, cupidi ut lectoribus nostri operis omnia, & in uniuersum, et per species innotescant, tempus est, ut iam propositi nostri memores, ad narrationem ueniamus. Ex his, qui res gestas Annibalis scripserunt, pleriq; cupientes causam eius belli ostendere, quod inter Romanos, Carthaginensescq; exarsit: primam quidē asserunt, q̄ Carthaginensēs Saguntum obsederūt: secundam, q̄ præter fœdus cum Romanis percussum, Iberum amnem transgressi sunt. Ego uero hæc quidē initium belli fuisse existimo, causas uero minime. Multum enim inter principia rerū, ac causas interest. Nisi forte quispiam, aut Alexandri transitum in Asiam causam fuisse dicat eius belli, quod aduersus Persas gessit: aut Antiochi descensum ad Deme triadem eius belli causam, quod est, cum Romanis inceptum, quod neq; uerum est, neq; uerisimile. Nam quis adeo rerū ignarus, eas belli causas uocet, quarum partem Alexander, partem etiam Philippus, cum adhuc uiuēret, ad bellū Persicum parauerat: siue Aetoli ante Antiochi aduentum ad bellum cum Romanis gerēdum: Sed hæc hominum sunt non animaduertentium, quantum inter principium, causamq; interfit, & quod causæ omnibus in rebus primæ sunt, principia uero ultima causarum. Equidem ita existimo, principia dici primas hominum actiones in rebus, quæ iudicatæ, ac deliberatæ sunt: causas uero quæ iudicium, de liberationemq; præcedunt: quæq; efficiunt, ut ita iudicemus, delibemus ue, ut cogitationes, consilia, ratiocinationes, ceteraq; huiusmodi. Hoc autē ex sequētibus palā fiet. Nam quæ causæ belli Persici fuerit, aut unde id bellum ortum sit, facile erit cuiuis perspicere. Prima quidē fuit, Græcorum cum Xenophonte per tot indomitas nationes, & Barbaras gentes in patriam reditus. In quo nemo Barbarorum per tanta itineris spatia, totq; hostilium terrarum anfractus Græcis se opponere ausus fuit. Secunda, transfretatio Agesilai Lacedæmoniorū regis in Asiam, in qua cum nihil dignum, nihil uiribus suis aduersum comperisset, ueluti triumphatis Barbaris ob turbationes, quæ in Græcia exarserant, retrogredi coactus est. His enim rebus Philippus Rex Macedonum ignauiam, atq; segnitiem Persarum expertus, & simul fretus sua atq; Macedonum

in rebus bellicis promptitudine, grandi præterea spe præmii allectus, cum primum Græcorum sibi beneuolentiam haud dubie conciliatam intellexit, sumpta occasione, quæ Persæ in Græcos asperrime sæuissent, omni conatu bellum contra eos mouit. Quapropter causæ quidem huius belli dicendæ sunt, quas primo memorauimus: occasiones, quas secundo loco diximus. Principium autem transfretatio Alexandri in Asiã: eius uero belli, quod sub Antiocho contra Romanos gestum est, causa extitit indignatio Aetolorum. Hi enim, cum in bello Philippi, sicuti supra memorauimus, sprete atque cõtempti fuisse a Romanis uiderentur, nõ solum Antiochũ in subsidium adhibuerunt, sed omnia & facere, & perpeti decreuere. Tanta eorũ animos superioris temporis indignatio cõperat: occasio uero fuit Græciæ libertas, sub cuius spem finitimas ciuitates in sententiam suam trahere conabatur. Principium uero belli extitit nauigatio Antiochi ad Demetriadem. Verum, nos quidẽ huius rei pluribus uerbis meminimus, non quo ueterum scriptorũ aliquem insectaremur, sed ut studiosorum utilitati consuleremus. Nam quemadmodũ medici nihil prodesse ægotantibus possunt, si morborum causas ignorant: ita qui circa res gestas uersantur, omni prorsus utilitate carent, nisi & loci, & temporis, & causarum, & occasionum omnium ratio constet. Nihil igitur uel magis necessarium, uel tantopere querendum, quàm causas rerum omnium, quæ accidunt, nosse. Siquidem ex opportunitate maxime interdum res oriri solent: facillimumque est cuiuslibet rei in ipso introitu obsistere. Atqui Fabius Romanus historicus eius belli, quod Annibale Duce inter Carthaginenses atque Romanos exarsit, causam fuisse refert, sequitiam atque crudelitatem Annibalis in Saguntinos & Asdrubalis ambitionem, ac immanem regni cupiditatem. Hunc enim, inquit, cum imperium Carthaginensium in Hispania mirifice auxisset, paulo post Carthaginem delatum, Rempublicam eorum pessundatis legibus conuertere in tyrannidem tentasse. Quod cum principes eius Reipublicæ intellexissent, facto inter se concilio ab Asdrubale dissensisse. Quare motum Asdrubalem relicta Africa confestim esse in Hispaniam reuersum, resque Hispanas in posterum, uti proposuerat, sine auctoritate Senatus Carthaginensium tractasse: Annibalem uero, quod ab ineunte ætate sub eo imperatore meruerat, eiusdem plane consilii fuisse refert. Quocirca tunc Hispaniensium rebus potitũ, Asdrubalis uestigiis plane instituisse. Ex quo id bellum uoluntate ipsius esse cum Romanis exortum, inuitis Carthaginensibus. Siquidem neminem omni Carthagine fuisse, cui duntaxat salus Reipublicæ cara foret, qui facta Annibalis in Saguntinos non maxime improbarit. Hæc locutus, addit post captiuitatem Sagunti uenisse

nisse Carthaginem legatos Romanos, qui Annibalem in pœnam rupti fœderis deposcerent. Quod si negaretur, bellum Carthaginensibus indicerent. Si quis uero Fabiũ roget, quid nam uel opportunius, uel iustus, uel cõducibilis esset Carthaginensibus: quandoquidẽ ab initio (ut idẽ inquit) factũ Annibalis ægre tulerant, quod ipsum auctore culpæ & criminis reum poscentibus Romanis ad piaculum tradere: atque ita cõmunem patrię hostem per alios ulcisci: statumque ciuitatis suæ quietũ facere, auctore bellorum eiecto, cum id duntaxat decreto fieri liceret: quid nam respondere possit: profecto nihil. At hi tantũ abfuit, ne quid tale agerent, ut decem & septẽ annos in bello continue cũ Romanis perseuerauerint: neque prius destiterint, quæ omni spe nudati, non solum in patrię, uerumetiam in caput suorum discrimen deuenierint. Sed quorsum hæc de Fabio, & scriptis eius? Non quo fidem auctori detrahamus, quandoquidem scriptorum ipsius uanitas facile per seipsam legentibus apparet, uerum, ut studiosos eius hortemur, ne tam auctoris antiquitatem, quæ ipsam rerum gestarum seriem animaduertant. Sunt enim nonnulli, qui nõ tam scripta ab auctore, quæ ipsum amplectuntur auctorem: & quia ille tempore, quo hæc gerebantur, uixit, Senatuque Romano interfuit, nihil ab eo dici posse non uerum existimant. Ego uero adhibendam quidem in multis huic auctori fidem existimo, haud tamẽ usquequaque credendũ. Siquidem res ipsæ, quæ, qualesque fuerint, quomodo conueniant, considerandum. Cæterum, ut eo reuertamur, unde discessimus, causa quidẽ eius belli, quod Romani cum Carthaginensibus gesserunt, prima existimari debet indignatio Amilcaris, cui Barce cognomen erat. Fuit autem Annibalis pater. Hic em in bello Siculo haudquaquam a Romanis uictus est. Nam exercitum omnem cui præerat, iuxta Erycen singulari uirtute seruauit incolumem. Sed cũ Carthaginenses nauali prælio profligatos cerneret, tempori cõsulendum ratus, pacem cũ Romanis iniit: nequaquam tamen indignatione deposita, quin continue opportunitatem aliquam præstolabatur, qua Romanos ulcisci posset: & nisi turbulento mercenariorum militum motu res Carthaginensium uexari cœpissent, euestigio bellum renouasset, sed intestino malo impeditus, rem in aliud tempus distulit. Romani uero periculum Carthaginensium animaduertentes in mercenariorum dissensione, bellum eis minati sunt. Quod illi uentitarent, nullam conditionem respuebant, sicuti superioribus libris ostendimus, sine quibus nec quæ in præsentia diximus, nec quæ relaturi post hæc sumus, intelligi possunt. Tandemque cum Romani desistere a proposito aliter non uiderentur consilii, atque subsidii inopes Sardinia eis cesserunt, tributoque, de quo primo conuenerant, mille & ducenta talenta

addiderunt, quæ res secūda, & maxima causa extitit eius belli, quod post ea ortum est. Amilcar enim cū ad indignatiōem eius, totius quoq; Carthaginensis populi indignatio accessisset, simul atq; extincto mercenariorum tumultu, res patriæ cōpositas, sedatasq; intellexit, bellum in Hispania adgressus est: studens hac ueluti præparatione uti ad bellū contra Romanos gerendum. Hæc uero tertia causa eius belli existimari debet, id est foelix Carthaginensium in Hispania successus. His enim aucti Carthaginensiu animi, audatius postea huic bello incubuerunt. Quod autē Amilcar maxima causa extiterit secūdi belli punici, quanq̄ decennio ante mortuus, multis quidem testimoniis comprobari potest: sed satis in præsentia erit, quod sequit̄, referre, quo tempore uictus a Romanis Annibal relicta Africa cursum ad Antiochum direxerat. Romani conatum Aetolorum animaduertentes, Legatos ad Antiochum miserūt, qui uoluntatem regis explorarent, & sub specie legationis apparatus eius specularentur. Hi simul ac fauere Aetolis Antiochum intellexerunt, paratūq; inferre Romanis bellum, omnibus diebus assidui circa Annibalē fuere, studētes eum assiduo colloquio suspectum inuisumq; regi facere: neq; eos consiliū suū sefellit, quippe Antiochus tanta familiaritate recōciliatam ei cum Romanis gratiā existimans, diu Annibalem suspectū habuit. Verū, interiecto tempore accidit, ut in cōsiliū uocatus a rege, liberio rem loquendi locum nactus sit. Tunc cōmemoratis multis, tandem ueluti indignabundus in hæc uerba prorupit, Quo tempore, inquit, pater meus Amilcar exercitū in Hispaniā traiecturus erat, annum ætatis agebam fere nonū. Tunc patre Ioui sacrificante, altaribus adhibebam. At pater meus sacrificiis rite pactis, secedere parumper ab aris cæteros iussit: meq; solum ad se uocatū p̄humaniter, & blandienti similis, an uellem in expeditionē duci? rogauit. Qui cum id non solum libēter acceptassem, uerum etiā pueriliter deprecatos forem: pater capta dextra mea, & altari adinota, uoluit, ut tactis sacris iureiurando assererem: me, cum primū per ætatem liceret, hostem populi Romani futurum. Itaq; q̄ diu hostis Romanis eris o Rex, licet in tuto credas omnia: nec quicq; de Annibale suspiceris, simul atq; uero uel foedus cum Romanis percussis, uel in amicitiam redieris, tunc noli expectare alium de me calumniatorem: sed statim ueluti hostem populi Romani cauendum puta. Semper enim quantum in me erit, illis aduersus ero. Hæc cum intellexisset Antiochus & uere, & præ dolore ex animo ab Annibale dici, cōfestim suspicionem omnem. * Hoc itaq; apertissimum testimonium est inimicitiarum Amilcaris, infestiq; aduersus Romanos animi, quanq; id ex ipsis rebus intueri liceat. Eiusmodi enim hostes populo Romano

reliquit

reliquit Asdrubalem filiæ suæ uirum, & Annibalem filium, ut nihil eis ad cumulum iniuriarū potuisset accedere. Verum, Asdrubal quidem morte interceptus, suum aduersus Romanos animum ostendere nō potuit. Annibali uero tempora concesserūt, ut factus uoti compos paternum odium longe lateq; diffunderet. Idcirco eos, qui in publicarum rerum administratione uersantur, intueri hæc diligenter, & exactissimo studio examinare decet, ne eos lateat animus illorū, cum quibus uel iunguntur foedere, uel pace conciliantur, quādo id cedentes tempori faciāt, quādo animo nō ulterius sæuendi, quo ab iis quidē, qui opportunitatem malefaciendi præstolantur, cauere assidue possint: iis uero, quos uel subiectos imperio suo, uel ueros amicos norint, quādocunq; res ferat, secure ac fideliter utantur. Causæ itaq; secūdi belli punici hæc sunt, quas hæcenus diximus, principia uero quæ mox referemus. Carthaginenses grauit̄, atq; iniquo animo ferebāt iacturā ablatē sibi a Romanis Sicilię. Hanc eorū indignationē, sicuti supra diximus, intercepta p̄ fraudē inter motū Africę Sardinia, & sup̄impositū stipendiū augebat, quas ob res simul atq; imperiū in Hispania auxissent, ultro arma iniecturi Italię uidebātur. Mortuo autē Asdrubale, cui post Amilcaris obitū summa impij cōmissa fuerat, anteq̄ nouū Ducē crearent̄ expectare exercitus uoluntatē decreuerāt. Ut uero e castris nuncius aduenit, Annibalem ingenti oim clamore atq; assensu imperatorē appellatū, aduocata euestigio cōtione, unanimi consensu electionē exercitus confirmarunt. Annibal igitur accepto imperio nihil cunctādum ratus, exercitū in Olcadum fines, ueluti per transitum ducit. Hinc discedēs Carteiam urbē, caput gentis eius obsidet, nec multis interiectis diebus expugnat. Quo metu p̄culsæ reliquæ ciuitates, ultro se Carthaginensibus dederunt. Exercitus uictor præda onustus, Carthaginem nouā in hyberna deducitur. Ibi Annibal prædā omnē inter milites liberalissime partitus, mirifice oim beneuolentiā sibi conciliauit: nec paruā futurarū rerū militibus spem adiecit. Vere primo rursus in Vacceos exercitū ducit. Ermandica mox potitur. Arbachalam uero ob magnitudinē ciuitatis, & multitudinē uirtutemq; oppidanorū diu defensam, post longam tandem obsidionem non sine discrimine uicāpit. Post hæc repente in maximum periculum præter opinionem incidit: Carpetanis eum ex Vacceis regressum, prædaq; onustum adortis, quæ gens & ferotia, & multitudine hominum, cæteros eius prouintiæ populos antecellit. Cum iis etiam se coniunxerant profugi ab Ermandica, quos Olcadum exules in eam sententiā adduxerant. Quod si Carthaginenses aperto prelio una cōcurrissent, profecto uicti, profligatiq; fuissent a Carpetanis. Verum, Annibal prelio abstinuit, & callide hostibus

K iiii

cedens, castris supra ripam Tagi fluminis collocatis, equitibus precipit, ut, cum hostem aquam ingressum uiderint, adorianur peditum agmē. In ripa Elephantos, præterea quadraginta disponit, ita cum & flumen, & feras ueluti concretantes haberet, omnia ex sententiâ processerunt. Nam Barbari metu cessisse Carthaginenses rati, sublato clamore passim in amnem ruunt. Quare magna pars eorum iuxta exitum fluminis absumpta ab Elephantis per ripam grassantibus, & ad se delatos, inaniter conculcantibus obriti: plerique autem ab equitibus in ipso flumine trucidati, quæ eques corpore armisque liber facilius per medios gurgites remgereret, peditumque uix uado fidem infestaret. Posteriores, quibus regressus in suam ripam facilis erat, retrocedebant. Cum tandem Carthaginenses omnibus copiis amnem ingressi uniuersos in fugam uerterunt. Erant autem Carpetani una cum Olcadibus, atque Vacceis ultra centum millia hominum, quibus superatis, nemo trans Iberum fuit, qui postmodum resistere Carthaginensibus auderet, præter Saguntinos. Hos nondum bello infestare Annibal uoluerat, ne prius causam aliquam belli Romanis præberet, quam cætera omnia iuxta Amilcaris parentis admonitionem sibi constantissime asciuisset. Saguntini interea frequentes Romanam nuncios mittebant, simul solliciti de rebus suis, & uelut præscii futurorum: simul, ne Romanos laterent foelices Carthaginensium in Hispania successus. At Romani post multos, uariosque de eadem re nuncios tandem Oratores in Hispaniam ad speculandos actus Annibalis mittunt. Annibal ea tempestate peractis quæ concupierat, rursus Carthaginem nouam in hyberna secesserat. Ut primū uero aduenisse Legatos Romanorum nunciatum est, ad se admitti iussit, & loquendi quæ uellent, potestatem fecit. Hi primo Annibali denunciant, ut a Saguntinis abstineat, esse enim socios populi Romani: deinde, ne Iberum transgrediatur, id enim in foedere cum Asdrubaleicto caueri. Quæ cum audisset Annibal, ut iuuenis, & bellico ardore feruens, quique facillime omnia per Principes factionis suæ in Senatu Carthaginensi obtinebat, ac iam iam in bellū aduersus Romanos exarserat, legatis quidē respondet ueluti amicus Saguntinorum, increpans populum Romanum, quæ nuper orta inter Saguntinos dissensione, cum ab iis literas accepissent, ut ad componendas res legatos Saguntum mitterent, per iniuriam quosdam e principibus ciuitatis interfecissent, quos ulcisci se uelle minatus est. Esse enim hunc ueterē Carthaginensibus morem, ne iniurias suorum inultas patiatur. Ex alia parte nunciis Carthaginem missis, quid agere opus sit consulit, cum Saguntini societate Romanorum freti, plerisque Carthaginensium oppidis graues iniurias intulerint. Denique omnis incōstantiæ atque indignatiōis

plenus

plenus, & ardore belli gerendi fluctuans, nullam ueram rationem adducit in medium, inanes tantummodo, ac ratione carentes causas sectat. Quod his accidit, qui uicti perturbationibus animi, officium deserunt. Nam quanto melius erat id dicere: Optimo quidem iure petere a Romanis Carthaginenses, ut Sardiniam, stipediumque, quod iam tot annis in summa eorum necessitate per iniuriam abstulerant, restituerent, id nō facerēt, bellum se eis indicturos. At nunc prætermissa uera causa, falsam hanc de Saguntinis fingens, non solum præter rationem, uerumetiam per summam iniuriam moturus bellum uidetur. Legati Romanorum, & si necessario suscipiendum esse bellum intelligebant, Carthaginem tamen profecti, eadem illis quoque denunciarunt. Verum Romani quidam non in Italia se, sed in Hispania dimicaturus, Saguntumque uelut monumentum ac receptaculum belli habituros sperabāt. Quam ob rem ad id se parantes, componere primum res Illyricas nitebantur: quippe intelligentes maximum se, ac diuturnissimum bellum, & procul a finibus Italiæ habituros. Accidit per ea tempora, ut Demetrius Illyriorū rex oblitus complurium populi Romani erga se officiorū, cum eos cerneret hinc Gallorum, illinc Carthaginensium terrore percussos, omnemque suam spem in regibus Macedoniæ haberet, quæ particeps fuerat eius belli, quod aduersus Cleomenem Antigonus gesserat, oppida Illyrii, quæ ditioni Romanorum subiecta erant, uastaret, urbes expugnaret, terminos in foedere nominatos transgredere, plerisque insulas e Cycladibus diriperet, & quasi tempestat quædam cuncta, prosterneret. Quæ ubi Romani intellexerunt, uidentes florentem ea tempestate Macedonū principatum, componere omni studio res Illyricas in presentia nitebant, sperantes id facile factu fore, seque paucis diebus & Illyriorū insitiā castigaturos esse, & ultimos Demetrii ingratitude. Verū res longe aliter quam sperabant, euenit. Nam dum tempus huiusmodi rebus teritur, Annibal omnium spe celerius Saguntum capit. Quo factum est, ut bellum iam non in Hispania, sed prope urbem Romam, & pro omnem Italiam exardesceret. Romani tamē hoc consilio freti, L. Aemiliū in Illyriū cum exercitu misere, qui res eius puintiæ componeret. Anno primo centesimæ & quadragesimæ Olympiadis Annibal Carthagine Noua cum omnibus copiis profectus, Saguntum petit. Ciuitas ea ultra Iberum sita est radicibus montis, qui Hispanos a Celtiberis diuidit, circiter mille passus distans a mari. Cuius incolæ & copia terrestrium fructuum, & multitudinis incremento, & uirtute militari cæteris Hispaniæ populis præstant. Huius fines infesto exercitu ingressus Annibal, quastatis passim agris, ad obsidionem urbis omnes machinas adhibet, commodissimum rebus suis fore ratus, si ea per uim potiretur. Primum enim ablaturum se Roma-

nis spem gerendi in Hispania belli animaduertebat. Præterea non paruum metum cæteris iniecturum, ex quo & ciuitates Hispaniæ, quæ iam in eius potestatem deuenierant, fideliores futuræ: & quæ adhuc in libertate uiuebant, euestigio se dedituræ uidebantur. Tertio, quod se deinceps tuto ad reliqua progredi posse intelligebat, nullo hostili loco post se relicto. Præter hæc, sperabat se ingentem pecuniam comparaturum, qua postmodum in rebus agendis uteretur: militum uero animos confirmaturum, ob summam utilitatem, quam quisque ex præda urbis caperet. Postremo etiam beneuolentiam ciuium, qui Carthagini morabantur, sibi conciliaturum, ob munera, quæ de manubiis ad eos missurus foret. His rationibus fretus, omni studio obsidioni urbis inheret, multitudinis animos nunc ira in hostes stimulando, nunc spe præmiorum accendit. Interim se ipsum exemplum præbet, cum in conficiendis, ad mouendisq; ad moenia machinis, tum in adeundis locis, ubi magis imminens periculum ostendebatur. Omnia denique non secus agit, quod si nihil inter se, atque militem ireresset. Per hunc modum octo continuis mensibus animo & corpore fatigatus, tandem Saguntum uicinitatem. Vbi maxima pecuniarum copia parata, multisq; captiuis in potestatem reductis, illam quidem in necessarios belli usus, uti statuerat, seruauit: hos uero inter milites pro dignitate cuiusque partitus est, reliquam autem suppellectilem dono Carthaginensibus misit. Quibus peractis, haud quam opinione sua frustratus est, sed omnia ei ex sententia successerunt. Siquidem & militum animos promptiores in posterum reddidit ad subeunda pericula, & Carthaginenses sibi obsequiosiores fecit, & ipse maiorem rerum gerendarum facultatem ob partam pecuniæ summam adeptus est. Dum hæc agerentur, Demetrius Illyriorum rex cognito consilio atque apparatu Romanorum, confestim Dimalam urbem præsidio, & comætu diligentissime muniuit. In reliquis uero oppidis Illyrii, eiectionis diuersæ factionis hominibus, suos tantum manere passus est. Ipse electis ex omni exercitu sex millibus ueteranorum, Pharam petiit. Inter hæc Aemilius Consul in Illyrium applicuit integris omnibus copiis: ubi cum animaduertisset, hostes forti ac constanti animo esse, quod situ ac munitionibus Dimalæ freti, irritum fore Romanorum aduentum opinabantur, eam primum urbem omni conatu censuit oppugnari debere, ratus, id quod euenit, si ea caperetur, facile reliquas percussas timore in potestatem Romanorum uenturas. Hortatusque est diligenter milites, & ad motis urbi machinis, Dimalam fortiter obsidet. Qua intra septem dierum spatium uicinitas capta, adeo animos hostium fregit, ut repente ex omnibus Illyricis ciuitatibus legati aduenerint, se se fidei Romanorum dedentes. Quibus in amicitiam receptis, ictisque

ictisque cum singulis pro cuiusque conditione foederibus, exercitum uersus Pharam mouet, ubi Illyriorum Rex immorabatur. Hic, quoniam eam urbem & natura loci munitissimam esse intelligebat, & electorum ex omni numero militum præsidio firmatam: comætu præterea & cæteris rebus ad bellum necessariis abundantem, ne difficilis, & perquam diuturna futura esset eius obsidio, uerebatur. Quam ob rem diu consilii anceps, tandem hanc uiam ingreditur. Facto per noctem in insulam cursu, magnam partem copiarum intra syluam, densissimis obsitam arboribus, collocat. Ipse orto iam die cum uiginti nauibus palam propinquum urbi portum ingreditur. Illyrii naues hostium conspicati, ac earum numero contenti, denso agmine procurrunt ad portum, ut Romanos a littore arceant. Vbi inuito cum illis certamine, acriter aliquandiu dimicatur, multis continue ex urbe in subsidium suorum exeuntibus, tandemque omnis in eum locum ciuitas confluxerat. Tum Romani, qui in propinqua sylua noctu delituerant, audito clamore, per loca abytha tempestiue eodem concurrerunt, occupatoque colle, qui intra urbem & portum natura munitissimus erat, reditum hostium in urbem prohibent. Quod animaduertentes Illyrii, inceptum arcendi hostes consilium deserunt, atque omnes in unum congregati se inuicem hortantur, ueluti ex composito cum his qui collem occupauerant, conflicturi. Romani uero iam appropinquantes Illyrios conspicati, instructis aciebus eos adgrediuntur, atque alacres capeunt prælium. Iam etiam pars altera a nauibus aderat, hostesque premebat a tergo. Ita undique concurrentibus Romanis, Illyriis uero non solum a fronte, uerum etiam a tergo laborantibus, diu atrociter pugnatur. Tandem uictoria penes Romanos fuit, Illyriorum maxima pars caesa, pauci se intra urbem receperunt, reliqui in deserta insulæ profugere. Demetrius ad Lembos, quos fugæ gratia, si quid tale accideret, tribus in locis parauerat, clam perlatus, insequenti nocte præter opinionem omnium saluus euasit. Profectusque ad Philippum Macedoniae Regem, reliquum ætatis suæ apud eum egit, uir alioquin audax atque robustus, sed temere, ac parum considerate in rebus bellicis se gerens. Qua propter exitum quoque talem habuit, qualis antea eius uita fuerat. Nam cum ex sententia Philippi Messeniorum urbem oppugnare cepisset, nimia audacia profusus, turpissime ab hostibus interfectus est. Verum, quæ de his particulatim dicenda erunt, cum ad ea tempora uentum fuerit, differemus. Aemilius Pharo repente potitus, urbem funditus euertit. Hinc reliquos Illyrii ciuitatibus intra paucos dies imperio Romanorum additis, rebusque omnibus, uti statuerat, in uicinitate compositis, ineunte iam Autumno Romanam reuersus est, ubi cum summa gloria receptus triumphauit, iudicatus ab

omnibus non solum prudenter, uerumetiam fortissime egisse. Cum interea nuncijs de excidio Sagunti Romam peruenisset, haud quaquam de bello inferendo est inter patres consultum, ut quidam scripsere, addentes rationes & causas, quæ animos eorum in utranque partem impellebant: quo quid inconstantius dici potest: quomodo enim incredibile est, ut qui proximo anno bellum Carthaginensibus denunciarant, nisi Saguntinorum finibus abstinerent, iidem nunc capta per uim Sagunto, an sit cum Carthaginensibus belligerandum, an contra bello abstinendum, inter se consulant: quid uero minus credibile: quæ ex una parte senatum, perinde ac si de summa rerum dubitaret, tristitia atque incertore incredibili affectum: ex altera uero pueros omnes, qui duntaxat duodecimum annum transgressi essent, in senatum a parentibus perductos, & consiliorum omnium participes, nihil unquam cuiquam secretum aperuisse: Hæc profecto neque uera sunt, neque uerisimilia. Sed de huiusmodi scriptis, qualia sunt Chereæ & Solyli, satis. Non tam enim historiae, quam fabulae anicularum uidentur, & iis similes, quæ in theatris memorari solent. Romani nuncio capti Sagunti, sociorumque indignè peremptorum accepto, ex templo legatos Carthaginem mittunt duo denunciatores, quorum alterum ignominiam pariter ac detrimentum allaturum Carthaginensibus uidebatur: alterum uero in summum discrimen imperium eorum adducturum. Petebant enim, ut uel Annibalem in poenam rupti foederis senatui traderent, uel bellum sibi a populo Romano indictum scirent. Legati postquam Carthaginem uenerunt, datumque eis est senatus, non sine Carthaginensium indignatione iussa patrum exposuerunt: quo peracto, Carthaginenses elegerunt Annonem, qui de iure suorum differeret. Is primo foedus Asdrubalis ueluti nunquam cum Romanis ictum præterire: deinde etiam si ictum fuerat, non teneri eo Carthaginenses asserere, quod absque autoritate senatus & populi iussu ab Asdrubale priuato arbitrio ictum extitisset. Ad id adducere Romanorum exemplum, quod foedus a Luctatio consule in Sicilia ictum, quia id sine autoritate populi Romani factum erat, infringi debere iudicauerint. Denique in hoc uno foedere per totam orationem insistere, id sapienter lectitare, in eo nullam de libero factam esse mentionem, asserere, sed tantummodo de socijs utriusque populi cauere. Hoc uero ad Saguntinos nihil attinere, quippe qui tempore icti foederis nondum erant socii Romanorum. Legati eam de iure foederum disceptationem ut alienam a dignitate populi Romani atroci oratione respuerunt, dicentes, eam facile tolerari posse, si res Saguntinorum integra foret. Nunc uero excisa Sagunto, uiolatisque iniquissime foederibus, uel patratores sceleris Roma-

nis

nis dedant, quo manifestum omnibus sit, Saguntum publico Carthaginensium consilio minime oppugnatum: uel, si id nolint, consilioque eorum expugnatam urbem fateantur, se ad bellum parent. Hic sermonum finis fuit. Verum, nobis quidem necessarium uisum est, haud tacitam hanc partem præterire, ne uel eos, qui in rebus gerendis uersantur, quorumque interest, hæc exactissime considerare, in rebus maxime necessarijs lateat ueritas, uel discendi cupidi inscitia atque errore scribentium decepti labantur, ignoratis foederibus, quæ ab initio primi belli punici usque in nostram ætatem inter Romanos, ac Carthaginenses acta sunt. Primum igitur foedus inter utrumque populum initum est statim post eiectionem urbe regium nomine, L. Iunio Bruto, & M. Valerio Consulibus. Sub quibus etiam Ioui Capitolino templum dicatum, duodeciginta annis ante primam Xerxis in Græciam transfretationem, quod quanto diligentius fieri potuit, interpretati sumus. Tanta enim facta est mutatio Romanæ linguæ ab ea tempestate in hodiernum diem, ut etiam qui antiquitatis peritissimi sunt, plerumque non nisi difficulter intelligant. In foedere igitur hæc fere continentur, Amicitia esto populo Romano, Carthaginensique. Item, Romanorum Carthaginensiumque socijs, Romani: socii uel Romanorum ultra promontorium Pulchri non nauigant, nisi uel uel uel tempestatis, uel hostili impetu coacti. Si quis ob huiusmodi causas eo applicuerit, nihil emito, nihil uel sumito, nisi quantum ad sacra uel ad nauigia opus sit. Intra diem quintum inde abito. Iis, qui mercimonij gratia aduenerint, immunitas esto, præter scribam, & preconem. Quotcumque presentibus his in Africa, uel Sardinia uenuerint, de his publica fides esto. Si quis Romanorum in Sicilia uenerit, ubi Carthaginenses imperent, æqua omnia sunt. Carthaginenses iniuriam non inferunt Ardeatibus, Antiatis, Aricenis, Circeis, Terracinesibus, alijsue Latinis, quotcumque imperio populi Romani parent. Si qua ciuitas non pareat, aliena esto. Si Carthaginenses coeperint, populo Romano integram reddito. Praesidium in Latio nullum ædificant: si perduelles prouintiam ingressi fuerint, non pernoctant. Huiusmodi fere primum foedus fuit. Promontorium uero Pulchri Carthagini adiacens ad Aquilonem uergit. Ultra hoc Meridiem uersus nauigare Romanos, Carthaginenses non permiserunt, ea causa, ut mihi quidem uidetur, ne in eorum notitiam uenirent. Loca syrtibus propinqua, quæ illi propter fertilitatem regionis Emporia appellant. Si quis uero uel tempestatis, uel impetu hostium huiusmodi locis applicuisset, nihil sumere licebat, præter ea tantummodo, quæ uel ad instaurandas naues, uel ad sacrificia opus foret. Cæteris prorsus abstinebant, atque intra quintum diem inde abire cogebantur. Carthaginem uero, & ad cætera Africae loca, quæ cis promon-

L

torium erant: item in Sardinia atq; Siciliam, ubi Carthaginenses imperabant, nauigare mercimonii gratia licebat: dataq; iis a Carthaginensibus de seruando iure publica fides erat. Verum, in hoc quidem foedere Carthaginenses uidentur de Sardinia atq; Africa, ut de propriis prouinciis sermonem facere, de Sicilia autem longe secus. Addunt enim, in eam Siciliae partem, ubi Carthaginenses imperent. Eodem modo Romani de Latio foedus ineunt: de reliqua uero Italia, nullam faciunt mentionem, quod nondum sub imperio foret ipsorum. Post haec aliud foedus initum est, in quo additi sunt Tyrii, & Vticenses. Cuius foederis uerba haec fuisse. Amicitia esto populo Romano, sociisque, & Carthaginensibus, Tyriis atq; Vticensibus, eorumque sociis. Romani, socii uel Romanorum ultra Promontorium Pulchri, nec praedae, nec mercaturae gratia nauigant. Si quod oppidum in Latio Carthaginenses ceperint, quod populo Romano non sit subiectum, praedam omnem ipsi habent, oppidum Romanis reddunt. Si qui captiui abducti fuerint ex libero populo, qui cum foedus populo Romano sit, in portum populi Romani non adducito. Si quis adductus fuerit, atq; a Romanis deprehendatur, dimittito. Idem Romani in locis, ubi Carthaginenses imperant, faciunt. Si aquam uel com meatum sumpserit Romanus, iniuriam non infero, quibus amicitia, foedus uel cum Carthaginensibus fuerit. Si fecerit, publica iniuria esto. In Sardinia atq; Africa nulli Romanorum, sociorum uel negotiantor, ne uel oppidum possident: nihil emunt, praeter res ad sacra, & ad nauigia necessarias. Si quas naues eo tempestatas detulerit, intra quintum diem abeunt. In Sicilia, ubi Carthaginenses imperent: item Carthagini, Romani omnia faciunt, negotiantorq; quae facere, negociariq; ciuibus Carthaginensibus licet. Idem Romae Carthaginensibus ius esto. In hoc quoque foedere Carthaginenses Sardiniam quidem atq; Africam suas prorsus ostendere uidentur: Siciliae uero duntaxat eam partem, quae ipsorum imperio pareat. A Romanis etiam cautum, ne Carthaginenses iniurias inferant Ardeatibus, Antiatibus, Circeis, Terracinenensibus, caeterisque Latii ciuitatibus. De reliqua uero Italia nulla mentio facta est. Post haec tertium foedus inter Romanos, ac Carthaginenses ictum est, tempore quo Pyrrhus Epirotarum Rex in Italiam traiecit, ante initium primi belli punici. In eo foedere eadem, quae in superioribus, comprehenduntur: deinde adiiciuntur haec. Si cum Pyrrho foedus percusserint, curato uterque populus, ut auxilium ferre alterutri liceat iis, quibus bellum inferetur. Si Carthaginenses, socii uel auxiliu Romanorum implorabunt, nauigia praebent ad traiciendum, belligerandumque. Si Romani, socii uel Romanorum postulabunt, mari Carthagi-

thaginenses opitulantur. In terra uero ut descendat, nemo compellito. Suis quisque stipendia soluito. In primo foedere iusiurandum ita factum accepimus. Primum Carthaginenses Deos patrios iurati sunt. Deinde Romani per lapidem secundum uetustissimum ritum, Martis, Quirinique numinibus additis iusiurandum praestiterunt. Ritus uero lapidis fuit huiusmodi. Foecialis sumpto in manibus lapide, postquam de foedere inter partes conuenerat, haec uerba dixit, Si recte ac sine dolo malo hoc foedus, atque hoc iusiurandum facio, Dii mihi cuncta foelicia praestant. Sin aliter aut ago, aut cogito, caeteris omnibus saluis, in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris, solus ego peream, ut hic lapis e manibus meis decidet. Nec plura locutus, manu lapidem deiecit. Haec cum ita sint, & in hodiernum diem tabulis aeneis inscripta conspiciantur in templo Capitolini Iouis, ubi ab aedilibus diligentissime custodiuntur: quis non magnopere admiretur, Philinum historicum, non quod haec ignorauerit (nam multi nostra quoque aetate Romanorum, Carthaginensiumque antiquissimi, quique huiusmodi rerum studiosissimi semper fuerunt, haec ignorant) sed quod his plane contraria scribere fuerit ausus: contineri enim in foederibus ait, ut Romani omni Sicilia, Carthaginenses uero omni Italia abstinerent. Idcirco Romanos in prima transfretatione in Siciliam foedus ac iusiurandum transgressos, cum nihil tale scriptum extet. Haec enim in secundo libro aperte Philinus scribit, quae nos breuiter in primo libro commemorata in hunc locum reseruauimus, ut de his particulatim differemus, rati id uel maxime necessarium fore, ne quis errorem Philini secutus, a ueritate deflecteret. Quod si qui transfretationem Romanorum in Siciliam ideo reprehensione dignam censuerint, quod Mamertini ab iis in amicitiam recepti, praesidiumque non longe post in summo discrimine laborantibus missum fuerit, cum paulo ante Messanam primo, deinde etiam Regium opulentissimas Siciliae ciuitates crudelissime diripuissent, fortasse id non immerito fecerint. Quod uero praeter foedus ac iusiurandum in Siciliam traiecerint, non nisi ignari hominis esset asserere. Finito in Sicilia bello, aliud foedus ictum, cuius haec fere summa fuit, Excedere Carthaginenses non solum omni Sicilia, uerum etiam in insulis omnibus, quae inter Siciliam atque Italiam forent. Vtriusque socios apud utrumque populum tutos esse, neutrum in alterius locis imperare, aut ullum munimentum aedificare, aut mercenarium militem conducere, alterius socios neutrum in amicitiam recipere. Carthaginenses duo millia & ducenta talenta in annos decem pendere, in praesentia mille: captiuos praeterea omnes sine pretio Romanis reddere. Rursus cum bellis Africano acriter infestarentur,

*Romani indicto eis bello, ut nouum foedus inirent, coegerunt. In quo continebatur, ut Carthaginenses Sardinia excederent, stipendioque mille & ducenta talenta adderent. Post haec omnia, ultimum foedus in Hispania cum Asdrubale ictum, in quo cauebatur, ne liceret Carthaginensibus Iberum flumen armatis transire. Haec sunt igitur foedera, quae inter Romanum & Carthaginensem populum inita sunt ab initio usque ad secundum bellum punicum, quod Annibale Carthaginensium Duce gesserunt. Verum enim uero quemadmodum in transfretatione Siciliae non uiolatum a Romanis iusiurandum ostendimus: ita post haec per summam iniuriam indictum Carthaginensibus a populo Romano bellum, facile quisque perspexit: tum, cum foedus de Sardinia percusserunt. Siquidem nulla ratio eius belli assignari potest. Sed manifeste deprehenditur, Carthaginenses praeter omnium foederum iura, iniquitate temporum coactos, & Sardinia excessisse, & auxisse stipendia. Nam quod Romani dissimulant, se propterea id facere compulsos, quod mercatores suos mari infestassent, iam antea dissolutum erat, captiuos omnibus a Carthaginensibus sine pretio restitutis. Quibus de rebus quando ea, quae particulatim dicenda erant, superiori libro memorauimus, nunc ad secundi belli punici causas ueniamus, atque utri populo ascribendae sint, perscrutemur. Carthaginenses igitur reddebant eas, quas supra retulimus, causas. Romani ob indignationem excisi Sagunti, nullas in praesentia referebant. Haec uero sunt quae apud eos & saepenumero, & a multis adduci solent. Primo quidem non fuit foedus Amilcaris cum Luctatii foedere comparandum, ut Carthaginenses dicere ausi. Siquidem & in Luctatii foedere additum, ita id ratum fore, si populus censuisset: in foedere Asdrubalis, nec exceptum tale quicquam fuit. Atqui in hoc cautum, ne liceret Carthaginensibus Iberum transgredi: in illo, ut socii utriusque populi tuti forent: quibus uerbis non ita tantum comprehensi, qui tunc essent. Ad ditum enim in foedere fuisset: uel, ut neutri liceret novos socios asciscere: uel, ut nouiter in societatem acciti, foedere non comprehenderentur. Hoc uero nemo sane mentis affirmarit. Nam praeterquam quod ante id tempus obseruatum semper fuerat, ne qui eorum etiam, qui nouiter in societatem recepti erant, iniuria afficerentur: quis credat, duos potentissimos populos priuari se uoluisse libertate, uel recipiendi in amicitiam, quos uellent, uel receptos in fidem defendendi? Enim uero intentionem eorum in foedere ineundo, haec in primis fuisse reor, ut praesentes socii tuti forent, nec recipi in societatem ab alterutro possent: nouorum uero sociorum gratia prouisum, ne mercenarium militem conducere, ne imperare quicquam in alterius prouincia liceret, omnesque apud utrumque populum

tuti

tuti essent. Haec cum ita sint, illud quoque manifestum est, Saguntinos compluribus annis ante Annibalis aetatem fidei Romanorum commendatos fuisse. Cuius rei uel maximum argumentum, ne a Carthaginensibus quidem negari potest: quod Saguntini orta intra ciuitatem seditione, non ad Carthaginenses, quamquam finitimos, & iam summam in Hispania obtinentes, sed ad populum Romanum se uerterunt, quo auctore ciuiliis dissensio sedata atque restincta est. Si quis igitur excidium Sagunti causam huius belli fuisse dixerit: idem Carthaginenses per iniuriam bellum gessisse cum Romanis, fateatur necesse est: cum ex foedere Luctatii, in quo continebatur, ne quis alterius sociis iniuriam inferret: tum ex foedere cum Asdrubale icto, quo cautum, ne Carthaginenses Iberum flumen armati transirent. Si uero propter ablatam Sardiniam, auctumque stipendium exarsisse eos in id bellum existimet, profecto non immerito id ab illis factum uidebitur, qui expectata opportunitate temporis, ulcisci se uoluerint. Sed non deerunt fortasse, qui haec parum considerantes, me superuacuo censeant huiusmodi rationes adeo diligenter inquirere. Ego uero ita sentio, si quis omnibus necessariis ita instructus sit, ut nulla re extrinsecus egeat, huic iucundam quidem, non tamen fortassis necessariam fore praeteritarum rerum cognitionem. Si quis autem id, neque in priuatis, neque in publicis rebus affirmare ausit, cum homo sit, ac presentem felicitatem, ut sunt res humanae, fluxae atque instabiles, labi posse intelligat, non modo iucundam, uerum etiam necessariam rerum gestarum peritiam dixerim. Etenim quo pacto quisquam uel illata sibi, aut patrie iniuria, socios, atque adiutores ad eam propulsandam inuenerit: uel nouis rebus studens, alios in sententiam suam traxerit: uel prospere cedentibus cunctis suorum animos recte confirmauerit: nisi ut singula quaeque a maioribus nostris gesta sint, cognitum, perspectumque habuerit? Ita enim in rebus praesentibus paratus semper atque instructus ea loqui, atque agere poterit, quibus & consilia cunctorum intelligantur, & ueritas omnibus patefiat. Praeteritae quippe res optima gerendarum rerum documenta sunt, facileque nobis ostendunt uniuscuiusque rationes, consilia, machinas, quid nobis gratiam, opem, beneficium parere possit, quid quemque aduersus nos mouere, quid ad misericordiam, quid ad indignationem, quid ad iustitiam, atque aequitatem impellere. Quae omnia, & publice, & priuatim plurimum in uita mortalium momenti habent. Quapropter ego quidem ita censeo, scriptores historiarum, eosque, qui in earum lectione uersantur, non tam res gestas, quam quid eas sequatur, atque antecedit, animaduertere oportere. Nam si quis ex historia tollat, quid, quomodo, cuius gratia actum sit, qui finis fuerit, quod supererit, ueluti contentio quaedam, non doctrina

L iiii

erit, & in presentia quidem iucunditatis fortasse aliquid, in posterum vero nullam prorsus ad uitam humanam utilitatem afferet. At enim dicet aliqui, nec facile haberi huiusmodi historia, nec ullo modo perspicere atque uideri poterit, ob multitudinem, magnitudinemque librorum. Verum, hi quidem ignorant, quanto facilius sit habere, atque perdiscere quadraginta libros recte in ordinem digestos, ubi res Italiae, Siciliae, Africae a transfretatione Pyrrhi in Italiam, usque ad captiuitatem Carthaginis, caeterarum uero orbis partium a fuga Cleomenis usque ad bellum Romanorum cum Achaenis iuxta Isthmum comprehensae sint, quam tot particularium historiarum uolumina, uel tenere, uel legere. Nam praeterquam quod & numero, & magnitudine librorum nostra superant, difficile est quicquam apud eos certi comprehendere: primo, quod non idem omnes de iisdem rebus scribunt: tum, quod res simul gestas praetereunt, quae si inuicem conferantur, longe clarius discerni ueritas potest: denique, quod id, quod maxime proprium est historiae, ne attingere quidem possunt, hoc est ea, quae res gestas praecesserunt, quaeque secuta sunt, & praesertim, quae ad causas attinent. Nos autem ita bellum Antiochi consideramus, ut a Philippico causam sumpsit: philippicum, ut a punico: punicum, ut a Siculo. Vbi, quaecumque interea rerum sunt gesta, & ad idem caput referri possunt, diligentissime rimantur. Quae omnia apud eum quidem, qui uniuersalem historiam scribat, facile intelligere licet: apud eos uero, qui de particularibus bellis disserunt, ut puta Persico, aut Philippico, impossibile: nisi forte aliquis ex uno certamine totius belli summam se putet posse intelligere, quod fieri non potest. Itaque quanto praestat didicisse aliquid perfecte, quam id tantummodo audiuisse, tanto historia nostra particularibus bellorum descriptionibus praestantior existimanda est. Caeterum, ut ad id, unde in hoc diuerticulum excessi, reuertar, legati Romanorum ubi tergiuersantes Pcenos animaduertere, nullum amplius uerbum fecerunt. Sed qui inter eos natu grandior erat, sinu e toga factum Senatui ostendens: hic, inquit, uobis bellum, pacemque portamus, utrum placet sumite. Sub hanc uocem non minus ferociter, daret utrum uellet, succlamatum est. Cumque is, excusso in media curia togae gremio, non sine horrore, quasi plane id in sinu ferret, bellum se effundere dixisset: accipere se, alacri uultu omnes responderunt. Interea Annibal Carthagini Noue in hybernis erat, militibusque, si qui forte suos inuisere uellent, redeundi in patriam potestatem fecerat, quo post tot labores exhaustos corpora, animosque ad omnia de integro patienda renouarent. Praeterea fratrem Asdrubalem instruit, quo pacto Hispaniam, si eum decedere prouincia oporteret, regere, tuerique ab omni populi Romani conatu debeat. Dehinc Africam quoque ualido praesidio firmat, aduocato

aduocato ex Hispania supplemento. Nam Afrum militem in Hispaniam acciuerat, callide nimirum partitus copias, ut Afri in Hispania, Hispani in Africa ueluti mutuis pignoribus obligati meliores essent. In Africam mittit equites mixtos ex multis gentibus mille ducentos, pedites ad tredecim millia octingentos quinquaginta: praeter hos etiam Baleares funditores octingentos septuaginta. Horum maiorem partem distribui per Africam iubet, reliquos Carthagini praesidio esse, simul aduocari ex interioribus ciuitatibus delectae iuuentutis peditem quatuor millia: eos non tam praesidium, quam obsides Carthaginem duci. In Hispania uero Asdrubali fratri quinqueremes quinquaginta reliquit, quadriremes duas, triremes quinque, sed aptas instructasque remigio duas, & triginta quinqueremes, triremes quinque. Addit deinde equites Libyphoenices, mixtum punicum Afris genus, circiter quadringentos quinquaginta: Ilergetes trecentos, Numidas, Mauroscumque accolae Oceani ad mille octingentos: Pedites autem ex Africa undecim millia octingentos quinquaginta. Ex Liguriis trecentos, ex Balearibus quingentos: & ne quod terrestris auxilii genus deesset, Elephantos unum & uiginti. Nec admirari quisquam debet, si non minori diligentia haec a nobis memorantur, quam si ab Imperatore exercitus census militum fieret: neque nobis succensere, quod mendacium instar minuta quaedam ac leuia sectemur, quo facilius scriptis nostris adhibeat fides. Non enim cum apud Lacinium tabulam aeneam conspexissemus, in qua huiusmodi descriptio erat: positam in eo loco ab Annibale, quo tempore per Italiam grassabatur, adhibendam ei omni ex parte fidem duximus. Ideoque haec fuimus in presentia secuti. Annibal, cum rebus Africis atque Hispaniae prouidisset, reditum eorum praestolabatur, quos ad sciscitandos Gallorum animos, qua traducendus erat exercitus, miserat. Nam quia & fertilissimam esse eam regionem intelligebat, & multitudine hominum refertam, qui uirtute atque experientia in rebus bellicis plurimum pollerent, essentque ob bellum Gallicum, quod superiori libro huius rei gratia memorauimus, populo Romano insensissimi, praemiserat eo, qui illorum animos donis conciliarent, & transitum alpium speculareretur: sperabat enim bellum sibi duntaxat in Italia gerendum, si per angustos Alpium saltus fauentibus Gallis incolumem traducere exercitum posset. Reuersis itaque nunciis, ubi expectationem, ac desiderium Gallorum intelligit, transitumque Alpium difficilem sane ac laboriosum, non tamen usquequaque inaccessum esse, instante iam Vere, copias ex hybernis aduocat. Allatum per idem tempus de his, quae Carthagini gesta erant, ad eum nuncius indignationem eius aduersus Romanos auxerat: spem uero de fide ac beneuolentia suorum mirifice confirmauerat. Itaque quamprimum copiae omnes in unum conuenerunt,

Annibal aduocata contione, non iam occulte, sed palam milites uariis adhortationibus ad bellum contra Romanos incitat, ut ipse pauloante ut cæteri Carthaginensium Duces, ob expugnatum Saguntum postulati ad supplicium fuerint, edocet. Fertilitatem, opesq; prouintiæ, ad quam profecturi sint, præterea amicitiam atq; societate Gallorum ostendat. Quibus dictis, cum animos omnium alacres, & nihil magis, q̄ discessum expectantes animaduertet, fidem ac uirtutem eorum laudat, dieq; profectiois indicto, contionem dimittit. Paratis interea omnibus, quæ ad iter necessaria erant, ut primum statutus dies aduenit, cum nonaginta millibus peditum, equitum duodecim millibus profectus, Iberum traiecit. Nec multis interiectis diebus Ilergetes, Bargusios, Ausetanos, Aquitaniam, ceteraq; usq; a Pyrenæum montem oppida subegit, ut omnium opinione celerius, ita non sine multis atq; atrocibus præliis, ac plurimorum militum cede. Oræ huic omni præfecit Hannonem, quem Bargusios etiam dominum constituit, q̄ magis huic populo diffideret, ob amicitiam, qua astricti cum Romanis erant. Decem millia peditum Hannoni ad præsidium tuendæ regionis dedit, & equites mille: omnia eorum, qui cum Annibale proficiscebantur, impedimeta eidem reliquit. Totidem fere ex Hispanis militibus domum remisit: cum quia grauari eos longinquitate uia, insuperabilisq; alpium transitu senserat: tum ut cæteris quoq; præberet spem in patriam quandoq; reuertendi: nec minus ut hoc uidentes Hispani, quos domi reliquerat, alacriori animo, si quando supplementi usus foret, in Italiam proficiscerentur. Ipse cum reliquis copiis numero quinquaginta millibus peditum, equitum fere nouem millibus, Pyrenæum transgressus, ad proximū Rhodani hostium tendit, non tam multitudine, q̄ uirtute militum stipatus, utpote qui trium & uiginti annorum durissima militia inter Hispanas gentes exercitati uictores semper extiterant. Verum, ne ob ignorationem locorum hæc pars obscurior foret, referendum breuiter censuimus, unde discedens Annibal, quibus, quantiscq; locorum spatiis superatis, quas Italia partes ingressus fuerit: neq; ipsas locorum appellationes adiecimus, ut quidam historici faciunt, putantes ita prorsus rem omnem perfecte intelligi, si nomina locorum in notitiam uenerint. Atqui ego quidē ita censeo, in relatione locorum, quorum cognitionē habemus, plurimū momenti nomina afferre, & ut facilius intelligant res ipsæ, & p̄tinatius memoriæ hereant. Vbi uero loca ipsa ignota sunt, simile esse appellationē eorum iis uocibus, quæ, præterq̄ q̄ aures p̄cutiunt, nullā prorsus significationē habēt. Ita fit, ut, cū mens nostra nihil omnino ex eo noīe comprehendat, neq; id referre, ut ad aliqd sibi cognitū possit, uana penitus atq; inutilis narratio

narratio fiat. Quam ob rem inuestigandus modus est, quo de locis incognitis loquentes, quatenus liceat, auditores in notionem ueri trahamus. Prima igitur & maxima, & omnibus hominibus communis notio est diuisio huius, quo claudimur, mundi: per quam omnes etiam inerediti, Ortum, Occalum, Meridiem, Septentrionem nouimus. Secunda est, per quam unicuiq; supradictarū partium partes orbis terrarum accommodantes, in cognitionem locorum, quæcunq; uidimus, quodam modo deuenimus. Sed cum orbis terrarum multe partes sint, quædam inhabitabiles, aliæ cōtrario q̄ nos situ ab Antichthonibus habitæ, in præsentia de situ duntaxat eius plagæ, quam nos incolimus, dicendum. Hæc cum in tres diuidatur, unam Asiam uocant, Africam aliam, tertiam Europam. Hanc diuisionem mare nostrum, & duo indyti amnes faciunt, Tanais & Nilus. His Asia ab reliquis partibus diuiditur, ingenti perpetua fronte uersa ad Orientem, tamen Meridiem atq; Septentrionem duobus lateribus aspiciens. Africa uero ab Asia quidem Nilo, ab Europa mari nostro separatur, uersa q; ad Meridiem nihilominus ad Iberum Occalum usq; ad columnas Herculis protenditur. Itaq; hæc duæ partes, si quis in uniuersum consyderet, Meridiem ab Oriente, interpositione nostri maris uidentur segregare. Europa autem Septentrionem uersa ab Oriente utriq; opponitur, extenditurq; usq; ad Occalum. Eius præcipua pars Septentrionem spectat intra Tanaim, & Narbonem fluium qui non longe distat ab Ora Massiliæ, ac Rhodani hostiis, quæ in Sardoum defluunt mare. Hanc omnem regionem Galli habitant a Narbone, usq; ad Pyrenæum montem, extenditurq; a mari nostro ad Oceanum. Reliquam uero Europe partem a Pyrenæo ad Occalum, hoc est, usq; ad columnas Herculis, ab latere circuit mare nostrū, ab altera Oceanus. Ora, quæ mari nostro abluitur, usq; ad columnas Herculis, Hispania uocat: pars quæ Oceanum spectat, cōmune quidē nomen nō habet, ut quæ recens in cognitionem nostram uenit, sed longe lateq; a Barbaris colitur. De quibus suo loco particulatim dicemus. Nam quæadmodum ea regio, quæ iuxta Aethiopiam est, ubi Asia atq; Africa iunguntur, usque in nostram ætatem ignota est, nesciturq; utrum perpetua sit, & continens, an claudat pelago: ita omne id, quod intra Tanaim atq; Narbonem ad Septentrionem uergit, usq; in præsentem diem ignoratur: somniantq; si qui de iis uel loquuntur aliquid, uel scribunt. Enim uero hæc referre operæpretium fuit, ne iis, qui eorum locorum ignari sunt, obscura omnia forent, quæ scripturi sumus: sed per eas coeli ac terræ regiones, quatenus fieri posset, in cognitionem ueri traherentur. Nūc ad rem redeamus. Carthaginenses ea tempestate omnem Aphricæ

oram tenebant, quæ mari nostro abluitur, ab aris Philenorum haud multum distantibus a magna Syrte, usque ad columnas Herculis. Continet ea longitudo sexdecim millia stadiorum. Transgressisque paruum fretum, quod inter Africam atque Europam interiacet, omni Hispania positæ erant usque ad Pyreneum montem, qui eam provinciam a Gallis dividit. Distat autem hic locus ab angustiis freti, ubi sunt columnæ Herculis, circiter octo millia stadiorum, inde ad novam Carthaginem, unde Annibal in Italiam transiturus mouerat, stadiorum tria millia. Hæc ab Ibero duobus millibus, & sexcentis stadiis distat, Ibero uero ab exitu Rhodani tribus millibus & ducentis. Ita enim summa cum diligentia dimensa ea loca per Romanos fuere. Exitus uero Rhodani a radicibus alpium, unde in Italiam transitur, mille & trecentis. Reliquæ alpes mille & ducentorum stadiorum spatio continentur. Quibus transactis, statim obuia sit ea pars Galliæ, qua Padus fluit. Itaque a Noua Carthagine usque ad Italiæ fines nouem millium stadiorum iter facere Annibalẽ oportebat. Quod si longitudinem uiaë animaduertas, iam fere dimidium itineris confecerat. Si uero difficultatem locorum aspexeris, maior pars profectionis superat. Annibal igitur cum omni conatu Pyreneum transgrediebatur, non sine metu Gallorum, ne forte situ locorum freti, transitum eius in Italiã phiberent. Interim Romam de iis, quæ Carthagini dicta, actaque per legatos fuerant, perlatus, & simul Annibalẽ omnium opinione celerius Ibero cum exercitu transgressum, aduentum in Italiã maturare. Quæ res non paruum metum patribus iniecerunt, eo maxime, quod concitatum aduersus se auidas semper armorum Gallicas gentes augurabant. Igitur statim electis iam Consulibus prouincias nominant, P. Cornelio Hispaniam, T. Sempronio Africam cum Sicilia. His sex legiones in eum annum decernunt, sociorum quantum ipsis uideretur: classis, quantum parari posset. Dum Romæ scribuntur milites, classisque & comæatus, & cætera ad transfretationem necessaria parantur, omni studio ad perficiendas colonias incumbunt, quas circa Padum in Gallia nuper inchoauerant. Iam edificata erant oppida: oppidanis ut intra triginta dierum spatium adessent, mandatum: decreta singulis coloniis sex millia hominum, quæ citra Padum edificata: Placentia, quæ ultra, Cremona appellata. Eam rem grauius & iniquo animo ferentes Boii, nec ueterum irarum immemores, ubi Carthaginensium aduentum compertum habuere, a Romanis defecerunt, dimissis obsidibus, quos superiori bello, sicuti memorauimus, dederant. Arreptisque repente armis, & ad id ipsum sollicitatis insubribus, tantum tumultum in agrum insubribus coloniis fecerunt, ut præterita omnis multitudo una cum Triumuiris Romanorum, qui ad diuidendos

agros

agros uenerant, Mutinam confugerit. Quos persecuti Boii, urbem obsidione cinxerunt. Cum aliquantisper obsidio durasset, simulari ceptum de pace, euocatisque a Gallorum Principibus ad colloquium Legati contra ius gentium, ac uiolata fide comprehenduntur, negantibus Boiis, nisi sui obsides sibi redderent, eos dimissuros. Cum hæc de legatis nunciata essent, L. Manlius prætor, qui tum in his locis cum copiis erat, ira accensus, subsidium ferre obsessis maturat. Quod ubi Boii intellexerunt, in sylua, quæ uiaë propinqua erat, insidias ponunt, ueniẽtemque in explorato hostem adgressi, magnam partem Romanorum cædunt. Reliqui ægre in apertos campos emerere: ubi relictis aliquandiu militum animis, cum nihilominus instare post terga Boios animaduertent, precipiti fuga Cannetum uicum contendere. Qui tumultus postquam est Romam perlatus, patres ueriti, ne diuturna obsidione præsidium Romanorum periclitaretur, Atilium prætorem cum copiis delectu nouo Consulibus conscriptis, auxilium ferre obsessis iubent: Consuli, ut in eorum locum nouum delectum habeat, mandant. Hic fuit gallicarum rerum usque ad aduentum Annibalis status. Consules interea paratis omnibus necessariis, Roma profecti, P. Cornelius in Hispaniam cum sexaginta longis nauibus, Sempronius in Africam cum centum & sexaginta quinqueremibus. Hic tanto impetu res bellicas aggressus, tantum in Lilybæo apparatus undique congegit, ut mox ipsam Carthaginem obsessurus uideretur. Cornelius uero per oram Hetruriæ, ac Ligurum profectus, quinto die puenit Massiliam proximamque Rhodani ostium (nam pluribus ditius amnis in mare decurrit) cum classe ingressus est. Hic cum Annibalem superare iam Pyrenæos montes didicisset, satis tamen adhuc eum putabat abesse, cum propter difficultatem loci, tum ob multitudinem Gallorum, qui frequenter circum ea loca habitabant. Verum, Annibal incredibili celeritate Gallis omnibus partim pretio, partim metu pacatis, ad Rhodani transitum per maris Sardiæ littus cum exercitu properabat. Quod postquam Consul intellexit, & si inops consilii erat ob celerem Annibalis aduentum, nullum tamen optimi Ducis officium prætermisit. Eductos e nauibus milites ab iactatione maritima refecit. Tribunos, quoniam in loco occurrendum hostibus foret, edocuit: trecentos delectos equites Ducibus Massiliensibus, & auxiliatoribus Gallis ad exploranda hostium consilia præmisit. Annibal iam Rhodano propinquus, transfretare quam celerrime festinabat. Itaque aduocatos omnes fluminis accolæ muneribus sibi conciliat. Ab his Lintres magna multitudine, & paratos ad quotidianum illorum usum Lembos emit, nouas inter Lintres cauari ex singulis arboribus iubet, quod etiam milites ipsi & copia materiae, & facilitate operis inducti fa-

ciunt. Vnde uix duorum dierum spatio tantum nauium, lintriumque cōparatum est, ut abunde ad traiciendum sufficeret, singulis laborantibus ne sociorum auxilio indigerent, sed propriis lignis se, suaque transueherent. Inter hæc ad ulteriorem ripam fluminis maximus Barbarorum numerus confluxerat, quo Carthaginenses a transitu Rhodani arcerent. Quod ut aduertit Annibal, intelligens se neque uis traicere flumen posse, hostibus ex aduerso omnem ripam obtinentibus, nec tuto ibi consistere, ne undique a Barbaris circumueniretur, prima noctis uigilia Hannonem Bomilcaris regis filium cum parte copiarum mittit. His duces itineris non nullos ex incolis loci tradit. Qui per ripam Rhodani aduerso flumine adducenta stadia profecti, supra paruæ insule circumfusum amnem constituerunt. Nam quia illic diuidebatur aqua, non immerito minus altus esse alueus existimabatur. Cæcis igitur euestigio arboribus, rates fabricatae quæ ad uirorum, cæterarumque rerum transfretationem sufficerent, Ita impediente nemine, tuti Rhodanum traiecerunt, nactique locum natura munitissimum, corpora nocturno itinere, ac labore operum cōfecta quiete unius diei refecerunt, omnibus ad consilium opportune exequendum intentis. Iam id ipsum Annibal cum cæteris copiis facere maturabat. Sed eum angebat consilium traiciendorum Elephantorum, qui numero septem & triginta erant. Igitur insequenti nocte qui fluuium transierant, cum primum lucefcere aurora cœpit, per ripam fluminis profecti aduersus Barbaros, quod conuenisse ad eum locum diximus, contendunt. Annibal autem paratas habens copias omnes iubet ut ad traiciendum se præparent, Lembos equitibus impleant, paratis, instructisque ad bellum, ut si ita res ferret, extemplo egressi usui foret. Lintres uero expediti occupent, peditesque, ut maiori tranquillitate fluminis tutius traducerentur, undarumque impetum firmiter sustinerent, superiori parte fluminis ad dextram Lembos ponit, quo uehementiorem illum ac precipitem aquæ fluxum exciperent. Equos a puppibus nantes, loris trahi iubet tris & quatuor simul, duobus uiris ad utrumque latus puppis sedentibus. Quo factum est, ut maior pars equorum in prima transfretatione traduceretur. Hæc autem conspicati Barbari, ingenti tumultu relictis castris, passim temereque in ripam concurrunt, ueluti nullo negotio transitum hostibus prohiberi. Annibal aliquandiu cōmoratus, ubi appropinquare suos ex prodito fumo, uti conuenerat, intellexit, dat simul omnibus signum ad traiciendum. Quo uiso, repente Carthaginenses ingenti clamore facto traicere amnem, atque impetum fluminis omni conatu perrumpere nituntur, certantque inter sese, qui primus ad ulteriorem ripam perueniat. Ita cum iam utraque ripa a Carthaginensibus tenetur, omnesque cum ingenti uociferatione flumen traicerent:

Galli cum uariis ululatibus more suo pæana canentes, arcere summo impetu hostem nitebantur. Terribilis aliquandiu tumultus, uisusque horrendum certamen fuit. Galli omnes de relictis tentoriis ad flumen confluxerant. Mox Hanno cum suis aderat. Horum pars in castra impetum faciebat. Reliqui a tergo pugnantem premebant. Galli nouitate rei obstupefacti, pars in castra, ut ea ab hostibus tutarentur, recurrunt: alii nihilo segnius pugnae insistant. Annibal ubi consilium sibi ex sententia successisse animaduertit, hortatur suos, ut pristinae uirtutis memores, hostem forti animo propulserint. Ita omnes facto impetu in medium irrumpunt. Tandem Galli, & quia nullo ordine prælium inchoauerant, & improuisa Hannonis legione perterriti, se turpi fuga in uicos suos receperunt. Dux Carthaginensium uno tempore flumine, atque hostibus superatis, reliquas copias per ociū traiecit. Ita cum omnes breui tempore ad ulteriorem ripam peruenissent, spernens iam Gallicos tumultus, castra locat, atque ita per quietem in ripa fluminis eam noctem egit. Postridie cum audisset Consulem Romanorum cum classe hostia Rhodani ingressum, Numidas equites quingentos misit speculatum: ubi, & quantæ copiae hostium essent, quid ue pararet. Interim traiciendis Elephantis per magistrōs dari operam iubet. Ipse aduocata contione, Regulos, qui ex Transpadana Gallia ad se uenerat, acciri fecit. Hi per interpretem multitudinem allocuti, ad transitum Alpium hortantur: se, cæterosque Galliarum incolas, auxilio eis futuros pollicentur. Iter fortunatum, & nulla re necessaria egens. Nec difficile sane alpiū transitum esse: loca, ad que profecturi sint, omni genere rerum opulentissima, habituros præterea eiusmodi socios, quorum uirtus non parum præteritis temporibus populo Romano formidolosa fuerit. His atque aliis huiusmodi dictis, Reguli discessere. Post quos Annibal ingressus, primum quidem præteritas res gestas multitudini cōmemorat. In quibus eos per tot discrimina bellorum consilium, ac sententiā suam secutos, uictores sæpenumero fuisse refert: nunquam minus prospere rem gessisse. Dehinc hortatur, ut magno fortisque animo sint, scientes maiorem partem laborum iam emensam esse, superato difficilimo amne, & sociorum beneuolentia ac promptitudine parata. Proinde, curam omnem gerendarum rerum sibi relinquunt, ipsi tantummodo, quando opus fuerit, dicto Ducis obediētes sint, pristinae uirtutis rerumque a se fortissime gestarum memores. His dictis, cum multitudinem alacri uultu animi audaciam præ se ferentem uidisset, uniuersos laudauit. Dehinc Deos secundum morem precatus, abiit: indicto militibus, ut corpora curarent, seque in posterum ad discessum accingerent. Vix dissoluta contio erat, cum Numidæ, quos speculatum missos supra diximus, fuis, pflugaticque

ab hostibus redeunt. Etenim cū non longe a propriis castris equitibus Romanis, qui ex eadē causa missi a Scipione fuerant, occurrissent, tanto ardore utriq; conseruerunt manus, ut ex Romanis, & Gallis ad centum quadraginta equites ceciderint, ex Numidis plusq; ducēti. Romani Carthaginenses usq; ad castra persecuti, perspectis diligentissime omnibus, ad Cōsulem reuersi sunt, præsentiāq; hostiū, & certamen cum Numidis habitū indicarunt. Quibus auditis, P. Cornelius Scipio haud cunctandū ratus impedimenta nauibus imposuit. Ipse coactis copiis p̄ Rhodani ripam profectus, ueluti cū hostibus conflicturus maturat iter. Annibal postridie eius diei, quo habita contio erat, cum prima luce equitatum omnē uersus littus ueluti in p̄sidio disponit. Peditum uero multitudinē e castris motam paulatim p̄cedere iubet: ipse ut Elephanti ocuis traiciantur, omī solitudine intendit. Eorum traiciendorū consilium huiusmodi fuit. Compluribus paratis ratibus, duas inuicē copulatas a terra in amnem porrigunt, latas pedes quinquaginta. His alias duas a parte ripæ adiiciunt: quas, ut secunda aqua deferrentur, cōpluribus retinaculis ualidis ad arbores parte ripæ superiori eminentes alligant. Erat earū longitudo ad ducentos pedes. Post hęc alias duas rates, quæ reliqs longe maiores erant, extremis illis leuiter adnectunt, quo haud difficulter solui possint. Ab his pendeant funes aliqui, quibus ab actuariis nauibus, postq; dissolutæ a ceteris ratibus essent, trahi in ulteriorem ripam ualere. Postremo eas omnes humo tegunt, ut beluæ per eas sine pauore ueluti per solū progredere. Hoc apparatu facto, Elephanti, qui Indis ubique, præterq; in undis, parere consueuerant, per stabilē ratem tanq; per uia p̄grediētibus duabus sceminis aguntur. Qui ubi in extremas rates applicatas transgressi sunt, extemplo resolutis, quibus leuiter adnexæ erant, uinculis, ab actuariis nauibus pertrahuntur, nihil sane trepidantes, donec continenti agebantur. Vbi uero soluta a ceteris rate in altum se uehi cernebant, undiq; formidine capti cedentibus ab aqua extremis, aliquantum turbationis edebant. Quietem tamen timor ipse faciebat, omni ex parte aquam circumspectantibus feris. Ita primis expositis, alii deinde repetiti, traiectiq; sunt. Quidam timore sequentes in flumen deciderunt: qui tamen peremptis rectoribus, incolumes euasere. Siquidem & pondere ipso stabiles, & magnitudine prominentium extra aquam narium, quibus emittere, si quid ebiberant, ac respirare poterant, pedetentim uadis progressi, ad ulteriorem ripam recti peruenerunt. Traiectis itaq; Elephantis, Annibal cum his, atq; omni equitatu aduersa Rhodani ripa mediterranea Galliæ petit. Rhodanus tribus fontibus surgit supra maris Adriatici intimum sinum. Deinde Lemano lacu ac

ceptus

ceptus tenet impetum, seq; per medium iter agens egreditur, & inde in Occidentem ablatus, aliquandiu Gallias dirimit: post cursu uersus Meridiem adducto defluit in mare Sardoum. Eam partem fluminis, quæ ad Septentrionem uergit, incolūt Galli, quos Druentes uocant. Latus uero, quod Meridiem spectat, terminant alpium saltus, qui ad Septentrionem eriguntur. Campos autem circa Padum, de quibus supra memorauius, a Rhodano diuidunt alpes, quæ a Massilia incipiētes, usq; ad intimum maris Adriatici sinum p̄tenduntur. Has tunc prætergressus Annibal a locis, qui circa Rhodanū sunt, in Italiam uenit. Hoc loco scriptores quidam, dum magnitudine rei perterrefacere legentium animos student, nō animaduertūt labi se in duo ab historiæ lege alienissima. Siquidem & falsa scribere, & plane inter se repugnantia coguntur: simul enim Annibalem, quem & scientia rei militaris, & animi magnitudine omnino inimitabilem uolunt, omnis prorsus consilii, atq; rationis expertem ostendunt. Simul nullū exitum mendatio reperientes, ad Deos, & Deorum filios confugiūt. Nam cū iter alpium adeo immensum atq; asperū faciāt, ut nō solū equitibus, impedimētis atq; Elephantis, uerum etiā ipsis leuis armaturæ peditibus inuium, inaccessumq; sit. Præterea etiā tantam in eo solitudinē: ut, nisi quis Deus, aut heros ducē se itineris præbeat, proculdubio omēs copię per loca prærupta eant perditū: apertissime in utrunq; labūtur errorē. Primū enim quis Ducum Annibale imprudentior erit: qui tot copiis, taliq; exercitui præfectus, in quo spem omnē bene gerendarum rerum reposuerat: neq; uias, neq; loca, ut ipsi asserunt, nec qua iret omnino, nec ad quos tenderet, sciebat. Nam quod ceteri post maximos conflictus, etiam in summa desperatione rerū non faciūt, id isti fecisse Annibalē in tanta spe, ita florente exercitu uolūt: quo quid ineptius dici potest? At quid de solitudine atq; asperitate locorū dicūt, apertius etiā mendatiū indicat: neq; enim referunt, ut Galli Rheni accolæ, nō semel neq; bis ante id tempus in Italiam uenerint, neq; ut olim cū magno exercitu supatis alpibus in subsidiū Cisalpinorū contra populum Romanū uires aduocarint: neq; ut ipsis etiā in alpibus multorū hominum gens habitet: sed hęc omnia ignorātes, deū quendam, inquit, apparuisse Annibali, iterq; monstrasse. Quo fit, ut Tragcedis potius, q̄ historicis similes uideant. Nam ut illi frequēter dramata sua aut Diis aliquibus, aut machinis terminant, quod falsa, irrationabiliaq; principia sumpserunt. Ita hi rerum gestarum scriptores simile quiddam patiunt: & dum falsa sumunt exordia, tandem ad Deos aliquos, siue heros confugere coguntur. Nam qui fieri potest, ut ex falsis initiis ueri fines sequantur? Atqui Annibal nō talem se, qualem hi tradunt, sed callidum simul

M ii

ac prudentem ducem præstitit. Quippe & fertilitatem regionis, ad quã festinabat, & incolarum aduersus Romanos odium diligentissime scruta tus est, & in ascensu Alpium, quod asperum difficileq; iter erat, duces habuit accolas locorum, quos iam ad bellum contra Romanos in sen tentiam suam traxerat. Quibus de rebus nos quidem eo audatius scribi mus, quod & ab his didicimus, qui ea tempestate rebus interfuerunt, et ea loca ipsi uidimus, ob eam solūmodo causam eo profecti, ut alpes con spicaremur. P. Scipio consul Romanus triduo, postquã Carthageni ses a ripa Rhodani mouerant, ad castra hostium animo præliandi profe ctus, ubi deserta munimenta uidet, obstupefactus aliquandiu constitit. Quippe sibi persuaserat hostem nunq̃ per ea loca in Italiam facturū iter, cum ob asperitatem uiarum, tum ob incolentium Barbarorū multitudi nem. At ubi audatiam Carthagenensium perspexit, extemplo ad mare, ac naues reuersus, conuocari copias iubet, & fratrem quidem in Hispa niam, ne ea pars nuda præsidio foret, cū parte copiarum mittit. Ipse rur sus in Italiã reuertit, facilius per eum modū, tutiusq; descendenti ab Al pibus Annibali occursurus. Annibal quartis castris ad insulam perue nerat, locum & multitudinē hominū, & feracitate regionis prædiuitem. Cui propterea Insulę nomē inditum, quod ibi Arar, Rhodanusq; ex Al pibus decurrentes aliquantū agri amplexi defluunt in unum, faciuntq; insulam & figura, & magnitudine similem ei, quę in Aegypto Delta ap pellatur: nisi quod illic latus unum mare efficit, cum quo duo amnes cō iunguntur: hic uero difficiles, atq; asperi montes, & plane inaccessi. Eo cum applicuisset Annibal, repperit duos fratres inuicem de regno dissi dentes, & utrunq; iam alteri cum exercitu oppositū: uocatusq; ab eo, qui natu grandior erat, rogāte, ut sibi paternum imperium restitueret: haud minus paruit, per opportunum id rebus suis fore arbitratus. Ex cluso igitur fratre minore, imperioq; maiori tradito, non solum com meatum, rerumq; omnium copiam ob id meritum tulit, uerumeti am arma omnia renouata, & addite uestes, quas infames fri goribus Al pes preparare cogebant. Preterea, quod maximum fuit, comitante cum exercitu rege per Allobrogū regionē integris omnibus copiis ad Alpes usq; pductus est. Ita cū intra decem dierum spatium a Rhodano pfectus circiter octingenta stadia cōfecisset, conscendere Alpes cœpit, ubi mox maxima pericula oblata sunt. Nam quandiu campestri itinere progressi Carthagenenses fuerant, Duces Allobrogum cum bona pace transire omnes permisere, partim equites ueriti, partim præsidium comitantium Gallorum. Vbi uero & illi domum reuersi, & hi loca aspera, difficiliaq; conscendere cœperunt, cōgregata Allobrogum multitudo ingens op portuna

portuna præoccupat loca, per quæ necessario transire Annibalē oportebat. Qui si in ualles occultiores insedissent, coorti repēte in pugnam, magnam profecto stragem Carthagenensibus dedissent. Sed uisi procul ab Annibale non tam hostibus, quam sibi ipsis obsuere. Etenim cū aspe xisset Annibal opportunissima quæq; loca tenere Barbaros, consistere signa iussit, castrisq; inter confragosos, ac præruptos saltus locatis, quos dam ex Gallis, quos secum habebat, ad uisenda loca, explorandamq; ho stium intentionem, atq; omnē apparatus præmisit. Per quos cum com perisset, hostes interdium tantum in his locis cōsistere, nocte uero in pro pinquam urbē ad sua quenque tecta dilabi, tali consilio usus est. Prima luce aperte cum omnibus copiis subiit tumulos, tanquã uī interdium per medios hostes erupturos. Cum uero hostibus appropinquasset, castra eo in loco diligentissime muniuit. Tum ubi primū facta nocte digressos tumulis montanos sensit, plurimis ignibus accensis maiorē partem exer citus ibi reliquit. Ipse cum expeditis, acerrimo quoq; milite raptim an gustias euadit, & in iis tumulis, quos hostes tenuerant, confedit. Quo facto, ubi primū orta luce, id cōspicati sunt Barbari, immobiles parūper consistere. Deinde uidētes iumentorū equitūq; multitudinē in angusti is omne agmen turbare, quicq; eis terroris adiecissent, satis fore ad per nitiem arbitrati, per inuias rupes diuersis e locis concurrūt. Tum uero non tam ab hostibus, q̃ ab iniquitate locorū, Carthagenenses oppugna bantur, equis maxime, iumentisq; ingentē stragem hominū, ac rerum faciētibus. Nam cū præcipites, & diruptæ utrinq; angustia forent, mul ta iumenta ex immensa altitudine cum sarcinis instar maximæ ruinae de ciderunt. Siquidem icti, aut uulnerati equi, partim terrore, partim dolo re uulnerum cōsternati, incredibilem turbationem in tanta locorum an gustia faciebant. Quæ conspicatus Annibal, cum nullam in fuga spem salutis repositam intelligeret, iumentis, qui sarcinas ferebant, amissis, ex superiore loco cum his quos secum per noctem tenuerat, ingenti impe tu decurrit. Quo facto, & si magnam partem hostium fuderit, tamen e suis quoq; multos interemit. Siquidē auctus ex utrisq; tumultus mul tos passim præcipites faciebat. Tandem igitur Allobrogibus, partim inter certandum interemptis, partim turpissime fugatis, Annibal quod reliquum fuit impedimentorum, atq; equitum, uix, & non sine graui la bore traduxit, coactisq; copiarum suarum reliquiis, ad castellum, unde Allobroges exierant, profectus, quod uacuum custode erat, nullo nego tio cœpit. Id ei magnam, non solum in præsens tempus, sed etiam in fu turum rerum necessariarum cōmoditatem præstitit. Nam in præsentia quidem magnam equorum, atq; iumentorum multitudinem, præterea

etiam captiuorum tulit. In futurum uero frumento ac pecoribus per tri-
duum exercitum aluit. Et, quod fuit pluris faciendum, cæteros Alpium
accolas perterritus, ne quid tale moliri in posterum auderent. Eo igitur
in loco uno die quietem egit. Deinde cū copiis profectus, reliquis duo-
bus diebus aliquantum uiæ confecit. Quarto dehinc die rursus in maxi-
mum periculum prolapsus est. Ventum erat ad frequētem cultoribus
alium inter montana populū. Hi ut dolo circumuenirēt Pœnos, una
conspirauerāt. Aduenti igitur Annibali, obuiam procedunt, floren-
tes capiti corollas gestantes. Quod fere apud Barbaros pacis, atq; amici-
tiæ signum est, quemadmodum apud Græcos caduceus. Annibal haud
temere credendum Barbaris arbitratus, uoluntatem intentionemq; eo-
rum callide perquirat. Hi placere sibi de captiuitate ciuitatis, & interitu
aduersantium Gallorum responderunt, sed obedienter posthac impe-
rata facturos, ut qui nec facere, nec pati iniuriam uelint, & ad fidem pro-
missorum obsides se Annibali daturus pollicentur. Quod & si diu An-
nibalem consilii dubium fecerit, suspicatus tamen hæc, si æquo animo
accipiantur, mitiores fortasse Barbarorum animos facere posse: si uero
repudientur, eosdem aperte hostes sibi futuros, benigne illis responde-
do accipere se eorum amicitiam simulauit. Illi, cum iam non solum ob-
sides dedissent, uerum abunde subministraissent comitatū, & deniq; se
ipsos in Carthaginiensium manibus posuissent, tantum fidei ab Anniba-
le meruerunt, ut iis Ducibus per loca difficilia uti non dubitaret. Cum
igitur biduo iter fecissent, uentumq; esset in angustiorem uallem, & ex
parte altera iugo subiectam, Barbaris undiq; ex insidiis prorūpentibus,
in tantum periculi Carthaginienses inciderunt, ut ad extremā pene per-
nitiam peruenturi fuerint, nisi Annibal nondum satis fidei Gallorū cre-
dens, ac futura plane prospiciens, Elefantos, equitesq; in primo agmi-
ne collocasset: ipse post cum robore peditum circūspectans, sollicitusq;
omnia, a tergo secutus esset. His enim ita in præsidio dispositis, minorē
contigit cladem fieri. Et tamen ingens hominum & equorum, iumento-
rumq; numerus periit. Quippe, hostibus imminens iugum tenētibus,
& nunc saxa eminens in agmen deuoluentibus, nunc cominus frequenti
ictu lapidum manibus ipsis percutientibus, in tantum periculum uen-
tum est, ut necesse fuerit Annibalem noctem unam cum medietate copi-
arum sine equitibus atq; impedimentis agere. Postero die iam segnus
intercursantibus Gallis, cum equitibus atq; impedimentis iunctus sal-
tum superat, Barbaris quidem iam aperto bello minime occurrentibus,
sed latronum more, modo primum, modo nouissimū agmen infestan-
tibus, prout uel tempus, uel locus opportunitatem faciebat. Magnum
Cartha-

Carthaginiensibus usum Elephanti præbebant. Nam quacunq; incede-
rent, quia insuetis adeundi propius metus erat, eum locū tutum ab ho-
stibus faciebant. Nono die in iugum Alpium peruentum est. Ibi biduo
statiua habita, partim ut incolumes milites labore fessos reficeret, parti-
m ut reciperet perditos. Eo tempore plures equi, pluraq; iumenta, quæ de
lapsa rupibus in præceps ierant, sequendo uestigia agminis, in castra
peruenere. Iam nix ea omnia oppleuerat loca, occidente uergiliarū syde-
re, & fessos tædio tot malorum militum animos ueluti in desperationē
adduxerat. Annibal id conspicatus, cōuocatis militibus, hortari eos de-
creuit. Ad eam rem unam tantum occasionem habebat, propinquitatē
Italiæ, scelicitatemq; ostendere. Ea enim ita Alpibus subiacet, ut, si quis
utrunq; consideret, ueluti arx totius Italiæ esse Alpes uideantur. Hanc
igitur e promontorio, unde longe lateq; prospectus erat, ostendat: inde
subiectos Alpibus circum Padanos campos. Post hæc amicitiam inco-
lentium eam regionem Gallorum cōmemorat. His uerbis recreatis pau-
lis per militum animis, postridie eius diei deducere agmen coepit. Nihil
iam hostibus quidem, nisi per latrocinium tentantibus, sed non paucio-
ribus ob locorum, niuiumq; asperitatem amissis, q̄ in ascensu Alpium
propter hostium incursiones fuissent. Nam cum natura locus angustus
præcepsq; foret, tum uero recenti niue omnia usq; adeo obruta, ut nul-
lum prorsus uestigiū callis appareret, neq; sustinere se a lapsu poterant,
& qui parum titubassent, continuo in præceps ferebātur. Verum, hanc
quoq; difficultatem equo animo ferebāt uiri tot iam malis ac laboribus
assueti. Interea uentum ad rupem alterā, quam neq; Elephanti, neq; iu-
menta pertransire poterant. Quippe angustam natura uiam recens ter-
re lapsus circiter ducentos passus angustiorē fecerat. Hic rursus turbari
affligiq; multitudo coepit. Dux Carthaginiensium principio p̄ loca inuia,
nec ante eū diem trita circūducere agmen conatus, quoniā iter id niues
insuperabile faciebāt, a proposito destitit. Sane supra ueterē niuem intactā
noua presentis anni nix deciderat. In ea, quod recens lapsa pmollis erat,
& nullam fere adhuc altitudinem habebat, facile ingredientium pedes
insistebant. Vbi uero tot hominū, iumentorumq; incessu dilapsa erat,
per nudam infra glatiem, & fluentem eliquescentis niuis labem ingressi
ambobus simul pedibus ruebāt, quemadmodū in locis ceno lubricis,
ac nullū recipientibus uestigiū solet accidere. Et, quod longe miserius
erat, homines cum sistere in lubrico uestigiū nō possent, proni deciden-
tes, ubi se uel manibus in assurgendo, uel genibus iuuare conarentur,
tunc maiore impetu oibus simul mēbris defecti p̄ præcipitiā uolutabant.
Iumenta uero interdum quidem prolapsa glatiem secabant. Sed pressa
M iiii

oneris magnitudine, pedibusque eorum indurata glacie perstrictis, mo-
 ueri postea inde non poterant. Tum Annibal iumentis atque homini-
 bus nequicquam fatigatis, omissa presenti spe, castra in iugo montis col-
 locat, egerrime ad id ipsum purgato loco. Dehinc multitudinem ad eam
 rupem, qua una esse transitus poterat, mundandam hortatus, uix tan-
 dem cum maximo labore id peractum. Via igitur equis atque iumentis
 uno die sufficienter parata, cōfestim eos traducit, & in locis iam niuibus
 uacuis castrametatus ad pascua disponit. Numidas interim parare Ele-
 phantis uiam iubet. Hi uix triduo cum omni conatu beluas reducerūt,
 & eas quidem prope fame consumptas. Nuda enim sunt iuga montium
 herbis atque arboribus, quod continuis rigeant niuibus, hyberno aestiuoque
 tempore. Mediæ uero conualles ab utroque Alpium latere læta pascua,
 atque apricas arbores habent, & humano cultu digniora loca. Annibal
 congregatis omnibus copiis, prosequi iter cœpit, & triduo post supera-
 tam, quam memorauimus, rupem in planum peruenit, magna parte ex
 ercitus amissa, partim ab hostibus fluminibusque per totum iter direptis
 copiis: partim asperitate montium in transitu Alpium absumptis, neque
 uiris solum, sed equis etiam, iumentisque compluribus. Hoc tandem mo-
 do Italiam, quinto mense postquam Carthagine Noua discesserat, ingres-
 sus, Alpibusque quintodecimo die superatis, circum Padanos campos,
 & Insubrum gentem audacissime petit, ex Afris militibus superstites ha-
 bens pedites circiter decem millia & ducentos: ex Hispanis ad octo mil-
 lia, equitum ad summam sex millia. Hoc enim ipsemet in columna, in qua
 multitudo omnis sui exercitus descripta est, apud Lacinium testatur. Per
 eadem tempora (quemadmodum supra diximus) P. Cornelius cōsul,
 fratre in Hispaniam cum exercitu ad resistendum Asdrubali misso, Pi-
 fas ipse cum paucis nauigauerat. Hic igitur facto per Tusciam itinere
 & a Manlio, Atilioque prætoribus accepto milite, quem aduersus Bo-
 ios tenebant, ad Padum festinat, ut cum hoste nondum refecto, manum
 confereret. Verum, nos quidem, quando & narrationem nostram, &
 utriusque populi Duces, & bellum ipsum in Italiam traduximus, antequam
 ad res in ea prouintia gestas ueniamus, breuiter nonnulla haud aliena
 ab hoc scribendi genere referenda existimauimus. Erunt enim fortasse,
 qui a nobis quærant, quomodo, cum Libycas, Hispanicasque res pluri-
 bus superius uerbis attigerimus, nihil tamen dictum a nobis fuit, neque de
 columnis Herculis, & quod inter Africam, Europamque interiacet paruo freto,
 neque de exteriori Oceano, rebusque ad eum pertinentibus, neque de Britanicis
 insulis, neque de stanni, aurique, & argenti copia, quorum metallorum Hispanie
 feracissimæ sunt: his enim de rebus multa, uariisque inter se dissidentes,
 historici

historici ueteres commemorant. A nobis autem non ideo hæc omissa sunt,
 quod ea ab historiae lege aliena putarem, sed eo consilio factum, ne in sin-
 gulis partibus narratio nostra diuideretur, ne uel audientes frequenter
 ab ipsa rerum gestarum serie aduocarem, iudicantes præterea huius-
 modi res non diuisim, neque præter propositum, sed suo loco ac tempore
 quæritissime fieri possit, commemorari oportere. Quam ob rem nemo ad-
 mirari debet, si etiam in sequentibus libris, cum ad eiusmodi loca uentum
 fuerit, hanc partem prætermittemus. Id enim consulto a nobis fit, & ob
 eas, quas diximus, rationes. Si quis autem id protinus in singulis locis
 singulisque partibus audire uelit, nescit se guloso conuiuæ merito compa-
 rari posse. Nam quemadmodum ille, ubi primum discubitu uenit, ap-
 positos singulos quosque cibos degustans, neque in præsentia uoluptatis
 aliquid capere, neque in futurum utilitatis potest, quando nec saporem ul-
 lum perfecte sentit, & omnia simul cōgesta stomachum, digestionemque
 impediunt: ita qui hoc ipsum in legendis authoribus faciunt, nec præ-
 sens aliquam percipiunt uoluptatem, nec utilitatis quippiam retinet in
 posterum. Quod uero hæc potissimum pars historiae præter cæteras om-
 nes ueriori correctione egeat: cum ex pluribus aliis, tum ex eo maxime
 liquet, quod omnes fere antiqui scriptores conati, situs & proprietates extre-
 marum orbis regionum referre, multis in locis longe aberrarunt a ueritate.
 Proinde non casu, nec præter intentionem, sed consulto contra eos dicen-
 dum: neque reprehendendi ignoracionem eorum gratia, sed potius laudandi
 corrigendique. Quippe quos non dubitamus, si hac tempestate fuissent,
 ipsos errorem suum fuisse emendaturos. Siquidem superiori ætate raro
 quisquam inter Græcos reperiri potuit, qui extremas orbis partes ser-
 ratum proficisci quiuerit, ob periculosum atque insuperabile iter. Multa
 enim ac pene innumerabilia mari terraque pericula erant. Quod si quis uel ne-
 cessitate actus, uel sponte extrema orbis petisset, haud tam facile erat lo-
 corum situm, resque in his partibus indagacione dignas perquirere, quod par-
 tim efferatis Barbarorum nationibus occupabantur, partim loca deserta
 & uastæ solitudines erant. Adde, quod rem longe etiam difficiliorem di-
 uersitas linguarum faciebat. Neque enim petere quippiam, neque disce-
 re haud se inuicem intelligentibus licebat. Nec minus laboriosum erat
 res uisas modeste postea referre, singulis quibusque, ut res nouas augen-
 do mirabiliores facerent, non parum a ueritate recedentibus. Quapro-
 pter, si non solum difficile, sed pene impossibile fuit ante hoc tempus ue-
 ram huiusmodi rerum historiam haberi posse, nequaquam succensendum
 est antiquis rerum gestarum scriptoribus, si quid uel omiserint, uel deliquer-
 rint. Quin potius quod inuestigare aliquid potuerit, laudandi sunt atque adm-
 randi.

randi. Nostra uero ætate cum & Alexandri Macedonis uires in Asia, & in reliquis orbis partibus Romanorū imperium cuncta nobis terra marique accessu facilia fecerint, liberatis præsertim hominū animis bellorū cura, studioque atque ambitione publicarum rerum, ex quo maxima scrutandæ, indagandæque in huiusmodi rebus ueritatis opportunità accidit: profecto operæpretium foret diligentius, ueriusque ea inuestigare, quæ maiores nostri ignorauerunt. Quod nos quidem omni studio conabimur facere, cum primū opportunū huic rei locum nacti erimus. Nihil enim nobis iucundius accidere potest, quā si intellexerimus studiosos huiusmodi rerum nostra opera ueritatis cōpotes fieri: cum præsertim nō aliā ob causam tot labores atque pericula in peragrandā Africa, & Hispania, præterea etiā Gallis, & hæc omnia circūeunte Oceano, susceperimus, quā ut ueterum scriptorum ignorantiam emendantes, eas orbis partes hominibus nostris cōnotissimas faceremus. Nunc uero propositi nostri memores ad prælia, quæ inter Romanos, Carthaginensesque in Italiam sunt, reuertamur. Quante igitur copię transgresso in Italiam fuerint Annabali, superius ostensum. Post descensum alpium in ipsis montium radicibus castrametatus, principio reficere exercitū cœpit. Erat enim nō solum longo labore ascendendi, descendēdiq; præterea inauditis locorum difficultatibus fatigatus, uerū etiam ex inopia cōmeatus, & corporū illuue ac tabe squalida diuturna maciem cōtraxerat. Plerique ex inopia & labore intolerabili prorsus defecerāt. Neque enim pro tot millia passuum, perque loca adeo aspera ac difficilia uehere tanto exercitū necessariā stipem licuerat: & si quid erat uectum, maiori ex parte cum iumentis perierat. Quo factum erat, ut qui pauloante a Rhodano cum triginta octo millibus peditum, equitum uero circiter octo millibus discesserat, ei nūc uix medietas eiusmodi copiarū supstes foret. Horum corpora ex longa fatigatione ueluti efferata erāt. Quod cū dux Carthaginensium animaduertisset, pro opportune in recreandis animis, corpibusque non solū militū, sed etiā equorū reficiendis omne studiū adhibebat. Post hæc cū exercitū profectus, Taurinos proximæ gentis (hi tum forte aduersus Insubres bellum mouerant, neque satis credere fidei Carthaginensium uidebant) primo in amicitiam, societatemque puocare tentauit: deinde cū id parum Taurinos moueret, ualidissimam eorum ciuitatē adgressus, triduo expugnauit. Interfectisque aduersæ partis hominibus, tantum prope ea loca habitantibus Barbaris terrorem iniecit, ut mox omnes se sponte Carthaginensibus dediderint. Cæteri uero Galli Padi accolæ libenter se, uti principio statuerant, Annabali iunxissent, ni eos defectionis tempus opperientes, subitus Romani Cōsulis aduētus oppressisset. Porro ea re cōmoti, quietē agebāt. Nonnulli se exercitū

exercitū Romanorum comites addiderant. Quæ conspicatus Annibal, haud cunctandum amplius, sed procedendum audiendumque aliquod præclarum facinus existimauit, quo reliquos ad sequēdas Carthaginensium partes audatiores faceret. Interea hæc animo uersanti nunciatur, P. Scipionem Padum iam cum exercitu transgressum, non longe abesse. Id principio ueluti parum credibile contempsit, ut qui meminerat, eum a se paucis ante diebus in Gallia prope Rhodani hostia relictum: a Massilia uero in Tusciā transitum longū, ac perdifficilem esse intelligebat: similiter a mari Tusco per Italiam usque ad alpes asperrimū, ac uix exercitū peruium iter. Verum, cū id certius multis eandem rem nunciantibus cōperisset, industriam ac celeritatē Consulī maxime admiratus, obstupuit. Nec minori sane admiratione affectus Consul, nam cū Annibalem existimasset, haud ausurum cum alienigenis copiis Alpibus iter facere, aut si id foret ausus, manifeste in itinere periturum: postque eum non solum transcēdisse alpes incolumem, uerum etiam aliquas Italiæ ciuitates expugnasse comperit, uix satis admirari audatiam hominis potuit. Romani quoque simile quiddam ea tempestate passi fuere. Hi ultimo loco de excidio Saguntī audiuerant. Quam ob rem, factis comitiis, duo Consules creati, eorum alter in Africā, ad inferendum Carthagini bellū, alter in Hispaniā aduersus Annibalem missus fuerat. Tum uero repente ad eos perlatum, adesse cum exercitū Annibalem, & iam ciuitates quasdam in Italia obsidere. Quo nuncio adeo obstupefacti, percussique sunt, ut statim Lilybæum ad Sempronium miserint aliquos, qui aduentum hostiū in Italiam significarent, hortarenturque, ut dimissis prouintiæ rebus, suis ferre suppetias maturaret. Sempronius ea re audita, extemplo dimisit dassem, & ut cursum in Italiā teneret, imperauit. Pedestres uero copias Tribunis militum dedit: præstituta die, qua omnes simul cōuenire Arimini deberent. Ea est ciuitas in littore Adriatici sita, ubi Eridani planities terminat, ad Meridiem spectans. Per hūc modum rebus ex omni parte motis, cum omnia accidisse, præter spem atque opinionem omnium uiderentur, se quisque ad futura omni studio præparabat. Iam prope in cōspectu erant Annibalis, Scipionisque exercitus, & Dux uterque adhortari suos pro conditione temporum nitebatur. Annibal principio circūdūci ad spectaculum omnē multitudinē iubet. Tum captiuos omnes montanos in medio uinctos cōstituit. Hi partim diutino labore uix squalidi, & inculti erant: partim Ducis opa macie supra modum cōfecti. Is enim, ut quod animo cōceperat, perficere melius posset, grauissimas eis comedes adhibuerat: tum fame prope ad extremum afflixerat: postremo detrahitis tunicis cedi loro miserabiliter fecerat. Positis igitur in medio captiuis,

Gallica arma ante pedes eorum proiicit, qualia se induere Gallici Duces in singulari certamine consueuerunt. Addit equos, sagosque multiplici arte profectos. Hinc captiuos rogat, qui eorum singulari certamine contendere inuicem uelint: uictori premium ea, quae supra diximus, munera proponit: uicto, ut defunctus uita presentium malorum liberetur angustiis. Cum omnes ad unum paratos se ad pugnam magna uoce proclamarent, Annibal deiici sortes facit, & quos fors tetigerat, armatos in pugnam iubet descendere. Id audientes captiui, eleuatis quisque in caelum manibus, Deos, ut se in id certamen legerent, precari. Deiectis igitur sortibus ii, quos fortuna in id certamen legerat, incredibili efferrit letitia, ceteri moesti, sollicitique esse. Vbi uero pugnatum erat, qui supererant ex captiuis, non minus morientis, quam uictoris fortunam laudabant: ut qui multis eum maximisque miseriis, quibus ipsi adhuc uiuentes premebantur, liberatum esse intelligebant. Idem habitus animorum inter Carthaginenses erat. Facta namque comparatione inter uiuentium adhuc calamitatem, eosque, qui alacriter dimicando bene occiderant, horum quidem miserabantur: illorum uero fortunam praecipue probabant. Cum igitur Dux Carthaginensium Annibal, eiusmodi spectaculo affectos multitudinis animos intellexisset, confestim contionem ingressus. Idcirco se, inquit, captiuorum eiusmodi spectaculum in praesentia praebuisse, ut alienae sortis exemplo inextimanda fortuna sua ueretur, simile namque ipsis certamen, similia tempora fortunam attulisse, premia etiam similia proposita. Necessse enim, uel uincere Carthaginenses, uel mori, uel uiuos in potestatem hostium uenire. Si uincerent, non equum, aut sagum premia habituros, sed omnium mortalium beatissimos futuros esse, felicitate Romanorum adepti. Si uero inter certandum, fortiter mortem oppeterent, omnium eos malorum expertes. Quod si uicti cupiditate, fortassis diuturnioris uitae fugam se committerent: uel alio modo uiuendum sibi statuerent, omne genus miseriae & calamitatis experturos. Neminem esse adeo rationis inopem, qui, si longitudinem emensi itineris, si multitudinem commissorum in uia praeliorum reuocet in memoriam: tot praeterea uiarum amphractus, tot fluminum insuperabiles meatus contempletur, speret se aliquo modo incolu mem in patriam reuerti posse. Quam ob rem oportere eos omni spe fugae abscessa, quem animum in alienae sortis exemplo paulo ante habuerant, eundem mox in rebus suis retinere. Nam quemadmodum illic & uictoris & morientis fortunam laudabant, superstitum uero conditionem putabant miserrimam: ita de se ipsis iudicari, censeant oportere. Omnes igitur magno fortisque animo certamen debere ingredi, ueluti praclarissimam uictoriam adepturus: aut, si id infesta Carthaginensium rebus fortuna neget, in

get, in acie fortiter morituros. Victis spem ullam salutis repositam haudquam putandum esse. Si eo animo in praelium descenderint, proculdubio & uictoriam & salutem consecuturos. Quippe neminem unquam ea mente, uel sponte, uel impulsu necessitate pugnasse, quin uictoriam ab hostibus reportarit. Id uero tum maxime facile factum fore, cum haec ipsa hostibus contraria eueniunt, uti nunc Romanis accidit, quibus non parua spes est rebus haud prospere gestis, suo agro, suaque terra per tuta ac pacata itinera fugiendi. His adhortationibus cum militum animi ad certamen accensi essent, & comparatio Ducis grata omnibus fuisset, Annibal laudatos in praesentia milites dimittit, & ut sequenti die cum prima luce omnes adsint, iubet. At P. Scipio Consul, cum iam traiecto Pado castra ad Ticinum amnem mouisset, quos ad opus faciendum, aptos norat, construere pontem iubet. Reliquos in contionem aduocatos pro tempore hortatur. Multa principio locutus est de maiestate populi Romani, ac maiorum suorum rebus gestis, sed quae in praesens tempus attinebant, ferme hec fuisse. Oportere eos, inquit, etiam si nullam in praesentia cum hostibus uirtutis experientiam fecissent, tamen hoc ipso, quod cum Carthaginensibus bellaturi forent, spem uictoriae certam habere, neque putare ausuros illos cum Romanis congregari, a quibus toties priori bello terra marisque superati fuerant, quibus tanto tempore tributa pependerant, quorum imperium tot annis fuerant experti. Iam uero quando quidem praesentium etiam uirorum periculum fecissent, eos ne inspicere quidem ora Romanorum ausuros, quid in posterum sperandum foret, omnes cernere. Sane Romanos equites, cum nuper in Gallia cis Rhodanum Carthaginensium equitibus obuiaissent, non solum discessisse incolumes, uerum etiam hostes turpi fugae commissos usque in castra persecutos esse: Annibalem, omnemque Carthaginensium exercitum, simul ac Romanorum praesentiam cognouerunt, in modum fugientium raptim discessisse, & secus, quam statuerant, tremantes pauidosque per Alpes fecisse iter. Atqui adesse nunc Annibalem, duabus partibus equitum peditumque in transitu Alpium amissis, residuum adeo labore, fame, frigore, squalore cotulos ac debilitatos, ut uix sustinere se possent. Eodem modo equos quoque magna ex parte amissos, si qui supersuerant, labore atque itinere confectos penitus inutiles esse. Proinde satis fore Romanis, si se tantum hostibus ostendant. Quin etiam audaciores sua praesentia fieri non immerito debere, qui neque classem, & commissas sibi res Hispanicas reliquisset, neque tanta celeritate tanto maris, terrarumque circuitu eo se contulisse, nisi & patriae per necessarium id fore, & uictoriam sibi indubie partem intellexisset. Hac oratione excitatis militum animis, cum se omnes ad praelium alacri animo paratos ostenderent, Scipio solertia ac prompti-

tudinem eorum laudans, dimittit, hortatus, ut corpora curarent, & simul ac uocarentur, preſto cū armis eſſent. Poſtridie eius diei uterq; Dux per ripam fluminis ad partem Alpium cum exercitu procedit. Romani amnem ad læuam habebant, ad dexterā Carthaginēſes. Cum uero in ſequēti die p̄ exploratores proximos eſſe exercitus cognouiſſent, utrūq; agmen conſtitit. Tertio die ambo Imperatores cum omni equitatu, Scipio etiā cum iaculatoribus, aduerſum ſe proficiſcuntur, quo ex p̄p̄inquo copias, quantæ, & cuius generis eſſent, ſpecularētur. Simul ac uero ap̄propinquare inuicem cœperunt, & ex inceſſu tot hominum equorūq; ingens in altum puluis euectus, repente prælio ſe expediunt. Scipio iaculatores, & Gallos equites in frōte locat, reliquos in ſubſidiis diſponit. Annibal uero firmatos equites in medium accipit, utrūq; cornu Numidjs firmat. Ita cum exercitus uterq; alacri animo præliū inire cœpiſſet, uix ſublato clamore, iaculatores ne uno quidem emiſſo telo fugiunt, & inter ſubſidia ad ſecundam perueniunt aciem. Inde equitum certamen erat, utrinq; magnis animis agebatur, pugna aliquandiu anceps extitit. Erant equitibus interempti pedites militis uel equo lapſi * uel inter ea tantū, ubi ſuos primi circūuētos uiderant, ex equis deſilientibus. Inter hæc Numidæ perio circuitu a tergo egrediunt̄. Iaculatores, qui principio impetū equitū effugerant, nunc Numidjs undiq; circūuenti fundunt̄, proſternunturq; cateruatim. Ii quoq; qui in prima acie aduerſus Carthaginēſes dimicabāt, multis ex ſuis, pluribus e Carthaginēſium numero interfectis, tandem occuſantibus a tergo Numidjs referunt grefſum, pleriq; eorum paſſim fugiunt. Alii uulneratū Conſulem in mediū agminis accipientes, confertis equitibus ſe reducant in caſtra. Hinc conſeſtim Scipio iuſſis militibus ſilentio inſequi, caſtra ad pontē, quem ſupra Padum fecerat, ducit, ut ſine tumultu atq; periculo traieceret copias. Nam cum cerneret campos, qui circa Padum ſunt, patentes latoſq; eſſe, Pœnum longe equitatu meliorem, ſe uero uulnere, quod acceperat, grauatam, tutius fore exiſtimauit, ſi exercitum oēm, anteq; hoſtis inſequeretur, traduceret. Annibal aliquandiu pugnare Romanos cū pedebribus copiis duxerat. Vbi uero eos relictis caſtris ad ripam Padi, ubi pontem parauerat, fugiſſe animaduertit, haud ſegniter inſecutus eſt. Extrema pontis iam reſoluta erāt, cuſtodes uero loci adhuc in ripa morabant̄. His numero circiter ſexcentis extemplo captis, Annibal cū reliquā multitudinē longius p̄ceſſiſſe intelligeret, conuerſus rurſum in caſtra rediit, mature perquirens locum, qui faciendū ponti aptus uideretur, quo uix poſt biduum comperto, iungendo ratem flumini pontē facit. Tum traſſiendi exercitus, curam Aſdrubali tradit. Ipſe interea dat operam au-

diendis

diendis Gallorū legationibus, quæ uariæ e locis propinquis ad eum cōfluxerant. Quippe ſimul ac uulgarī fama cœpit, ſuſos a Carthaginēſibus Romanos, propinqui omnes Galli, ſicuti ab initio ſtatuerant, iungere ſe Annibali maturabant. Quos Pœnos humane amplexus, traiectis omnibus copiis per ripam fluminis diuerſo, quam antea, itinere procedit, ſperans ſe per hunc modum facilius iungi cum hoſtibus poſſe, Scipio Placentiam (ea erat Romanorum colonia) traductis copiis, ſimul curādis uulnerorū corporibus intendere, ſimul quo loco traduci exercitus poſſet, cogitare. Annibal tertio poſtquā Padum traiecerat die, ſex milia paſſuum a Placentia caſtra cōmuniuit, et in cōſpectu hoſtium directā acie, poteſtatē pugnandi fecit. Auxiliares Galli, qui cū Scipione erant, p̄tiores Carthaginēſium ſpes cernentes, ſtatuto inter ſe tempore defectionis, cōſilium ineunt, & nocte intempeſta, cum omnes ſopore detentos animaduertiſſent, in ſuiſq; tentoriis armati, ubi præſtitutū tempus aduenit, exeunt: obuioſq; ſibi Romanos magna ex parte cædunt, reliq; obruncant: ad extremum cæſorum ceruicibus abſciſſis Carthaginēſes adeunt, numero ad duo milia peditum, equites fere ducenti. Quos Annibal benigne ſuſceptos, & ſpe ingentium donorum accenſos in ſuas quenq; ciuitates dimiſit, quo res haecenus geſtas indicaret, ſuoſq; ad ſocietatem cum Carthaginēſibus ineundam hortarentur. Videbat enim iam pene omnibus neceſſario fore defectionem, tanto a ſuis ciuibus fauore in Romanos patrato. Adhæc & Boiorum legati aduenerant, deſidentes Annibali Triumuiros, quos a Romanis ad diuidēdos agros miſſos ab his per ſcelus captos ſupra memorauimus. Annibal eorum beneuolentia laudata, dat ſimul, accipitq; ſocietatis, atq; amicitiaē fidē, Triumuiros reſtituit, ut per eos, ſicuti ſtatuerant, ſuos recipere obſides ualerēt. Scipio, non tam prodicione ſupradictorum Gallorum, ac militum ſuorum cede turbatus, q̄ quod ex eo defectionem totius Gallicæ gentis iam diu populo Romano inſenſæ ſecuturam augurabatur, conſulendum rebus ſuis, opportune iudicauit. Igitur quarta uigilia inſequentis noctis tacito agmine ad Trebiam amnem, eminentioreſq; eo in loco colles, caſtra mouet, fretus cum loci ſitu, tum frequētibus circa fluuium habitantibus ſociis. Annibal cognita hoſtium fuga, primo Numidas, deinde etiam equitatum omnem inſequi iubet. Ne longe poſt, ipſe cum reliquis copiis ſequitur. Numidæ in uacua Romana caſtra ſtatim diuertentes, cuncta igni abſumūt, quæ res non parum Romanis profuit. Nam ſi cōtinue dimiſſis caſtris, ſecuti nouiſſimum agmen fuiſſent, magna Romani exercitus clades erat futura. Nunc, dum incendendis caſtris tempus terunt, milites magna ex parte Trebiam incolumes traſgreſſi, pau-

N ii

ei moratorum intercepti a Carthaginensibus, partim cæsi sunt, partim uiui in potestate hostium uenere. Scipio propinquos flumini colles, quæ statiuis tutissimi uidebatur, delegit, quibus uallo fossaq; diligenter munitis, anxie collegam ex Sicilia cum copiis expectabat, & uulneri quo maiori studio poterat, medebatur, ut imminenti periculo rerum gerendarum particeps belli fieri posset. Annibal prope castra hostium, ad quinque millia passuum confedit, uicinis Gallis abunde non solum com meatum, uerum etiam cætera necessaria subministrantibus, & pericula quæcunq; cum Carthaginensibus subire paratis. Iam fama profligati Romani exercitus peruenerat Romam. Quod quam præter spem omnium acciderat, ob id tamen haud minori spe esse populus uidebatur. Dissimulabantque equites Romanos, non tam uiribus a Carthaginensibus uictos, quam uel temeritate Ducis, uel Gallorum, qui ad Annibalem transfugerant, prodicione. Denique integris pedestribus copiis, spes quoque suas de rebus omnibus integras esse rebantur. Quam ob rem reuerso in Italiam T. Sempronio, ac per urbem Romam transeunte, omnes eum palam ad suscipiendum cum Carthaginensibus prælium hortati fuere. Sempronius Ariminum profectus, copias omnes, quæ ibi, uti fuerat iussum, ex Sicilia conuenerant, accipit. Inde factum ad Trebiam itinere, cum collega coniungitur. Hic exercitum longo labore itineris fessum, ut qui e Lilybæo quadraginta continuis diebus pedestri itinere Ariminum peruenerat, reficit, necessaria ad prælium capeffendum omni studio parat. Ipse anxie Scipioni assistit, discendo quæ hæcenus acta essent, quid postea agendum foret, consulendo. Per idem tempus Annibal Clastidium oppidum, quo magnam frumenti numerum cogerant Romani, per insidias capit, Brundulino præfecto præsidii pecunia corrupto. Vbi militibus, qui præsidio præerant, frumentoque omni potitus, hoc quidem in præsentem necessitatem utitur, illos uero secum incolumes ducit, ut fama clementiæ uulgata, ceteri se in posterum liberius Carthaginensibus dederent. Proditorem quoque summis honoribus affecit. Post hæc cum comperisset Gallos, qui parum id quod inter Trebiam, Padumque agri est, incolebant, secum societate iunctos, missis ad Duces Romanorum legatis, ab his quoque amicitiam petisse, ut in duorum potentium populorum certamine per ambiguum fauorem utriusque gratiam sibi conciliarent. Ira simul atque indignatione percitus, duo millia peditum, & circiter mille equites Numidas, Gallosque inter se mistos grassari per eorum agrum populabundos iubet. Quibus peractis, ingentem abacta præda, Galli euestigio missis ad Consules legatis, orant auxilium. Sempronius, qui iam diu causam conferendi prælii dari sibi cupiebat, eam tunc occasionem nactus, magnam partem equitatus sui, mille peditum iaculatoribus admistis,

trans

trans Trebiam mittit. Hi Gallos incompósitos, inopinatosque adorti (Quippe de diuisione prædæ ortum inter eos certamen erat) ingentem terrorem, cædemque ac fugam usque ad castra hostium fecere, unde effusa confestim eorum, qui castris præerant, multitudo, & instauratis Gallorum uiribus, dare terga coacti reuertebantur in castra. Quod cernens Sempronius, equitatu omni ac iaculatoribus in subsidium suorum emisit, & rursus cedere Gallos, & in tutum se recipere coegit. Annibal, & si continue erat ad dimicandum promptus, non tamen quacumque, etiam leui occasione sumpta, sine maturiori consilio descendendum in prælium arbitrabatur. Quam ob rem prudentissimi Ducis officio functus, receptui canere iussit, suosque in præsentia intra uallum continuit. Romani quoque aliquandiu nequicquam laceffit hostibus, in castra rediere, paucis ex suis amissis, Carthaginensium uero quam plurimis trucidatis. At Sempronius re prospere gesta hilaris, atque elatus animo, de summa totius rei simul decernere cupiebat, occasione maxime uertendæ in se unum gloriæ, dum æger collega erat. Igitur consilium suum Scipioni aperit. Illi nondum agendæ rei tempus uidebatur, uerum differendum censebat esse prælium, ut notus Romanus miles interea exercitior fieret, ut Galli protractis longius rebus, ut est gens leuis atque infida, a Carthaginensibus deficerent: denique ut ipse, quem modo uulnus inutile faciebat, interesse possit. Sempronius, & si uera loqui Scipionem intelligebat, tamen ambitione stimulatus, ne uel ille interesset, uel bellum in nouos Consules (erat enim comitorum tempus) differret, omnino solus committere prælium decreuit. Annibal (erat enim eiusdem, cuius Scipio, sententiæ) intetus sollicitusque, occasionem prælii quærebat, dum fides Gallorum integra foret, dum Tyro hostium miles, dum melior ex Ducibus uulnere inutilis, dum suus exercitus ad res gerendas recens: nihil tantopere ueritus, quam ne pugnam detrectatibus hostibus, tempus terere cogeret. Nec iniuria, nam ducenti per alienam patriam exercitum, & magnas res molienti unus modus salutis erat, socios in fide retinere. Cum igitur Sempronii desiderium animaduertet, auide se ad pugnam parabat. Erat in medio duorum exercituum locus quidam planus, atque campestris, sed ad struendas insidas aptissimus. Habebat enim præaltum riuum utrinque clausum ripis, & circa uirgultis, uepribusque obsitum. Eum cum primum circuectus Annibal oculis plustrauit, tendere hosti insidias statuit. Enim uero Romani syluas ob frequentes in iis regionibus Gallorum insidias suspectas habebant, campestribus tantum, atque aptis locis freti, ignorabant sane planitiem ad tegendos, tutandosque insidiatores interdum syluis opportuniorem esse. Siquidem & de longe prospicere aduenientes hostes licet, & latebras interim necessarias habet. Nam & in-

N iii

dentus riuus cū breuibus ripis, & calami, & herbæ palustres, & uepres, aliaq; huiusmodi multa non solum peditem tegere, uerum etiam equitē sepe numero possunt, si quis fulgentia magis arma parumper supina ponat, & galeas, aut in iis eminentes cristas capiti detractas contegat. Annibal igitur prædicto, quibus uidebat futuro certamine, cum omnes alacres reperisset, cœnantibus ceteris militibus, uocari ad se facit Magonem fratrem, singulari uirtute atq; audacia iuuenem, & ab ineunte æuo in rebus bellicis educatum. Huic addit equites centū, & totidem pedites, ex omni exercitu electos. Quos, simul ac refectione cœna essent, ad tentorium uocatos pro tempore hortat, & quid facere eos uelit, ostendit. Iubet præterea ut singuli nouenos sibi ex turmis, manipulisq; similes sui eligant, & ad certū locum castrorū omnes conueniant. Hi sedulo mandata Ducis per egerunt. Ita Mago cū mille equitibus, ac totidē pedibus accepto itineris duce, & ab Annibale quid agendum foret edoctus, ad insidiarum locū puenit. Annibal prima luce Numidas equites laboris apprime patietes uocari ad se iubet, quibus p̄ tēpore adhortatis, oblatiq; si fortiter fecissent, muneribus, consiliū aperit. Transgressos Trebiam flumē, obequitare iubet hostiū portis, iaculandoq; laceffere ad pugnā hostem, cupiēs eum imparatum, improuidūq; & quod plurimi faciebat, nondū pransum aggredi. Ceteris deinde Ducibus similiter ad præliū hortatis præceptum, ut prandere omnes suos iuberēt, armisq; atq; equis instructos præliū signū expectare. Sempronius simul ac appropinquare hostes aspexit, primū oēm equitatū, deinde sex millia iaculatorū, postremo omnes copias in hostem eduxit, ueluti de omni re uno tempore certaturus, ut qui & multitudine copiarū, & pridie initi certaminis scelici exitu fretus, uictoriā sperabat Romanorū fore. Erat tum forte brumæ tēpus, & niualis ac præfrigidus dies. Adhuc tumultuarie eductis militibus, atq; equis, nullo capto ante cibo, parū calorū inierat. Itaq; milites Romani, qui principio prompti, atq; alacres erāt, ubi flumen ingressi, ob auctam nocturno hymbri, aquā pectoribus tenuis madidi exiuerē, usq; adeo rigore primo, deinde præcedente iam die fame, affligi cœperunt, ut uix tenendorū armorū potentia militibus foret. Carthaginenses interim, ignibus ante tentoria factis uncti, ciboq; per ociū refectione, instructos, paratosq; equos habentes, mandatū Ducis expectabant. Annibal uero ad omnia intentus, & peruigil, ubi transgressos flumē respexit hostes, locatis ante signa Balearibus, ac leuis armaturæ militibus, numero ferme octo millibus, copias in acie educit, prægressusq; a castris circiter mille passus, pedites qui numero ad uiginti millia inter Hispanos atq; Aphros, mixtis Gallis erant, in cornibus circumfundit, equites etiā in utroq; cornu distribu-

buit

buit. si cum sociis, quos propinquæ Galliæ ciuitates miserant, ultra decem millia erant. Hinc Elephantia a cornibus in utranq; partem constituti. Tum Sempronius signo receptui dato, equites reuocat, ne incaute persequentes a resistentibus subito Numidis exciperentur. Est enim hic Numidarum mos, ut primo statim cōgressu dantes terga passim fugiant, mox uero, ubi uisum fuerit, sistant rursus, hostemq; incredibili audacia ac robore aggrediantur. Hinc pedites secundum Romanorum morem disponit. Hi ex Romanis quidem circiter sedecim millia, ex sociis uero Latini nominis ad uiginti millia erāt. Quippe perfectus apud eos numerus copiarum, ubi de summa rerum agebatur, conueniebātq; simul duo Consules, ex tot millibus constabat. Post hæc ad tria millia equitū in utroq; ponit cornu. His ita dispositis, in hostem graui, ac pene immota acie ferebatur. Iam uero appropinquatis inuicem exercitibus, leuis armaturæ milites inierant prælium. Quo facto, extemplo Romani multis modis premi cœpere, Carthaginensibus uero omnia secunda prosperaq; succedere. Quippe pedibus Romanis ieiuna, fessaq; corpora, & rigentia gelu torpebant, præterea multitudine iaculorū a Numidis coniecta obruebantur. Id equites quoq; cum uniuerso exercitu patiebantur. Contra, Carthaginenses integris uiribus, ut qui paulo ante curatis corporibus recentes, nouiq; erant, incredibili robore pugne insistebant. Itaq; cum primum facto interuallo grauioris armaturæ milites concurrere inuicem cœpere, Carthaginensium equites ex utroq; cornu ruentes fundunt passim, prosternuntq; hostem. Nam & numero equitum inferior Romanus erat, & uires militibus ob laborem, indiamq; defecerant. Iamq; uersis in fugam equitibus, pedites animis magis, q̄ uiribus pares resistebant. Cum Numidæ, quorum latebras improuida præterlata acies erat, exortia a tergo ingentem tumultū ac terrorem fecere. Tamē tot undiq; circumstantibus malis immota aliquandiu acies mansit. Tandē uero, cū utroq; cornu premeret, a fronte quidem ab Elephantis, in orbem uero a leuis armaturæ militibus, uerterunt se in fugam, ad propinquū flumen directo cursu. Quo facto Romani, qui in medio pugnabāt, ut fusa auxilia sua uiderūt, partim ab iis, qui in latebris fuerāt, circumuenti celi, profligatiq; sunt: alii media Gallorū acie, ubi Africo quoq; p̄multi erant, cū ingenti cede hostiū perripere: et cū neq; suis subsidium ferre, neq; in castra reuerti possent, cum multitudine hostilium equitum, tum fluminis atq; hymbri magnitudine impediti, Placētiam conferto agmine contenderunt, numero ad decem millia hominum, reliqui magna ex parte circa flumē ab Elephantis, equitibusq; oppressi. Pauci ex pedibus, equitibusq; qui passim fugiendo sparsi per-

N iiii

agros erant, uestigia agminis secuti, Placentiam perrexere. Pene usque ad flumē Trebiam hostes persecuti, cū magnitudine hymbrium progredi ulterius nequirent, in castra rediere, uictoria quidem læti, quod pauci ex Afris, Hispanisque, plurimi ex Gallis perierāt: sed usque adeo hymbre & intolerabili ui frigoris afflicti, ut Elephanti omnes, uno excepto, iumēta magna ex parte, hominū quoque atque equorū ingens numerus perierit. His peractis, Sempronius tegere apud populū Romanū, tantā cladē cupiens, misit Romā, qui nunciaret, uictoriā sibi e manibus hymbri magnitudinem sustulisse. Id statim Romani credidere. Interiectis uero diebus ubi cōpertū est, teneri a Carthaginēsis suorū castra, Gallosque oēs ad eos defecisse, Romanis copias, quod nō satis tutæ in castris uiderent, incenibus cōtineri, cōmeatūque per Padū ex mari querere, tantos terror, tantaque admiratio inuasit animos, ut iam ad urbē Romam uictorē Pœnum crederēt uenturū. Igitur parare nouas copias, auxilia in Siciliā ac Sardiniam mittere, Tarentū, & cetera Italiæ oppida munire, L. quinqueremium classem ædificare, omni denique studio ad bellū intenti esse. Per id tempus Cn. Seruilius, & C. Flaminius Cōsules creati, nouo delectu habito, excitisque sociorū auxiliis, alter Ariminū, alter in Tusciā cōuenire suos iubet. In his locis, in Galliam decreuerāt copias traducere. Præter hæc legati ad Hieronem, qui præsidium peterent, missi. Hiero quingētos Creteneses, & mille scutatos ad eos misit. Tum quicquid Romanorū uirium erat, aduersus Annibalem parabat. Nec publice tantum, sed priuatim quoque terror omnium animos occuparat. Dum hæc in Italia geruntur, Cn. Cornelius, quem a fratre cum classe in Gallia relictum supra memorauimus, ab ostio Rhodani profectus, Emporiis appulit, orsusque inde usque ad Iberum flumen, Maritimam omnem oram partim renouandis societatibus, partim nouis instituendis, dittonis populi Romani fecit. Post hæc Maritimis rebus compositis, & ubi erat necessarium, relicto præsidio, ad mediterranea loca ducit exercitum. Iam enim aliquot auxiliorum cohortes ex sociis ciuitatibus contraxerat. Vrbes igitur partim deditioe, partim uiribus capit. Quæ intuens Hanno, quem Annibal ad eius regionis præsidium reliquerat, obuiam eundem hostibus ratus, castra in conspectu hostium posuit, iuxta oppidum, quod Cissam incolæ uocant. Nec Scipioni differendum certamen uisum. Quam ob rem, uictoria potitus, castrisque hostium captis, ingentem pecuniam cepit. Qui enim cum Annibale in Italia militabant, suas res omnes, ne grauiā impedimenta ferentibus essent, apud hos reliquerant. Dehinc omnes intra Iberum habitantes, socios atque amicos facit. Duces duo, alter Carthaginensium Hanno, alter Hispanorū Andubal

uiui.

uiui capti. Andubal mediterraneę regionis eius tyrannus erat, semper tamen cum Carthaginensibus sentiens. Hac re comperta Asdrubal, Iberum transgressus exercitum aduersus Romanos mouit. Eunti nunciatur, milites naualesque socios insolentia adeptę uictorię securos, & negligentes per agros sparsim uagari. Quam ob rem, cum octo millibus peditū, & mille equitibus citato gradu eo profectus, magnam partem eorum cecidit: reliquos recipere se ad naues compulit. Nec diutius his locis permanere ausus, trans Iberum rediit. Hic diligenter dispositis, ubi opus erat, præsidii, Carthagini Nouę in hybernis mansit. Cn. Cornelius hoc nuncio accepto, raptim facto agmine, classem petit, in eos, qui causa cladis fuerant, iuxta morem patrium animaduertit. Dehinc pedestribus, naualibusque copiis coactis, Tarraconem in Hyberna proficiscitur. Illic diuisa inter milites præda omnium beneuolentiam sibi conciliat, & ad res futuras promptiores reddit. Hic erat rerum Hispanarum status. Ineunte uere Flaminius cum exercitu in Tusciam profectus, paucis diebus Aretium peruenit. Seruilius uero copiis Ariminū traductis, motum hostilis exercitus opperiebatur. Annibal, cum in Gallia hyemaret, Romanos captiuos uinculis custoditos tenebat, uix præbens necessaria ad uictum. Socios autem primo quidem tractauit humane: post uero in cōtionem uocatos pluribus uerbis hortatus est, uenisse se, inquit, non ut bellum Gallis inferret, sed ut cum Romanis pro libertate eorum pugnaret, quam ob rem debere eos, si sapiant, amicitiam ac societatem cum Carthaginensibus inire. Adesse se, ut in libertatem Italię populos uindictet, ut iis, qui per iniuriā a Romanis domo pulsi essent, patriam, ciuitateque restituat. His atque aliis huiusmodi dictis, omnes sine precio dimittit, cupiens per hunc modum simul Italię populos sibi conciliare, simul alienos a populo Romano facere: tum si qui oppidis, aut portibus priuati a Romanis fuerant, contra eos irritare. Verum enim uero dum in hybernis ageret, insidiis sæpenumero a Gallis petitus, eadem leuitate, qua consenserant, crimen indicantibus, punico ingenio se defenderat, crines ditterlarum ætatum artificiose compositos parari iussit. His assidue mutatis, uariis etiam uestibus utebatur: adeo, ut non solum his, qui raro eum uiderant, sed etiam familiaribus ignotus esset. Ita demum omnibus, quem pro Annibale peterent ignaris, tutus erat. Adhæc ægreferentibus Gallis terras suas sedem belli esse, ob idque uti se exercitus in alienum agrum transferretur, cupidus se certaminis ostendentibus, maturius mouendum ex hybernis iudicauit. Iam Ver appetebat, cum uocatis, qui docti itinerum erant, uias quæ in agrum hostilem tenderent, perquirat. Cum cæteras & longas,

& notas hostibus intellexisset: unam, quæ per paludes in Tusciam duceret, tamen si difficilem, per breuem tamen cognouit esse, & qua haud opinantibus hostibus traduci exercitus posset. Hanc igitur cum omnibus copiis ingressus, Hispanos, & Aphros, & quicquid robustioris exercitus erat, primos ire iussit, admixtis ipsorum impedimentis, ne alicubi consistere coactis necessaria ad usus deessent. Nam post id tēpus nulla omnino impedimenta ducere statuerat, quod intelligeret Carthaginensibus, si uincerentur, omnia superuacua fore: si uero campos obtinerent, nihil prorsus defuturum. Post eos collocauit Gallos, nouissimo loco equites posuit, quibus præfecit Magonem fratrem, ob id maxime ut Gallos, si tēdio laboris, ut sunt molles & effœminati, referrent gradū, præsidio equitum cohiberent. Hispani igitur atq; Aphri per integras paludis uoragines præeuntes, mediocri labore loci iniquitatem superabant, homines iam dudum huiusmodi malis assueti. Galli uero neq; sustinere se prolapsi, neq; ex uoraginibus assurgere poterāt. Dolorem laborum inexperientia maiorem faciebat, referre gradum insequentes equites prohibebant, omnesq; ita anxii & solliciti fatigata ægre trahebant corpora. Mœrorem uigiliæ augebāt, per quatrimum iam, & tres noctes toleratæ. Sed inter cæteros Galli maxime angebantur. Iumenta passim per argillam prostrata magna ex parte defecere, utrum duntaxat fessis militibus usum præbentes, q̄ iis, sarcinisq; extarent aqua superincumbētes, per exiguam noctis partem necessariū quieti locum dabant. Equi pleriq; ob continuatū per argillam iter, ungues amisere. Ipse Anibal Elephanto, qui unus superauerat, quod altius ab aqua extaret, uictus, egre tamen emergebat paludes; præsertim morbo oculorum, quē ex intemperie aeris contraxerat, non parum grauante. Ex quo tandem, cum nec tempus, nec locus medendi foret, altero oculo captus est. Superatis ad extremum, præter omnium opinionem paludibus, cum certum per exploratores habuisset, Flaminium circa Aretii mœnia esse, castra propter ipsas paludes posuit, partim, ut fessum tot laboribus exercitum reficeret: partim, ut consilia, & uires hostium, & regionis situm, & itinera scrutaretur. Postquam uero compertum habuit, eam regionem in primis Italiae fertilem esse, camposq; qui Fesulas inter, atq; Aretium iacent, frumento, & omni copia rerum opulentos, præterea Consulem ferocem quidem, & popularem, sed rerum bellicarum inexperitum, & rebus suis nimis cōfidentem, cogitauit optimū fore, si a læua relicto hoste, Fesulas peteret, ac prædabūdus per Hetruriam agros grassaret, ratus Cōsulem ob insitam ingenio eius conciliandę apud uulgus gratię cupiditatem, haud passurū uastitatē per prouintiā fieri: & ut neminem bene

benegestere socium haberet, nequaquā expectaturū collegam, sed ipsū suis uiribus dimicandi animo quacuncq; intrepide secuturum. Quibus ex rebus, optimas sibi ad capeſſendum prælium oblatum iri opportunitates præuidebat: prudēter sane, & callide de rebus futuris ratiocinatus. Errat em̄, si quis putat aliquod magis propriū optimi ducis officiū esse, q̄ consilia, & naturam hostis intelligere. Nam quemadmodum in singulari certamine oportet locū, ubi aduersariū ferias, speculari: & quæ pars corporis nuda, quæ inermis sit, diligēter animaduertere: ita, ubi de summa rerum agitur, inuestigandū est, non ubi nudæ sint corpis partes, sed unde natura, seu mores Ducis hostiū detegi queant. Multi siquidē per ignauiam atq; socordiam, nō solum communes actiones, sed etiam quę ad priuatam uitam spectant, sæpe prætereunt. Alii uino dediti, nisi ebrii actemulenti sint, somnū capere nō possunt. Nōnulli res uenereas, præter modum sectantes, non modo ciuitates, atq; Respub. euertunt, uerū etiam dedecore uitam peragunt. Adhæc timiditas atq; formido in priuatis quidem hominibus opprobriū, ac turpitudinis plena, at in duce exercitus maximarū aliquando iacturarum causa est. Petulantia uero, & temeritas, & iracundia, præterea etiā fastus atq; iactantia, ut hostibus percomoda, ita suis exitio sunt. Facile enim huiusmodi homines ad omnes machinas atq; insidias hostiū patent. Quam ob rem, si quis inuestigatis aduersariorū uitis occasionē aliquā præstiterit, qua postmodū ducis hostium compos fieri ualeat, e uestigio rerū potietur. Quemadmodū em̄ nauis, sublato gubernatore, facile in potestatem hostiū uenit, eodē modo, si quis in bello rationibus atq; consiliis ducem e medio sustulerit, statim reliqui quoq; exercitus compos fiet. Hæc igitur cū diligenter Anibal de Consule Romano ratiocinatus foret, nequaquā opinione sua frustratus est. Quanta em̄ potuit celeritate, per Fesulanū agrum profectus, relicto post se hoste, campos Hetrurię cędibus atq; incendiis uastare cepit. Quibus rebus accensus consul, simul cōtemni se ab hostibus putās, simul res sociorū in conspectu suo ferri, agiq; sibi dedecus ratus, nullum quietis locū capere poterat. Quocirca, multis suadentibus, neq; insequi Pœnum oportere, neq; manus cū hostibus conferere, sed equitatū, perditatūq; omnē integrum seruare, expectare collegam, ut cōiunctis exercitibus, omnia cōmuni consilio gererentur, nequaquā persuasus est, neq; ad id quippiam respondit, sed tantummodo est hortatus, ut mentibus considerarent, quid populus Romanus diceret, intuens Pœnū per mediam iam Italiā uagari, & obsistente nullo ad ipsa Romana mœnia contendere, ipsis post terga hostium in Tuscia dormitātibus. Post hæc fere cōcilio proripuit, coactisq; repente copiis, insequi hostem cepit, nullā

aut temporis aut loci rationem habens, sed duntaxat conferendi praelii auidus, tanquam uictoria in manibus eius foret. Usque adeo enim spe bene gerende rei animos multitudinis accenderat, ut plures essent, qui uincula & compedes, aliumque huiusmodi apparatus, quam qui apta ad dimicandum ferrent arma. Annibal uersus urbem Romam cum exercitu profectus, quod agri est inter Cortonam urbem, Thrasimenumque lacum, omni genere cladis peruastrat. Simul ac uero insequi Flaminiu[m] cum exercitu intellexit, per opportuna esse insidiis ea loca conspicatus, parare se ad praelium ccepit. Est eo in loco latior, atque undique circumseptus campus, qui ab utroque latere per longum altissimis perpetuisque cingitur montibus. In latum uero ad interiorum partem colles affurgent, asperi atque difficiles: partem posteriorem alluit Thrasimenus lacus, inter quem, & montes uia per angusta, per quam in ipsum campum patet ingressus. Occupatis igitur anterioribus collibus, in his castra locat, ubi ipse cum Afris modo atque Hispanis consideret. Baleares, omnemque leuem armaturam post montes circunducit. Equites cum Gallis in ipsis angustiis locat, ut simul ac intrassent Romani, obiecto equitatu clausa omnia lacu ac montibus forent. His ita per noctem dispositis, Annibal quietem agit. Flaminius hostem summo studio insecutus, cum pridie prope Solis occasum ad lacum peruenisset. Postero die cum prima luce ducere per angustias exercitum ccepit. Erat hic dies orta ex lacu proximisque montibus nebula caliginosus ualde, ac per obscurus. Annibal, ubi maiorem partem copiarum campos ingressam, & iam propinquantes sibi primos animaduertit, dat simul omnibus inuadendi signum. Quo facto undique, ut proximi quique erant, decurrerunt. Romani subito ac improviso malo perterriti, densissima caligine impediens prospectum, hostibusque ex pluribus locis eodem tempore concurrerentibus, neque acies instruere, neque expedire arma, & uix quid actum foret, intelligere poterant, aliis a fronte, aliis a tergo, aliis ab utroque latere prorumpentibus. Quibus rebus factum est, ut multi in ipsa profectiois specie, cum opem sibi inuicem ferre nequirent, instar pecudum trucidati fuerint, ante oppressi ab hostibus, quam quid agendum esset, consultum foret. Flaminius ipse in summa rerum desperatione Gallis quibusdam circumuictus, occiditur. Desiderata sunt in eo praelio quindecim millia hominum, qui magna ex parte immota acie ad extremum, ut Romani moris est, perstiterunt. Alii fuga ad ipsas fauces, quibus ingressi fuerant, facta, foede ac turpiter ab hostibus oppressi, ac in prima uada paludis se precipitantes, partim acriter insistendo mox interficiuntur: partim se capitibus tenus aque immergentes, aliquandiu ita permansere. Tandem uero ingressis aquam equitibus, cum uita suppliciter

elevatis

elevatis in celum manibus, precantes non exaudirentur: uel trucidati sunt ab hostibus, uel ipsi se inuicem hortati manus sibi adhibuere. Sex millia ferme primi agminis per medios hostes eruptione facta, & si suppetias ferre suis, & circumuenire hostes poterant, ignari tamen omnium, quae post se agerentur, ac continue ut alicui obuiarent procedentes, e saltu euasere. Cunctique in tumultu quodam constitissent, ac depulsa iam nebula stragem suorum indicaret, omni spe salutis destituti, quod omnia esse hostium conspicerentur, citato cursu in propinquum uicum se recepere. Annibal confecto praelio, Maharbalem persequi eos iubet. Hic cum Hispanis, ac leuis armaturae militibus profectus, uicum obsidet. Romani, cum extremis omnibus premerentur, tandem depositis armis, ac salute pacta, Poeno se dederunt. Haec fuit Romanorum, Carthaginensiumque apud Thrasimenum lacum memorabilis pugna. His peractis Annibal, uocatis, quos Maharbal in deditioem acceperat, caeterisque captiuis, qui numero supra quindecim millia erant, primo non potuisse Maharbalem inquit, se inconsulto salutem paciscentibus polliceri: deinde grauiter in Romanos inuectus, eorum captiuos omnes inter milites diligenter in uinculis asseruandos distribuit, sociis omnibus sine pretio dimissis, uenisse se inquit, sicuti in Gallia dixerat, non ut populus Latini nominis, sed ut pro eorum libertate Romanis bellum inferret. Post haec milites corpora curare, & cadauera interfectorum, qui clariores fuerant, mandare sepulturae iubet. Haec circiter triginta erant. Nam ex uniuerso exercitu duntaxat mille & quingenti, atque hi magna ex parte Gallii ceciderant. Ipse interea cum fratre, atque amicis de rebus gerendis consultat, usque adeo elatis praesenti uictoria animis, ut nihil iam Carthaginensibus difficile factum fore uideretur. Iam nuncius tantae cladis peruenerat Romam, patres occultare id diutius, aut minuere apud populum ob magnitudinem facinoris non poterant, sed aduocata in curiam plebe, dicere quicquid esset cogebantur. Cum primum igitur Praetor e rostris, pugna, inquit, magna uicti sumus, tantus terror, ac tumultus ortus est, ut qui in utroque loco fuerunt, maiorem dixerint hoc tempore Romae, quam paulo ante in praelio, fuisse consternationem animorum. Neque id quidem dissimile ueri est. Nam qui longo iam tempore non solum non re, sed ne uerbo quidem insignem aliquam cladem experti fuerant, moderate ferre tantam iacturam non poterant. Senatus tamen, ut par erat, dignitatem seruauit, consulando de rebus futuris, quo nam duce, aut quibus copiis resistendum Carthaginensibus foret. Dum haec, quae supra memorauimus, in Tuscia gerebantur, Seruilius Consul, cognito Annibalis in Hetruriam transitu, iungere se cum copiis collegae decreuerat, sed

o

quia difficile erat tantam hominū multitudinē simul traducere, Cn. Centronium Proprætorem cum quatuor millibus equitū præmisit, ut si ante aduētum eius aliqua necessitas urgeret, mandatis collegæ præsto esset. Annibal iam tum uictoria potitus, cognito per exploratores hostium aduētum, Maharbalem cum expeditis, & parte equitum procedere obuiam iubet. Hi simul ac ad eos puenere, primo statim congressu maiorem partem occiderunt, reliqui fuga in proximum collem recepti, postridie uiui in potestatem hostis peruenerunt. Hac clade triduo post primam Romæ nunciata, mæstis adhuc cunctorum animis, usq; adeo iam non populus modo, uerum etiā Senatus afflictus est, ut tota ciuitas ueluti quædam imago luctus uideretur. Quapropter dimissis annuis Magistratibus, ad creationem Dictatoris confugerunt, quod temporis ac præsentium rerum conditio imperatorem, cui amplissima potestas esset, requirere uidebatur. Annibal rebus foeliciter gestis, elatus animo, nondū tamen adeundi Romam adesse tempus putabat. Quocirca passim uastata ferro igniq; prouintia, per Umbriā, & Picenum profectus, decimo die peruenit in propinquam Adriatico mari regionem, adeo omni genere prædæ refertus, ut neq; uehēdo, neq; ferendo oneri exercitus sufficeret, in itinere uero ingentem hominum multitudine interfecit. Iusserat enim militibus præconē, ut obuiū quenc; idoneæ ac res bellicas ætatis non secus, atq; inexpugnatis ciuitatibus fecerant, obruncarēt. Tantum enim aduersus Romanos genitū erat odium, ut nullo genere crudelitatis abstineret. Nactus igitur locū in littore Adriatici maris omnis generis frugum copia abundātem, ibi per aliquot dies statiuā habuit, omni studio intentus, ut militū corpora reficeret, curaretq; nec minus etiam equorū. Nam & ex frigore, quod in Gallia per hyemem sub diuo contraxerat, & ex assiduis laboribus, quos proxime in transeundis paludibus durauerant, diuturno præterea situ ac squalore armorū, in morbū, ac ueluti scabiem quandā, & equi & hoies inciderant. Interea etiā Afros militaribus armis iuxta Romanorū consuetudinē instruit, quorū copiam ex tot hostium spoliis maximam adeptus erat. Misit præterea mari Carthaginē, qui res foeliciter gestas populo nunciaret. Nam tum primū post ingressum Italiae littus attigerat. Hoc nuncio Carthaginenses lætitia affecti, ardentiori studio Italicis, Hispanisq; rebus incubuere. Romani dictatorem crearunt Q. Fabium singulari uirtute ac prudentia uirū, qui ob res egregie gestas Maximi cognomentū adeptus est, & usq; in hunc diem in familia eius durat. Dictator autem eo differt a Consule, q̄ Consulem duo decim secures præcedunt, Dictatorem uero quatuor & uiginti. Præterea illos necesse est multa referre ad Senatū, at huius est summum liberūq; imperium

imperium, sub quo mox ceteri Magistratus cessant, exceptis Tribunis. Sed de his alias latius. Dictatori quoq; addiderunt M. Minutium Rufum, magistrum equitum, qui Magistratus imperio Dictatoris subiectus est, tenetq; in exercitu eius locum, si quando abesse illum necessitas Reipub. cogit. Annibal breuibus itineribus plittus Adriatici maris castris, opulenta ac fertili prouintia exercitū alebat, ueteribus uinis, quorum permagna est copia, pedes equorum abluens, quo facilius scabi liberarentur. Ex militibus quoq; si qui uulnerati erant, curari diligenter iubebat, ceteros instaurari uiribus, parariq; ad res futuras. Hinc per Brutianum atq; Adrianum agrum profectus, Marfos, Marrucinos, & Pelignos deuastat. Præterea Arpos & Luceriam Romanorum coloniam atq; omnem Apulię regionem. Per id tempus Q. Fabius Magistratu inuito, peractisq; rite sacrificiis, cum Magistro equitum, & quatuor ex tempore cōscriptis legionibus urbe proficiscitur: nec multis interiectis diebus in Apuliam peruenit, ubi accepto a Cn. Seruilio Cōsule, qui eo ex Arimino uenerat, exercitu, ipsum Romam cum præsidio remisit, iussu, ut parata Ostiæ classe, si quid interim Carthaginenses mari tentaret, littora Italiae ab hostibus tutaretur. Ipse cum omnibus copiis profectus, castra haud procul Arpis in conspectu hostiū posuit. Annibal cognito Dictatoris aduētum, nullam mora facta educit in aciem exercitū, copiamq; pugnandi hostibus facit. Sed ubi aliquantum cōmoratus, neminem prodire in certamen uidet, in castra reuertitur. Enim uero ab initio Fabius statuerat haud tentare fortunam belli, neq; manus cū hostibus conserere, id tantummodo salutiferum populo Romano ratus, si oppida ab hostium uiribus tueretur. Et in hac sententia usq; ad extremū constanter permansit. Ex quo principio quidē imbellis ac formidolosi hominis nomen habere cœpit, ut qui ignauia, atq; socordia detrectare periculum uideretur. Interiectis uero temporibus, coegit omnes fateri, neminem potuisse, uel constantiorem, uel sapientiore rebus gerendis imperatorem præfici, quod non longe post res ipse ostendere. Intelligebat profecto prudentissimus Dictator, quantum inter Carthaginensium ac Romanorum exercitus interesset, cum illi ab ineunte ætate continue in rebus bellicis alti, educatiq; essent, & Ducē haberent, una cū ipsis in castris, ac sub diuo, nutritum, ac rem militarem a teneris annis edoctū, Præterea tot præliorum in Hispania uictores fuissent, in Italia aduersus Romanos, sociosq; bis hostium potiti essent, & quod maius momentū habebat in tanta rerum extremitate, nullam, nisi in uictoria repositam spem haberent, Romanis uero contra hæc omnia acciderent. Igitur abstinendum omnino prælio Numidarum decreuerat, atq; in proposito

perseuerandum. Id erat, ut exercitus populi Romani, & multitudine hominum, & copia comeatuum assidue refertus esset. Quapropter per loca alta continue agmen ducere, exercitum hostium paruo interuallo quacumque iret, sequi, opportunos semper colles preoccupare, neque relinquere unquam hostes, neque copiam pugnandi facere, comeatum abunde post se habere, milites ne semel quidem permittere ab exercitu diuidi, sed confertos semper, conglobatosque tenere. Per hunc modum suis quidem tutam omnia, hostibus uero, si quando populandi gratia ab exercitu diuiderentur, infesta praeiuit, multis saepe numero captis, pluribus etiam interfectis. Id autem eo consilio faciebat, ut simul paulatim imminueret hostium uires, simul exiguis uictoriis territum pristinis cladibus militem assuefaceret minus iam uirtutis, aut fortunae suae poenitere. Caeterum, ut in aciem descenderet, nulla ratione adduci poterat. At M. Minutius hanc Fabii cunctationem aegre ferens, timiditatis eum atque socordiae arguebat, homo ferox, atque in consiliis rapidus, & cui nihil longius, quam pugnare tempus uidebatur. Poeni, deuastatis praedictis locis, superatoque Apennino, Samnium transeunt, infocundissimam Italiae oram, & longo iam tempore bellorum expertem. Vbi tantam comeatuum, rerumque necessarium copiam nacti sunt, ut nec quotidiano usu, nec continua deuastatione absumere praedam possent. Hinc & Beneuentum, Romanorum coloniam depopulantur, Telesiam urbem capiunt, & moenibus, & comeatu, caeterisque necessariis rebus munitissimam. Romani continue hostes unius aut duorum dierum interuallo sequebantur. Annibal, cum animaduerteret Fabium aperte praeliandi occasionem fugitare, neque tamen excedere campis, sed per edita atque opportuna loca continue insequi, citato cursu proficisci Capuam, & in Falernum agrum descendere decreuit, ratus alterum e duobus necessarium fore, uel ut Romani in praelium descenderent, uel ut mox uniuersis appareret, Carthaginenses castra obtinere, Romanis se in munimenta recipientibus. Quo facto, perterritas praouintiae ciuitates, confestim se Carthaginensibus dedituras sperabat. Nam usque in eum diem, quamquam duobus maximis praeliis profligatis Romanis, nullum omnino oppidum ad Carthaginenses defecerat, multis alioquin existentibus, quibus graue Romani imperii iugum uidebatur. Quibus ex rebus facile coniectari licet, quamquam apud socios auctoritatis foret Romanae Reipublicae maiestas. Nec sane imprudens Annibalis consilium fuit. Est enim Campanus ager et copia rerum, & fertilitate regionis, & amoenitate ac pulchritudine loci excellentissimus. Nam & in littore maris positus est, & eo ex uniuerso terrarum orbe uenientes in Italiam innumere gentes confluunt. Sunt praeterea in eo sitae nobiliores Italiae ciuitates. Siquidem oram Maritimam incolunt

Suessani

Suessani, Cumani, Dicearchitae, Neapolitani, & ad extremum Nucerinum; mediterranea uero a Septentrione Calatini & Calleni; ab Oriente et Meridie Dauni, & Nolani. In medijs autem campis sita est omnium olim felicissima ciuitas Capua, cuius campi fabulosis etiam Poetarum carminibus incliti sunt, quos illi Phlegreos appellant. Praeterea situs ipse natura munitissimus, ac fere insuperabilis est. Hinc mari, illinc maximis, perpetuisque montibus cinguntur. Tres tantum aditus habent per angustos atque difficiles, unum a Samnio, reliquos ab Arpis. Igitur in hos campos ueluti in theatrum quendam descensuri Carthaginenses uidebantur, ex quo fugientes hostes spectarent, solique de caetero castra obtinerent. His itaque rationibus motus Annibal, exercitum Samnio per angustias Eribiani collis deducit, castra ad Vulturum amnem ponit. Exurebat amoenissimus Italiae ager, uillaeque passim ferro, atque incendijs uastabantur. Quibus rebus, & si non mediocriter turbabat Fabius, nihilominus in proposito perseuerabat. At M. Minutius, omnesque Tribuni equitum amputandam omnem moram iudicabant, factoque impetu, totis uiribus ruendum in Carthaginenses: neque permittendum, ut sub oculis Romani exercitus felicissima regio deuastaret. Fabius per paucos dies celeriter solito motis castris festinare ad prohibendam populationibus Campaniam uisus erat, ut uero Falerno appropinquauit, tantummodo in iugis montis ostendit exercitum, ne socii reliquisset eum castra existimarent: in equum uero educere copias noluit, ueritus cum Poenis praelium committere, cum propter supradictas causas, tum, quia equitatu longe impar erat Romanus exercitus. Annibal, cum saepius hostem ne quicquam tentasset, tandem deuastata passim regione, abductaque ingenti praeda, hybernis locum spectabat. Fabius, cum satis sciret per eadem angustias, quibus intrauerat, rediturum, ratus ea loca per opportuna esse Romanis (sed quid aduersus Poenum moliri uellet) circiter quatuor millia hominum in ipsis angustis ponit, hortatos, ut magno fortisque animo, cum res ferret, opportunitate loci uterentur. Ipse cum reliquis copiis collem iisdem angustis imminentem occupat, quid quaque in re agendum esset, consultans, unde primum, uel a quibus in hostem ruendum, haud dubius, se uel profligaturum omnino hostium exercitum, uel saltem quicquid uehebant praedae, ablaturum. Verum non fefellit Annibalem, suis se artibus a Fabio premi, sed his omnibus ante consideratis, singulari astutia hostis conatum frustratus est. Collectis undique samentorum fasciculis, & omni genere materiae aridae alligari bouum cornua, quos domitos indomitique multos abegerat, iussit. Ad duo millia fere bouum parata. Datum Asdrubali negotium, ut statuto tempore pecudum cornibus accensis, armen-

rum per ministros ageret in propinquum saltum, qui medius inter castra atque angustias, queis futurum erat iter, eminebat. Inde cum primum illi dari a se signum animaduertent, rapide, factoque impetu, boues in aduersum montem concitarent, donec ad iugum actum foret armentum. His paratis, coenare omnes, & quiescere aliquantum iubet: nocte intempesta, quibus datum erat negotium celerissime exeunt, Bouum cornua, uti preceptum erat, accendunt. Quo facto, Annibal mature educi armentum, atque ad iugum motis agi nunciat. Expeditos usque ad certum locum sequi iubet, admonitos, cum primum facto impetu discurrere per montes pecus coepisset, opportuna loca occuparent, unde transeuntibus suis opem ferre, hostemque si cubi obuius fieret, infestare possent. Inter hec ipse omnem exercitum educit, positisque primo grauioris armaturae militibus, postea equitibus, deinde preda, postremo Gallis atque Hispanis, ad angustias tendit. Romani, qui ad eos transitus insidendos locati fuerant, ubi in summis montibus ignes conspexere, uenire per ea loca Annibalem rati, praesidio excesserunt, iugum montium petentes, & primo cum in quosdam boues separatos a ceteris incidissent, micantes eorum capitibus, flamas aspicientes, ueluti miraculo attoniti, ac maius aliquid existimantes, constiterunt. Deinde, ubi milites quoque apparuere, iaculatis aliquandiu aduersus se inuicem telis, cum tandem boues interueniret, utriusque in iugo motis perstiteret, auide lucem, ut rem omnem aptius cognosceret, expectantes. Fabius cognito tumultu, insidias esse ratus, tum a certamine, sicuti statuerat, abhorrens, suos munimento tenuit. Interea Annibal rebus ex sententia succedentibus, per saltum traducit agmen, praedaque omnem nemine iam impediente integram conuehit. Luce prima conspiciunt Romanos in iugo motis suis oppositos & numero hominum, & genere armaturae ualidiores esse, Hispanorum cohortem suppetias mittit. Hi primo statim congressu circiter mille hostium caesis, suos in castra saluos reducere. Annibal hoc astu angustias Falerni agri liberatus, tutioribus in posterum ad castrametandum locis electis, hybernis locum querebat. Inter hec plerique Dictatorem timiditatis arguere, quod hostem intra angustias clausum euadere tam facile permisisset. Ille nihilominus constanter in proposito perseuerare. Interiectis uero diebus, Romam factorum causa reuocatus, curam exercitus rerumque ceterarum magistro equitum reliquit, pluribus eum hortatus, ne tam hostes offendere, quam suos tutari studeret. At Minutius nequicquam hec a Dictatore premonitus, omni studio intentus erat in prelium. Dum haec in Italia gerebant, Asdrubal refectis in Hispania triginta nauibus, quas accepisse a fratre, supra memorauimus, decemque huic numero adiectis, principio estatis ex hybernis Carthagine mouit. XL nauium classem Himilconi tradidit. Eo prope terram nauigante, exercitum ipse in

ipse in littore ducebat, sperans se uno tempore cum terrestribus naualibusque copiis ad Iberi ostia futurum. Cn. Scipio, ubi mouisse ex hybernis Asdrubalem audiuit, primo idem consilium habuit, deinde propter famam nouorum auxiliorum, ac bellici apparatus, mari potius, quam terra concurrendum statuit. Parata itaque quinque & triginta nauium classe, ex omni exercitu optimum quendam militem, & ad naualem usum aptissimum delegit. Quibus in naues impositis, ire obuiam hosti pergit: ac postridie Tarrhaconem ad propinqua Ibero loca delatus, in stationem decem millia passuum distantem ab hostibus peruenit. Inde duae Massiliensium naues speculatum missae. Nam ea gens societate astricta erat populo Romano, & cum saepe alias, tum maxime tempore secundi belli punici aperte cum Romanis sentiebat. Renunciantibus speculatoriis classem punicam stare in ostio fluminis, sublati anchoris in hostem ruit, cupiens ex tempore improvidum atque imparatum offendere. Verum, Asdrubali datum esse specula signum, aduentum Romanae classis indicauerat. Quam ob rem repente dispositis in littore terrestribus copiis: remigibus uero conscendere natis iussis, arma capere omnes iubet. Iamque Romanis non appropinquantibus modo, sed dirigentibus in pugnam nauis, bellicum cecinere. Carthaginenses impetu in Romanos facto, aliquandiu proximi uictoriae sunt uisi. Postea inclinare res coepit. Nam qui in littore erant, non tam audaciam pugnantibus, quam spem salutis fugere uolentibus prebebant. Duabus igitur nauibus captis, quatuor suppressis, agere in littus classem Poeni coepere. Tum uero insequentibus atrocius Romanis, omni conatu aduocato, tandem in littora prorupere, relictisque nauibus, ad paratam in terra aciem concurrerunt. Romani haud cunctanter insecuti, naues omnes, quae moueri poterant, ualidis religatas funibus, extraxere. Atque ita deuictis hostibus, imperio maris potiti, laeti decesserunt. Ad quinque & uiginti naues hostium ex quadraginta captae. Romani, auctis ex uictoria animis, acrius iam Hispaniae rebus incubebant. Carthaginenses, accepta suorum clade, celerius omni fide paratas septuaginta naues misere, haud ignari quantum momenti ad omnem rem imperium aequoris afferret. Haec primo in Sardiniam, deinde Pisas in Italiam delatae, uti cum Annibale, si fieri posset, coniungerentur. Romani, simul ac aduentum punice classis intellexerunt, centum & uiginti quinqueremibus missis, tantum Carthaginensibus terrorem iniecerunt, ut confestim in Sardiniam, deinde Carthaginem redierint. Cn. Seruilius, qui Romanae classi praerat, ueluti fugientes diu persecutus, ubi nullam potiundi spem animaduertit, classem Lilybaeo appulit, hinc non longe post ad propinquas Africae insulas nauigauit: acceptaque ab incolis, ne prouintiam deuastaret, pecunia, iter conuertit, & capta inter nauigandum

Cossyro insula, oppidoque praesidio firmato, Lilybaeum reuersus est. Hic posita in statione classe, post paucos dies ad terrestres copias contendit. Interea Senatus, cognita Cn. Scipionis apud Iberum nauali uictoria, non modo utile, uerum etiam necessarium iudicauit, bellum in Hispania proficere, & qua maximis possent uiribus, Carthaginenses terra marisque infestare. Quam ob rem paratis extemplo uiginti longis nauibus, P. Scipionem prorogato post consulatum imperio, in Hispaniam mittunt, ut una cum Cn. Scipione fratre coniunctis uiribus omnia communi consilio tractarentur. Nihil enim magis uerebantur Romani, quam ne potius Hispaniarum rerum Carthaginenses imperium maris obtinerent, propter quod & nauigare eis in Italiam liceret, & comitum, pecuniamque libere Annibali subministrare. Profectus itaque in Hispaniam P. Scipio. Cn. Scipioni fratri coniungit, ac deinde communi consilio gerebant bellum. Quam ob rem, quod ante eum diem non fuerant ausi, Iberum haud cunctanter transgrediuntur. Hic statim fortuna fauere Romanis coepit. Superatis, qui circa Iberi transitum habitabant, nemine deinde obuios, Saguntum uenerunt. Vbi distantes a Fano Veneris quinque millibus passuum castrametati sunt, loco ut ab hostibus tuto, ita ad comitum ex mari habendum opportuno. Accidit, ut eodem non longo post classis quoque appelleretur. Enim uero, quo tempore Annibal in Italiam uenit, obsides ex singulis Hispaniae ciuitatibus nobiliorum filios acceperat, eosque omnes Sagunti iusserat custodiri, quod & munitissimus erat hic locus, & qui custodiae relinquebantur, Carthaginensibus fidi. Erat tum igitur Sagunti Hispanus quidam nomine Acedux claritate generis, ac uirtute splendore nemini Hispanorum secundus, Carthaginensibus uero inter primos fides. Sed tum, ut sunt plerumque Barbarorum ingenia, cum fortuna mutauerat fidem. Hic cum Romanorum successum in Hispania animaduertisset, de obsidibus tradendis cogitauit, eam potissimum rem conciliaturam sibi Romanorum beneuolentiam ratus. Circumspectis igitur omnibus quae desiderii sui compotem possent facere, tandem Bostarem Praefectum Carthaginensium adit. Hic ab Asdrubale in Hispaniam missus, ut Romanos a transitu fluminis arceret, cum id non fuisset ausus, castra extra Saguntum in ipso littore posuerat, homo natura mitis, & praeter consuetudinem Poenorum haud satis callidus. Eum itaque nihil prorsus de fide sua erga Carthaginenses uerentem, in secretum adducit, quo in statu res sint, admonet. Carthaginenses, inquit, metu ad eam diem continuisse in fide Hispaniarum populos, quod Romani, procul abessent. Nunc uero castra Romanorum Iberum transisse, datam unicuique moliendarum nouarum rerum opportunitatem. Quam ob rem oportere,

quos

quos metu non liceat, eisdem beneficio, & gratia deuinctos facere. Appropinquasse Sagunti Romanos instructos, paratosque terrestribus & naualibus copiis, urbem periclitari: censere se, obsides omnes in ciuitates remittendos. Si id fecerit, frustraturum se primo Romanorum spem, qui nulla re magis oppugnare Saguntum nitebantur, quam ut obsidibus potiretur: deinde fidem ac beneuolentiam Hispanorum Carthaginensibus conciliaturum. Proinde rem consideret, & obsidum saluti consulat. Si eorum reducentorum curam sibi tradiderit, non parum se quoque gratiam aucturum: neque solum remissis ad parentes filiis obligaturum illorum animos, uerum etiam uniuersis positurum ante oculos quantum facienda sit benignitas & clementia Carthaginensium. Post haec expectare eum iubet munera quam plurima ab iis, quos filiorum compotes fecisset. Neminem tanti beneficii immemor futurum. Haec, atque alia complura in hunc sensum locutus, ubi quod cupiebat, Bostari persuasit, Saguntum reuersus est, statuto die, quo adesse cum iis deberet, qui nobilium filios reducerent. Sequenti nocte clam profectus ad hostium stationes, conuentis quibusdam auxiliariis Hispanis, ad Duces perducitur. His effatus pluribus uerbis, quanta Hispaniarum rerum accessio futura sit Romanis, si obsidum potiantur, tandem traditurum, se eos pollicetur. Romani ob rei magnitudinem erectis animis, dant simul, accipiuntque fidem, munera praeterea amplissima pollicentur. Constituto deinde loco ac tempore, quo expectare ad recipiendos obsides deberent, domum reuertitur. Post haec assumptis, qui ad eam rem apti uidebantur, ad Bostarem uenit: acceptisque obsidibus nocte, perinde ac hostium custodias fallere uellet, Saguntum proficiscitur: cuncta castra hostium paululum pertransisset, ueluti ignarus eius rei omnes in praeparatas insidias perduxit. Romani maximis honoribus Aceduci exhibitis, eo usi sunt ad reducendos in ciuitates, sicuti cum Bostare statuerat, obsides, missis cum eo, qui ad rem aptiores uidebantur. Acedux cum nobiliorum filiis profectus, & per eam restitutionem humanitatem ac magnitudinem animi Romanorum omnibus ante oculos ponens, contra uero Carthaginensium suspitiones atque superbiam detestans, ac sui ipsius exemplum praebens, plures Hispaniae populos ad societatem Romanorum hortatus est. Bostarem puerili consilio amissis obsidibus, sero facti poenituit. Verum iam instans anni tempus utrumque exercitum prodire hyematum coegit. Haec in Hispania secunda aetate belli punici gesta. Annibal, ut eo reuertamur unde discessimus, cum per exploratores cognouisset, maximam frumenti copiam esse Luceriae ac Geryone, praeterea Geryonem commodissimum stationi locum esse, eo traducere exercitum in hyberna decreuit. Facto itaque per Libur-

num montem itinere, ad ea loca cōtendit. Cum Geryonem uenisset, urbem quincē & uiginti millibus passuum Nuceria distantem, primo uerbis hortari ad deditionem populum cōcepit, multis pollicitationibus adhibitis, data etiam fide. Postea cū id frustra a se fieri intelligeret, urbē obsedit, qua mox potitus, ciues atq; habitatores omnes interfecit, ædificia uero ad usum horreorū magna ex parte integra seruauit, castra ante oppidum posuit, loco, uallo, fossaq; munito. His peractis, duas exercitus partes frumentatum mittebat. Cum tertiā expedita ipse in statione erat, simul ut castris p̄sidio foret, simul ne impetū in frumentatores fieri pateretur. Cū igitur lata, & fertilis ea regio esset, & multitudo hominum pene innumerabilis, p̄terea tēpus messis instaret, ingens quotidie frumenti multitudo in urbem cōuehebat, M. Minutius, qui exercitui Romanorū p̄erat, principio per saltus aciuga montiū Carthaginenses sequebatur, sperans se aliquando in locis difficilibus hosti occursum. Postq̄ uero expugnato Geryone, castrisq; ante oppidum positis, frumentationi dare operam cognouit, in planum defertur, imminentem uiaē tumulū occupat, ubi castrametatus, callidioribus consiliis agit, quo modo aut in frumentatores, aut in stationes hostium relictas impetus fieret. Annibal, cum Romanis propius iam adesset, tertiā partē militū frumentatum, duabus in castris retentis, dimisit. Deinde castra ipsa propius hostem mouit, duo fere a Geryone passuum millia, ut intentum se ostenderet ad frumentatores, si qua uis fieret, tutandos. Interea eminentior inter utrunq; exercitum tumulus apparuit, per opportunus Carthaginensibus, si caperetur, & ipsis Romanorum imminens castris. Hunc igitur missis per noctem Numidis occupat. Quos orto iam die cum tenentes locum Minutius uidisset, eductis leuis armaturę militibus, tumulū adgreditur. Acriter aliquandiu certatum est. Tandem uictores Romani collem obtinuerunt. In eum mox exercitus omnis transfertur. Annibal aliquot diebus, q̄ aduersa semper erant hostium castra, apud se militem continuit. Interiecto uero tempore, ad eum necessitas, alios cum iumentis in pascua, alios frumentatum per agros transmittere, ut sicuti initio constituerat, neq; absumeret iam partem prædam, & frumenti multitudinem ad usum hybernorum colligeret, sollicitus uehementer, ne quid per hyemem exercitui deesset, ac præsertim equis, iumentisq; q̄ maximā semper in equitatu repositam spem habuerat. Minutius uagos, palantesq; per agrum hostes conspicatus, medio diei tempore copias educit, profectusq; aduersus hostium castra, grauiorem armaturam in aciem disponit, equites cum expeditis in frumentatores dimittit, iussos, ne quem caperent uiuum, sed omnes passim interficerent.

Annibal

Annibal repentino malo circumuentus, neq; pugnare acie ob paucitatem suorū, neq; sparsis per agros militibus opem ferre poterat. Romani equites, expeditisq; late cædem ac fugam palatorum hostium fecere. Qui uero cum Minutio erant, tantum ea re audaciæ conceperunt, ut & prorumpere in castra hostium, & fere Carthaginenses obsidere audent. Annibal consiliū atq; auxilii inops, intra uallum se continebat, egrē iam castra ipsa custodiens, cū Asdrubal collectis militibus, qui se in priora castra pro Geryonis mœnibus fuga receperant, numero ad quatuor millia hominum, Annibali suppetias tulit. Tunc Annibal erectis parū per animis egressus castris uix tandem præsentī periculo exercitum liberauit. Minutius maxima cæde ante hostium stationem, non minori etiā in agris facta, in præsentia abiit, ingenti spe de rebus futuris animo concepta. Postridie uero deserta hostium castra occupauit. Nam Annibal ueritus, ne Romani occupatis per noctem castris, quæ uacua pro Geryonis mœnibus erant, totius prædæ potirentur, citato itinere eo cū omni exercitu redierat. Post id tempus Carthaginenses in pascuis ac frumentationibus moderatiores fuere. Contra, Romani ad omnem euentum audaciores facti. Interea uictoria Romæ (ut fit) longe maiore, q̄ fuisset, nunciata, magna omniū animos lætitiā cœpit, primo q̄ post tot clades hoc ueluti initium melioris fortunæ arbitrabant esse, tum q̄ segnitiam, ac timiditatem, quæ hætenus in Romano exercitu apparuerat, nō militum, sed Dictatoris culpa euenisse ex eo ratiocinabatur. Quamobrem, omnes Fabium spernere, eum ut secedere, formidolosumq; reprehendere. Contra Minutiū usque adeo extollere in cœlum laudibus: ut, quod ante eum diē factū fuisse nulla memoria habebat, Dictatoris imperio, eius imperio æquauerint, sperantes eū q̄ celerrime finē bellis Italiæ impositurū. Iam duo Dictatores uno tempore uno exercitu erant, res ante eum diē inaudita. Minutius secundis rebus ac fauore uulgi plusq; credibile est, animo elatus iam ueluti deuictis prostratisq; hostibus gloriabatur Fabius nihil prorsus ob acceptā contumeliā diminuto animo, et eodē tempore consiliorū obstinatus ad exercitū rediit. Hic, cū animaduertit collegam anxie occasione certandi querere, ueritus ne quid temere cōmitteret, dedit ei optionē, ut uel partitis temporibus, diebus alternis, aut maiore etiā interuallo summū ius atq; imperiū unius esset, uel legiones, sicuti Consulibus mos erat, inter se diuideret, suocq; uterq; arbitratu proprio exercitu uteretur. Minutio diuisio legionum magis placuit. Igitur partitis copiis, castra quoq; separata sunt mille & quingentorum passuum interuallo. Annibal, cum nō modo perfugitiuos, sed ex ipsis quoq; rebus, & simultatem Ducum, & Minutii temeritatem intellexisset.

optimum id intentioni suæ fore ratus, causam certaminis cum Minutio quærebat, sperans se facile impetum atq; audaciam eius posse comprimere. Tumulus erat inter Minutii ac Pœnorum castra, quem qui occupasset, haud dubie iniquiorem hosti locum facturum uidebatur. Eum cum capere Pœnus properaret, certus Minutium, sicuti alibi fecerat, sibi ad oblitendum occursum, tali consilio usus est, Ager omnis medius prima specie, quod nudus arbutis uepribusq; esset, inutilis insidiis uidebatur. Erant tamen in amphractibus plures, & cauæ rupes, quæis facile celari milites poterant. In has latebras, ut quæque locum maxime aptum intellegebat, ducentos simul, & trecentos, & quingentos equites noctu misit, pedites uero ad quinque millia. Qui ne forte mane a discurrantibus per pascua hostibus conspicerentur, cum primum luce scire dies coepit expeditos ad capiendum, quem diximus, tumulum misit. Quod ubi primum Minutius uidit, contenta hominum paucitate, ad pellendos inde hostes exercitum eduxit. Principio leuis armaturæ milites dimittit, iussos, ut manus cum hoste confererent, deinde mittit equites. Postremo ipse cum grauiore armatura sequitur, haud mutato ordine, quem superioribus certaminibus tenuerat. Iam sol terram radiis illustrauerat, omnibusq; animo atq; oculis tumulo intentis, insidie latebant. Annibal laborantibus suis continue mittebat auxilia, hinc ipse cum omni equitatu secutus est. Totis itaque utrinque uiribus certabatur. Tandem oppressi multitudine equitum expediti Romani milites, refugere ad grauiorem armaturam coeperant. Tum uero exorti repente insidiatores, & circumquaque cum clamore, & tumultu ruentes, non iam expeditos solum, sed uniuersum Romanum exercitum in summum discrimen adduxerunt. Quod cum cerneret Fabius, ueritus, ne omnino Romana acies profligaretur, motis repente castris, collegæ suppetias tulit. Cuius aduentu recreati Romanorum animi, quamquam solutis ordinibus, uage dissipati erant, confestim ad signa refugerunt, multis expeditorum caelis, pluribus etiam legionariis strenuis, ac fortissimis uiris desideratis. Annibal redintegratis recenti subsidio hostium uires, & iam aduersus se signa inferentes conspicatus, receptui cecinit. Tunc demum Romani omnes, qui bello interfuerunt, temeritate Minutii prostratum, deletumque Romanum imperium, Fabii uirtute ac prudentia seruatum palam profitebantur. Romæ quoque ut est perlata rei gestæ fama, manifeste omnes intellexere, quantum inter temeritatem atq; inscitiam militum, & prudentissimi Ducis consilium ac rationem interesset. Romani posthac unis castris contenti fuere, omnesque unius Fabii imperio parauerunt. Carthaginenses loco, qui inter tumulum & castra medius erat, fossa circumdato, tumulique ipsius uertice uallo præsidioque

præsidioque munito, parare hybernis locum cogitabant. Cum interea comitiorum dies aduenisset, Consulibus L. Aemilio, & C. Terentio creatis, Dictatores magistratum deposuerunt. Prioris anni Consules Cn. Seruilius, & M. Atilius Regulus, qui in Flamini locum successus fuerat Proconsules ab Aemilio facti accepta copiarum, quæ in castris, erant potestate, res bellicas administrabant. Consules nouo delectu habito, exercitum instaurant, Proconsules per literas admonent, ne acie pugnare cum Carthaginensibus audeant, breuibus tantummodo, assiduisque certaminibus exerceant militem, Tyronemque ad res futuras uiribus atq; audacia instruant, quod præteritarum cladum causam magna ex parte inscitiam, atque socordiam militum fuisse existimarent. L. Posthumius prætor creatus cum exercitu in Galliam mittitur, ut Gallis, qui cum Annibale militabant, uices redderet. Classis, quæ Lilybæi per hyemem steterat, instruitur nouo remige. Ducibus, qui in Hispania erant, necessaria mittuntur. Dum hæc Romæ agitantur, Cn. Seruilius, & collega eius Atilius, acceptis Consulum mandatis, nihil præter particularia certamina committunt. Itaque scribere de his in præsentia supersedimus. Nihil enim splendidum, aut memoratum dignum, iussu Consulum, & anni tempestate uertiti gessere, prudenter alioquin, callideque quotidianis rebus administratis. Per hunc modum uterque exercitus aduersis semper castris, hyberna transegit. Ineunte Vere, cum primum pabulum suppeditare agri coeperunt, Annibal ex hybernis mouit. Relictoque Geryone, cum statuisset usque adeo premere Romanos, ut necessario in prælium descendere cogerentur, Neapolitanam arcem occupat, frumento, & omni commeatus genere munitissimam. Nam in eam Romani ex Cannusio, aliisque circumstantibus locis frumenti multitudinem reposuerant, qua deinde ad quotidianos castrorum usus utebantur. Quo facto, ingens sollicitudo Romanos cepit, non tam ob amissam commeatus copiam, quam quod iam tota ea regio hostibus pateret. Mittuntur Romam nuntii, qui id Senatui significent, quid agendum sit consulant. Statuisse se, si hostes appropinquarint, ablata spe fugæ, prouinciaque passim deuastata, & nutantibus sociorum mentibus, in prælium descendere. Senatus, ne quid adhuc noui moliantur, renunciat, sed aduentum Consulum expectent. Post hæc parari ad discessum Consules iubet. Omnes Aemilium Paulum respicere, in eo spem omnem sitam habere, cum ob uitæ probitatem, tum quod antea actis temporibus aduersus Illyrios strenue ac fortiter se gessisset. Decretum præterea, ut octo legionibus remgerent, quod ante eum diem inusitatum erat, legiones singulæ hominum quinque millia haberent. Romani enim, sicuti supra memorauimus, quatuor legionibus exercitum

complent. Singulæ quæque legiones quaternis millibus peditum constant, equitibus ducentenis: aut si quando ingens aliqua necessitas urget, quinque millibus peditum, trecentenis equitibus. His ex sociis totidem pedites adduntur, equites fere triplicati. Copiæ omnes æque inter Consules diuiduntur. In prælium frequenter unus dumtaxat Consul descendit cum duabus legionibus, & auxiliis sociorum. Raro simul omnes cõgrediuntur. At ea tempestate tanta omnes formido, tantus terror Carthaginensium cõceperat, ut non quatuor, sed octo simul legionibus Romanis dimicandum iudicarent. Quapropter hortatis Consul animis, & magnitudine rerum in quamcumque partem fortuna inclinaret, ante oculos posita, maturare iter in castra iubent, precati, ut magno, fortisque animo, & sicuti maiestatem populi Romani decebat, res bellicas administrarent. Consules cum in castra peruenissent, permixto nouo ac ueteri exercitu, copias coniungunt. Senatus uoluntatem pluribus exponunt: multitudinis animos pro conditione temporis hortantur, Aemilio Paulo orationem habente, cuius hæc fere sententia fuit. Ne recetibus cladibus perterriti animis deficerent. Quippe superioribus bellis non unam, aut alteram, sed plures causas fuisse rerum infeliciter gestarum. Nunc autem, si uiri sint, nihil obstare, quin pulcherrima uictoria potiantur. Nunquam ante eum diem utrumque Consulem cum omnibus simul legionibus dimicasse, neque ueteranis exercitatisque militibus, sed ignaris inexpertisque rei militaris tyronibus usos fuisse: & quod maximi momenti est, usque adeo consiliorum hostilium, locorum situs, et naturæ regionis ignaros extitisse, ut sæpe uix dum fere conspectis hostibus oppositi, maximum discrimen subierint. Nam qui apud Trebiam fluuium in Gallia profligati fuerant, postridie quam ex Sicilia uenissent, temere, nullis consiliis hostium exploratis, in aciem descendisse. Qui iuxta Thrasimenum ceciderant, ante oppressos ab hostibus fuisse, quam eos cernere ob densam caliginem potuissent. Nunc contra, inquit, omnia nobis adsunt, o milites. Nam & duo Consules uobis adsumus animis atque copiis iuncti, & præteriti anni Consules nobiscum retinemus. Vos uero non modo quotidiana certamina, et militares ordines, et hostiles copias uidistis, sed hæc omnia experti continue exercendo, pugnandoque secundum iam annum agitis. Quocirca cum omnia contraria nobis adsint, quam superioribus præliis acciderunt, uerisimile est, exitum quoque pugnae nobis contrarium futurum. Neque credibile est, immo prorsus impossibile, qui totiens particularibus certaminibus cum hostibus æquali numero militum congressi uictores discessistis, nunc aduocata omni multitudine, cum duplicatum exercitum habeatis, ab hostibus superari. Omnibus igitur uobis ad uictoriam paratis o milites, dumtaxat consilio ac promptitudine

nostra

nostra opus est. Qui de rebus pluribus uos hortarer, nisi id alienum huic loco intelligerem. Quippe huiusmodi adhortationes ab iis expectari debent, qui aut mercede conducti, aut ex sociis acciti exercitui præsumunt, quibus nihil grauius, quam ipsius prælii tempus euenire potest. Apud eos uero, quales nos sumus, quorum non solum uita, sed & patria & uxores, & liberi periclitantur, commemoratio fortasse, adhortatio uero nequaquam necessaria est. Quis est enim, qui non malit uel pugnando uincere: uel si id fieri non possit, prælio occumbere: quam miserrimam trahendo uitam, tantam contumeliam ac calamitatem expectare? Eia igitur fortissimi Milites, uosmet uobis ipsis ante oculos ponite, quid inter uincere, uincique intersit, & quæ ex utroque sequantur, uobiscum cogitate. Ita uos ad prælium parate, ut non exercitum populi Romani, sed patriam, atque adeo caput ipsum orbis terrarum periclitari intelligatis. Quid enim superest populo Romano, uictis ac profligatis uobis? Omnes suas uires, omnem potentiam in uos contulit, spem omnem salutis in uobis repositam habet. Qua nolite per Deos immortales eum fraudare, reddite patriæ quas decet gratias, manifestum omnibus facite, antea actas clades non idcirco accidisse, quod Romanis præstarent Carthaginenses, sed quod tunc Romanus miles tyro, & rerum bellicarum ignarus esset. Hæc, atque alia huiusmodi locutus L. Aemilius, contionem dimisit, postridie uersus stationem hostium eduxerunt exercitum. Ac tertio die circiter sex millia passuum ab illis distantes castrametati sunt. Aemilius cum circum ea loca animaduertere planos, ac laticos esse campos, quod superiores equitatu hostes erant, haud conserendum in his prælium existimabat, sed eo preuertendum hostem, ubi peditatus utilior foret. Contra Varro, inexpertus rerum bellicarum haud differendum putabat certamen, ne hostes e manibus elaberetur. Itaque duo Consules dissimiles discordesque erant. Quo nihil accidere in exercitu perniciosius potest. Ea die (nam alternis imperitabant) Varronis imperium erat. Hic motis castris appropinquare hostibus maturat, indignante ac reclamante Aemilio. Annibal cum expeditis equitibusque obuiam profectus, tumultuario prælio ac præcursu magis militum, quam ex preparato eos adgreditur. Romani primum impetum acerrime sustinere. Nox prælium diremit. Carthaginenses, cum non prospere dimicatio successisset, in castra redierunt. Postridie eius diei L. Aemilius cum & abstinere pugna decreuisset, & tuto traducere exercitum nequireret, trifariam castra diuisit. Duas partes citra Aufidum amnem comuniit, qui solus diuidit Apenninum, orientisque in parte, quæ mare Tyrrhenum respicit, in Adriaticum defluit sinum. Tertiam partem trans Aufidum posuit, distantem a reliquis castris circiter mille & ducentos passus, a statione uero

P ii

hostium fere tantundē. Annibal spem nactus loci ad equēstrem pugnā aptissimi, & facturos copiam pugnandi Consules ratus, dirigere aciem cœpit. Veritus autem ne superiori casu timidior facta multitudo esset, hortari milites statuit. Aduocata igit̃ contione, aspicere omnes circumstantia loca iussit, rogauitq̃, quid maius optare a Diis immortalibus potuissent, quam oblatum sibi in iis locis cū hostibus certamen, ubi equitatu, qua parte uirium inuicti essent, uti libere ualerēt. Quod cū uniuersi alacres approbarēt, Proinde, inquit, primo Diis immortalibus gratias agite. Illi em̃ preparantes nobis uictoriā hostes in eiusmodi locum adduxerunt: secundo nobis, qui nostra industria pugnare hostem compulimus. Neq̃ enim fugere amplius, neq̃ detrectare certamē Romanus potest. Et pugna, & uictoria in manibus uestris sita est. Hortari uos in præsentia, ut strenui ac fortes sitis, superuacuum mihi uidetur. Id enim tum factu necessariū erat, cum Romanorum uirium expertes eratis, quo tempore nos sæpenumero id uerbis, exemplisq̃ præstitimus. Nunc uero cū tribus cōtinuis præliis tales a Romanis uictorias reportaueritis, quæ tandem oratio magis incendere animos uestros poterit, q̃ ipsæ res gestæ. Superioribus præliis regione potiti estis, & copia rerum omnium sicuti uobis polliciti fueramus. Neq̃ enim fraudati a nobis hæcenus promissis estis. Præsens uero certamē pro ciuitatibus est, eorūq̃ fortunis. Hac uictoria potiti, statim totius Italię domini eritis: tandēq̃ tot laboribus, ac periculis unica pugna liberati, adipiscemini Romanorum scelicitatē, omniū Duces atq̃ Imperatores eritis. Quas ob res nō uerbis, sed factis opus est. Diis uolētibus non longe post seruata a me promissa omnes experiemini. His, atq̃ aliis huiusmodi dictis militum animos hortatus, ac laudata omnium promptitudine, castra ad id latus fluminis posuit, ubi maiora hostium castra erant. Sequēti die curare corpora omnes iubet, & ad priuilegium in proximū diem parari. Igitur tertio die luce prima flumen transgressus, copias acie locat. L. Aemilius, q̃ animaduertebat in iis locis haud æquas esse suorum uires, & Annibalem ob penuriam rerum necessario moturum castra intelligebat, suos intra stationē continuit. Annibal parua protracta mora, cum frustra lacessere se hostē intelligeret, in castra ceteras recepit copias, Numidas ad inuadendos ex minoribus castris, Romanos aquatores dimittit. Quibus impedita a quatione, usq̃ ad uallum cū tumultu ac clamore prosecutis, indignatus Varro, ab tumultuario auxilio Romana castra turbari, longe magis ad prælium capeffendum inflammatus est. Nec minus omnis turba militaris auida certaminis erat. Adeo omnibus in rebus molesta semper expectatio est. Cum interea Romæ nunciatum esset exercitus, quanquam

non

non æquis locis, tamen aduersus se inuicem oppositos esse, & singulis quibusq̃ diebus una congregari, ingens mœror ac sollicitudo animos omnium cœpit. Affectus enim grauibus ac recentibus dadibus populus Romanus nimium in futura uideretur. Vnusquisq̃ intra se, quæ futura ciuium Romanorum fortuna esset, deleto profligatoq̃ exercitu, cogitabat. Quæ libri Sibyllini minabantur, in ore omnium erant. Prodigiis, signis, ostentis, templa cuncta, priuata etiam ædes scatebant. Quam ob rem precibus, sacrificiis Deorū, cærimoniis uniuersa urbs erat intenta. Obseruantissimi namq̃ eiusmodi temporibus sunt Romani publicarū, ac priuatarū religionum, nec quicq̃, quod ad ius fasq̃ pertineat, præmittūt. Varro, cui postero die fors imperii obuenerat, cū prima luce in consulto collega ex utrisq̃ castris copias educit. Ipse cū iis, quæ in maioribus castris erant, flumen transgressus, eas quoq̃, quas in castris minoribus habuerat, suis adiungit. Atq̃ ita instructa acie, Romanos equites in dextro cornu (id erat flumini propius) locat. Post hos cōtinuato agmine pedites ponit. Sociorū equites ad læuū cornū, ante omnes leuiorem armaturam in acie collocat. Erant autē adnumeratis sociis octuaginta millia peditū, equitū circiter sex millia. Annibal eodē tempore transgressus fluuiū Baleares, leuemq̃ armaturā præmittit. Hinc duplici trahitu reliquis copiis traiectis, hosti opponit. Gallos, Hispanosq̃ equites prope ripā læuam in cornū aduersus Romanorū equitatu disponit. Post hos pedites inter grauiorē Afrorum armaturā medios collocat: deinde Gallos atq̃ Hispanos. Postremo reliquam Afrorū multitudinē. Ad dextrum uero cornū Numidas equites cōstituit. Afri ita plane armati erant ut Romanorū aciem crederes, armis ad Trebiam, & Thrasimenum captis. Gallis Hispanisq̃ scuta eiusdē formę erāt, dispares ac dissimiles gladii. Nam Hispani quidē breuitate agiles, & cum mucronibus nō minus punctim, q̃ cæsim feriebant. Gallici uero prælongi, ac sine mucronibus erant. Harum gentiū aspectus specie ipsa, ac nouitate rei terribilis uidebatur. Galli supra umbilicū nudi pugnabant. Hispani linteis purpura prætextis & candidissimis tunicis præliabant. Equitū ad decē millia, peditū supra quadraginta millia cū auxiliaribus Gallis constiterāt. Dextrum Romanorū cornū L. Aemilius, sinistrum Terentius Varro regebat. Mediis prioris anni Cōsules M. Atilius, & Cn. Seruilius præerāt. Carthaginensiū uero Duces erant, in læuam cornū Asdrubal, dextro Hanno, in medio Annibal. Hic secū Magonem fratrem habebat, Romanis in meridiem, Carthaginensibus in Septentrionem uersis, neutris Sol prospectum offendebat. Clamore orto, & leuibus primum armis in cœpta pugna, par aliquandiu periculum fuit. Postea facta a Gallis atq̃ Hispanis

P iii

his equitibus ex sinistro cornu in Romanos impetu, nō solum fortiter, uerum etiam crudeliter dimicabatur. Neque enim equestris more pugnae conuertere se, atque iterum in hostem procurrare licebat, sed aduersis frontibus pugnare omnes cogebantur, nullo circa ad agendum spatio relicto, hinc amne, illinc pedibus claudētib. Acrius tamē, quā diutius pugnatum. Victi Romani magna ex parte in acie caesi, reliqui in flumen proiecti, obruti que sunt. Sub equestris finem certaminis pugna inter pedes orta. Galli atque Hispani primo acriter uiribus, atque animis hosti restiterunt. Postea densitate Romanae aciei oppressi, dissolutis cuneis referabant pedem. Romani tum cupidius insecuti, facile mediam aciem, quae tenuis in ualidaque de industria erat instructa, peruerunt. Ita audacius insistentes, nullo resistente ad subsidia Afrorum peruenere. Hi utrinque ductis alis constiterant. Galli interim dispositis rursus in sinu militibus, & quasi lunari specie facta, nitendo agmen refecerunt. Quo factum est, ut Romani calliditate Annibalis a fronte simul, atque a tergo clauderentur, hinc Aphris, illinc Hispanis, Gallisque prementibus. L. Aemilius, quamquam primo statim praelio grauer ictus fuerat, adhuc tamen integris uiribus confertis equis in mediam aciem discurrit, partim premento hostes, partim suos hortando. Idem Annibal facit. Interim Numidae cum omni equitatu a sinistro in dextrum Romanorum cornu irruentes, insigne aliquid neque fecerunt, neque passi sunt, tantis animis, & adeo equatis uiribus utraque acies propugnabat. Romanos tamen diuisos, atque undique circumdatos milites ad praedium reddiderunt. Inter haec Asdrubal emissis, qui prope ripam erant, equitibus, a leuo cornu subsidium Afris ferebat, quod conspicati Romanorum sociorum equites, repente terga uerterunt. Id uidens Asdrubal, callidi ac prudentissimi Ducis exercuit officium, Numidas, quos & numero plures, & rei militaris expertos, et semel uersis in fugam terribiles esse sciebat, ad persequendos passim fugientes misit. Ipse pedestribus copiis citato cursu in subsidium Afrorum perrexit, adgressusque a tergo Romanos, simul suorum confirmauit uires, simul ingentem hostibus stragem dedit. L. Aemilius pluribus uulneribus confossus in praelio cecidit, uir omni officio usque ad extremum diem in patriam functus. Romani longa atque acerrima pugna in eodem uestigio permanentes, tandem omnes trucidantur. Inter quos M. Atilius, et Cn. Seruilius, prioris anni Consules interfecti, uiri praestantes, & Romano nomine digni. Eodem tempore Numidae quoque fugientem equitatum nacti, maiorem partem interficiunt, reliquos equis deiciunt. Pauci Cannusium incolumes peruenere, inter quos Varro Consul, cui delectanda anima, ac exitiosum patriae imperium fuit. Hunc tandem Can-

nensis

nensis pugna habuit finem, strenuis uiris uictoribus simul ac uictis nobilitata. Cuius rei argumentum est, quod ex sex millibus equitum Romanorum duntaxat septuaginta cum Varrone Venusiam euaserunt. Eloscius circiter trecenti palantes, uagique in proximas ciuitates profugere. Ex pedestribus autem copiis circiter decem millia in potestatem hostium uiui peruenere, uix tria millia fugerunt. Reliqui numero ad septuaginta millia in praelio cecidere. Nec sane incruenta Carthaginensium uictoria fuit. Ex his Galli circiter quatuor millia desiderati, Afri atque Hispani fere mille & quingenti, equites ducenti. Qui uiui capti sunt ex Romanis, extra periculum fuere. Varro decem millia in castris dimiserat, hoc consilio, ut, si Annibal omnes suos in praedium educeret, facto impetu, castra hostium diriperet, omnibusque in pugna occupatis impedimenta, atque omnem apparatus Carthaginensium depopularentur. Si uero praedium necessarium in castris dimitteret, tunc longe minores essent Carthaginensium uires. Romanis numero militum multo praestantibus. Capti autem hoc modo fuere. Annibal quantum satis erat praedii, in castris reliquerat. Romani, ubi primum exarsisse praedium intellexere, eo, ubi statuerant, ueniunt, castra obsident. Haud segniter Carthaginenses resistunt. Verum iam acriter prementibus Romanis, cedere cogebantur. Sed interim Annibal omni ex parte uictoria potitus, in oppugnantes castra, impetum facit, Romanos fugat, ad uallum usque persequitur, duo millia eorum interficit, reliquos uiuos capit. Eodem modo Numidae equites Romanos, qui sparsi fuga per agros fuerant, ad Annibalem perduxerunt. Ita tandem finito praelio, neuter expectatione sua fraudatus est. Siquidem Carthaginenses statim omni prouincia sunt potiti, Tarentinis, Campanis, Neapolitanis in deditioem acceptis. Caeteris uero omnibus populis iam ad Annibalem respicientibus. Nec deerat spes ipsa urbe Roma mox potiundi. Romani uero in summam rerum desperationem adducti, non modo de suo, sed de totius patriae interitu dubitabant, iam iam ferocissimum hostem ad ipsa Romana moenia expectantes. Cum ciuitas in hoc tumultu esset, ut omnia ad Romanorum calamitatem quadrarent, nuncius ex Gallia peruenit, L. Posthumium Praetorem, qui exercitui praerat, in insidias lapsum, fuisque, profligatumque fuisse. Senatus tamen tot undique circumuentus malis, dignitatem suam seruare, hortari populum, munire praedii urbem de rebus praesentibus magno ac forti animo consulare. Quod non longe post res ipsae manifestum fecerunt. Nam qui modo uicti a Carthaginensibus fuerant, & rerum bellicarum gloria cessisse illis uidebantur, non multo interiecto tempore uirtute ac constantia Reipublicae,

P iiii

& consilio sapientiaq; Senatus, in id euasere, ut uictis, prostratisq; Carthaginensibus, non modo Italiae, sed totius orbis imperio potirentur. Quam ob rem huic libro simul cum rebus Hispanis atq; Italis, quae centesima & quadragesima Olympiade gesta fuerunt, extremam imponemus manum. Cum uero ad res sub eadem Olympiade in Graecia gestas uentum erit, latius de Romanorum Repub. differemus. Id enim non modo ad cognitionem historiae necessarium, uerum etiam ad emendandas, instituendasq; Respublicas utile studiosis futurum arbitramur.

POLYBII HISTO-

RIARVM LIBER QVARTVS,

Nicolao Perotto Interprete.



Abunde (ut nobis quidem uidetur) secundi belli punici causas secundo libro ostendimus. Tunc Annibalis in Italia aduentum, uariisque Romanorum ac Carthaginensium certamina usque ad Cannensem pugnam sumus executi. Nunc res eadem tempestate in Graecia gestas, adgrediemur, repetitis primo breuiter iis, quae in secundo preparationis nostrae libro a nobis relata fuere, praesertim de Repub. Achaeorum, quae eam non parum momenti rebus nostri temporis attulisse arbitramur. Igitur a Tisamene orsi uno ex Orestis filius, ab hoc usque ad Giger tempora uixisse Achaeos sub eius familiae regibus diximus: postea cum his expulsis gubernationem ciuitas ad populum transfulisset, non multis interiectis annis ducum Lacedaemoniorum opera dissidere inter se coepisse. Post haec narrauimus, ut rursus inter se idem Achaei conuenerint, qui primi eius rei auctores fuerint, quomodo Peloponnesii omnes in Achaeorum cognomen deuenierint. Commemoratae praeterea a nobis sunt particulares eorum res gestae, usque ad Cleomenis Lacedaemoniorum Regis conflictum. Hic preparationem nostram cum Antigoni, Seleuci, & Ptolemaei morte concludimus. Omnes siquidem (ut a nobis dictum est) sub eadem Olympiade diem suum obierunt. Nunc superest, ut reliqua scripturi, hinc maxime primordium faciamus. Optima enim haec in primis nobis materia uidetur: primo, quod ea, quae sunt ab Arato scripta, in haec tempora desinunt, ut quasi continuata Graecarum rerum narratio uideatur: deinde, quae posteriora tempora ita inuicem conexa sunt, ut partim nostra, partim

partim parentum nostrorum etate fuerint. Ex quo fit, ut partem ipsi uiderimus, partem ab iis, qui uiderunt, audiuerimus. Enim uero altius res gestas repetere, & auditum (ut ita dicam) ex auditu referre, consilium non fuit, quod nullam ex iis prouenturam legentibus utilitatem intelligeremus. Quapropter ab iis exordiamur temporibus, quibus fortuna quoque per uniuersum terrarum orbem renouasse omnia uidetur. Philippus igitur, Demetrii filius, adhuc puer, iam Macedoniae imperium susceperat. Achaeus omni prouintiae, quae citra Taurum est, imperans, non modo nomen, sed uires quoque regias habebat. Antiochus, cui Magno cognomen fuit, Seleuco fratri non multo ante tempore defuncto, in regno Syriae, quae adulescens, successerat. Ariarates quoque Cappadotiae regnum in uaserat. Eodem tempore Ptolemus Philopater, Aegypti erat imperium adeptus. Neclonge post Lycurgus rex a Lacedaemoniis appellatus fuerat. Carthaginenses Annibalem ad res, quas supra memorauimus, gerendas Ducem elegerant. Cum in hunc modum omnium renouatum esset imperium, nouum quoque rerum initium futurum uidebatur, quod & natura frequenter accidit, & eo potissimum tempore euenit. Namque Romani, & Carthaginenses id, quod supra memorauimus, bellum, Antiochus, & Ptolemus Syriacum gesserunt. Achaei uero, & Philippus aduersus Aetolos & Lacedaemonios contendere. Cuius belli huiusmodi cause feruntur. Aetoli iandiu pacem, & necessarias rerum suarum impensas aegreferebant, homines semper rapinis, et piratica uiuere assueti. Auaritiam eorum augebat naturalis ambitio, cui seruietes crudeliter semper ac ferinam uitam degunt, nulla omnino amicitiae aut societatis iura habentes, sed omnia hostilia putantes. Hi tamen, quod diu Antigonus uixit, Lacedaemoniorum uires ueriti, quietem egerunt. Mortuo uero Antigono, cum Philippus in regno successisset, aetate pueri contempta, belli occasionem cum Peloponnesiis quaerere coeperunt: tum quod infestando ex ueteri consuetudine mari, & assiduis rapinis assueti erant, tum quod se multo potentiores Achaeis in bello existimabant. Cum in ea cogitatione essent, non longe post fortuna quoque conatui eorum fauente, huiusmodi occasionem nacti sunt. Dorimachus Trichoneus, Nicostrati filius erat. Hic adhuc fere adulescens Aetolice insolentiae ac temeritatis plenus, Phigaleam publice missus fuerat. Ea est urbs in Peloponneso e conspectu Messeniorum montium sita, & tunc forte in societatem cum Aetolis iuncta erat: ostendebatur hunc idcirco a se missum, ut urbi, regionique praesesset, uerum eo factum erat consilio, ut res Peloponnesiacas diligenter exploraret. Hic igitur discurrentibus per ea loca piratis, & ad se Phigaleam ob res necessarias uenientibus, cum ex foedere praebere comitum non posset,

durante adhuc pace, quæ sub Antigono firmata fuerat, tandem piratis persuasit, ut Messeniorum, qui amici & socii Aetolorum erant, pecora diriperent. Illi primo e finibus eorum abigere armenta coeperunt, postea procedente paulatim peruicacia, sparsas quoque per agrum diripere, omnia populari, atque uastare. Messenii id grauer ferentes, legatos ad Dorimachum questum de Piratarum iniuriis mittunt. Ille principio id contemnere, partim suorum utilitati consulens, partim suæ, qui prædæ omnis particeps erat. Postea uero frequentibus sepius legatis ob continuationem iniuriarum, se inquit propediem Messenem uenturum, ut ex postulantibus de Aetolorum iniuriis responderet. Cum igitur eo uenisset, multis, quibus illata iniuriæ fuerant, se aduentibus, alios per derisum reiicere, insultare aliis, nonnullos iurgiis, comitiisque terrere. Dum hæc Messenæ gerent, pirata in suburbanum, quod Chironis nominant, noctu uenere, & ad motis scalis loco potiti uastant, populanturque omnia. Homines partim propugnantes trucidant, reliquos nexos cum armentis abducunt. Messenii rursus ea re maxime ob Dorimachi presentiam grauius indignati, ac tum demum derideri se putantes, eum accersiri ante Magistratus iubent. Scyron tum forte urbi præerat, uir omni genere laudis apud Messenios clarus, Hic haud dimittendum urbe Dorimachum consulit, nisi prius prædæ omnem a piratis obactam Messeniis restituat, domorum, agrisque uastationem instauret, pro iis, qui interfecti fuerant, nocentes tradat. Id consilium cum omnes approbassent, profusus itaque in iram Dorimachus, stultos inquit eos esse, si talia facientes, Dorimacho se, & non Aetolis inferre iniuriam credant, se quidem per summum scelus uexari, at illos non longe post dignas poenas duros. Erat tamen Messenæ extremæ sortis homo, Babyrthas nomine, adeo Dorimacho uultu, corpore lineamentis, uoce denique similis, ut si quis ei capitis ornatum, chlamydemque illius addidisset, haud facile fuisset uter eorum foret, discernere. Idque haud Dorimachum latebat. Cum igitur superbe nimium atque insolenter in Messenios inueheretur, iratus Scyron, putasne, inquit, nobis te, seu temeritatem tuam curge esse Babyrthe? Quæ cum dixisset, Dorimachus ipsi cedendum ratus, prædam omnem Messeniis restituit. Hinc Aetoliam profectus adeo grauer, ac moleste Scyronis uerba tulit, ut non alia expectata occasione, ob id duntaxat bellum Messeniis excitarit. Per id tempus Dux Aetolorum erat Ariston. Hic tum forte ob imbecillitatem corporis, quam ex longa ualitudine contraxerat, haud satis rebus gerendis aptus, cum Scopæ, & Dorimacho affinitate iunctus esset, huic summam imperii tradidit. Dorimachus publice in bellum aduersus Messenios prouocare Aetolos non audebat, quod nullam eius rei satis dignam causam posset afferre. Quippe indignatione tantummodo

illata

illata sibi contumeliæ mouebatur. Quam ob rem dimissa hæc cogitatione, priuatim Scopam adgreditur. Suadet, ut sibi contra Messenios adesse uelit. Se in presentia a Macedonibus ostendit tutos esse, ob puritiam regis, cum uix decimum septimum ætatis annum Philippus ageret. Præterea Lacedæmonios a Messeniis alienos esse. In amicitia præstare se cum Græcis. Propter quod neminem sibi transitum Messenem impediturum. Post hæc quanta securura sit utilitas, ante oculos ponit. Quippe regionem omnem securam degere, solamque omnium tempore Cleomenici belli integram permansisse. Aetolos uero id tandem gratissimum habituros, seque bene uolentia, & honore prosecuturos. Achæos autem, si profectioem suam impederint, sponte occasionem bello duros. Si permiserint, libere se Messenem usque transituros. Atqui Messenios belli causam tam diu præstitisse, cum societatem inire cum Achæis, & Macedonibus polliciti fuissent. Hæc, & alia in hanc sententiam plura locutus, tantum Scopæ, amicisque eius ardorem iniecit, ut neque Aetolorum contione aduocata, neque expectato Magistratum iussu, nec iure aliquo seruato, ipsi per se Messeniis, Epirotis, Achæis, Acarnanibus, Macedonibus bellum intulerint. Statim igitur Piratas emisere. Hi mox regie nauis ex Macedonia obuii facti, onustam Aetoliam perduxerunt, nauas, uectoresque, & nauem denique ipsam uendidere. Hinc per Maritimam Epiri oram discurrere, obuium quæque prædari, Cephaleniorum nauibus ad iniuriam uti, oppida per insidias capere. Quippe in Acarnania Oreum coeperunt. Postea quibusdam occulte in Peloponnesum missis, in media Megalopolitanorum regione, castello, quod Clarium uocant, potiti fuere. Quo postea receptaculo uli, latissime piraticam exercebant. Ea tempestate Timoxenes Achæorum dux Taurionem oppidum, quod tempore Peloponnesiaci belli Antigonus occupauerat, intra paucos dies expugnauit. Siquidem Antigonus Rex Corinthum uoluntate Achæorum tenebat, sicuti supra, cum de Cleomenico bello tractarem, ostendimus. Orchomenum uero uicini non reddiderat Achæis, sed ditioni suæ subegerat, cupiens (ut mihi quidem uidetur) non solum aditum in Peloponnesum habere, uerum etiam mediterraneam oram, dispositis Orchomeni præsidiis custodire. Dorimachus & Scopas obseruato tempore, quo pauci dies Magistratum Timoxeni supererat, & Aratus sequentis anni dux nondum inire Magistratum debebat, congregatis iuxta Rhium montem Aetolis, ac paratis Cephaleniorum nauibus in Peloponnesum transfretarunt, factoque per Patrensiem & Pharensem, & Tritensium oram itinere, aduersus Messenios grassabantur. Edictum erat, ne qua inter eundem Achæis iniuria inferretur, Sed quis multitudini statuatur modum? Vastant, diripiuntque omnia,

tandem Phigaleam perueniunt. Hinc facta in Messenios impetu, nulla ratione ueteris amicitiae, habita, neglectoque diuino & humano iure populabundi per agrum discurrunt, omnia ferro, ignique uastantes, Messeniis, quae impares uiribus essent, sese intra moenia continentibus. Achaei instante iam concilii tempore, Egium conuenere. Hic congregatis omnibus, cum hinc Patrensiū & Pharensium legati de iniuriis Aetolorum quaererentur, illinc Messenii praesidium miserabiliter peterent. Achai partim indignatione illatae sociis iniuriae, partim commiseratione Messeniorum permoti, tum grauius ferentes, quae se in sociis Aetoli exercitum per Achaiam traduxissent, ferre Messeniis praesidium statuerunt. Timoxenes Achaeorum dux (nondum enim Magistratu excesserat) quae Peloponnesii post Cleomenicum bellum pacatis tranquillisque rebus dedisse se ocio, & neglecta militari disciplina, desidiosos factos esse intelligebat, moliri quicquam nulla spe, nisi multitudinis fretus uerebatur. Contra uero Aratus suorum iniurias grauius & iniquo animo ferens, inflammatus praeterea audacia Aetolorum, nec antiquae similitudinis immemor, quae primum armare Achaeos, & cum Aetolis congregari festinabat. Quam ob rem ante diem quintum, quam iniure Magistratum debebat, accepto a Timoxene publico signo literas ciuitatibus scripsit, quibus cogi in arma iuentutem, & Megalopolim conuenire iussit. De cuius ingenio antequam reliqua exequar, pauca mihi dicenda existimaui. Aratus igitur in rebus ciuilibus uir usquequaque perfectus fuit. Nam & facunde eloqui, & prudenter cogitare, & diligenter exequi omnia poterat, in tolerandis ciuilibus discordiis initis, in amicitias societatumque iungendis nemini secundus. Iam uero fallere hostem, moliri insidias, machinas intedere, postremo haec omnia perducere ad finem, idoneus erat, uir cum singulari audacia fretus, tum tolerandis laboribus atque periculis a pueritia assuetus. Cuius rei cum multa sunt testimonia, tum ea in primis, quod Sicyonem, & Mantineam Achaeis tradidit, Pellensem fugatis Aetolis cepit, Corinthi arce, quam Acrocorinthum uocant, potitus est. Hic ipse, si quando acie dimicare cogebatur, in consiliis segnis, in subeundis periculis timidus erat. Quam ob rem triumphus de se omnem Peloponnesum expleuit. Usque adeo natura hominum non solum corpora, uerum etiam animos sui dissimiles finxit, ut sepe numero unus idemque homo non modo in rebus diuersis, hic quidem fortiter, illic segniter se gerat, sed in similibus quoque rebus modo inauditam celeritatem, alias incredibilem ignauiam ostendat, & aliquando quidem fortissimus, nonnunquam uero timidissimus uideatur. Quippe multos in uenationibus cernimus aduersus se uilissimas feras audacissimos esse, quos si ad arma, hostesque transfuleris,

ignauis

ignauis, socordesque apparebunt. In rebus uero bellicis, plerique singulari certamine acerrimi sunt. qui in acie nullius pretii forent. Thessalicos equites, conferto prelio, insuperabiles esse constat. Eisdem, si per partes attentaueris, lacerare, carpereque facillimum erit. De Aetolis contrarium euenit. At Cretenses terrestribus, ac naualibus preliis ad insidias, furta, rapinas, nocturnos insultus, & omnia doli genera promptissimi sunt. In prelio uero dispositis cohortibus segnes, timidi, ac prorsus inutiles. His Achaei atque Macedones plane contrarii. Haec idcirco breuiter memorauimus, ne quis forte miretur, ac propterea historiae detrahat fidem, si quando eosdem uiros in rebus similibus dissimiles fuisse ostendimus. Nunc eo unde discessimus, reuertamur. Congregatis Megalopoli omnibus, quibus apta ad res bellicas aetas erat, Messenii rursus ad Achaeos uenere, rogantes, ne se contemnerent, ita palam ab Aetolis iniuria affectos, uelle se, si cum bona uoluntate eorum fiat, inter socios eorum adscribi. Nihil in posterum, quod ad communem societatem pertineat, recusaturos. Achaeorum principes, quatenus ad societatem attinet, nihil a se fieri posse respondent. Neque enim sibi licere inconsulto Philippo, ac sociis quem in societatem admittere, durante adhuc foedere, quod tempore Cleomenici belli Duce Antigono inter Achaeos, Epirotas, Phocenses, Macedonas, Boeotios, Arcadas, Thessalorumque initum fuerat. Verum libenter illis praesidio futuros, si ipsi liberos suos obsides Lacedaemoniis tradant, sponte antequam, nunquam se cum Aetolis, nisi consentientibus Achaeis foedus, aut pacem facturos. Lacedaemonii quoque per id tempus cum exercitu iuxta Megalopolim conuenerant, non tam sub specie sociorum, quam ut euentum rei expectarent. Aratus rebus cum Messeniis ita compositis, Legatos ad Aetolos mittit, qui eos iubeant ex agro Messeniorum copias reducere, neque deinceps illos infestare, neque Achaeorum agrum attingere. Si secus fecerint, se eos pro hostibus habiturum. Scopas, & Dorimachus, auditis Legatorum mandatis, & Achaeorum apparatu cognito, parendum in praesentia Arato, statuerunt. Quam ob rem missis statim Cyllenem, & ad Aristonem Aetolorum Ducem literis nauigia exposcunt. Ipsi bi duo post praemissa praeda discessere, itinere uersus Elienses facto. Quippe ea gens semper in fide Aetolorum permanerat. Aratus temere illos uti statuerant, discessuros ratus, copiis uero omnibus dimissis, in suam cuiusque domum abeundi potestatem fecit. Ipse duntaxat cum tribus milibus peditum, & trecentis equitibus, hoc est iis, qui sub Taurione erant, Patras contendit, quo se abeuntibus Aetolis opponeret. Dorimachus ea re cognita, ueritus, ne sibi profectio impediretur, praedam quidem addito sufficienti praesidio, ad naues mittit, iussis, quos ad eam uehendam

destinauerat, ut sibi ad Rhium, unde soluere statuerat, occurrerent. Ipse prædam parumper comitatus, non longe post conuerso itinere Olympiam uenit. Hic, cum per exploratores cognouisset, Taurionem cum iis, quas supra diximus, copiis iuxta Clitorium esse, ueritus, ne propterea ex Rhio sine certamine, aut periculo soluere posset, optimum factum existimauit, si omni amputata mora cum Arato decerneret, quod Aratus & paucis admodum copiis stipatus, & futuræ rei ignarus erat. Cogitabat enim se, si hostes sudisset, antequam rursus Achæi congregarentur, uastata undique prouincia tutum, qua decreuerat, discessum facere posse. Si uero Achæi per formidinem pugna abstinerent, libere se, qua uellet, sine ullo discrimine transitum habiturum. His rationibus permotus, castra non longe a Megalopoli iuxta Methydrium posuit. Achæi cognito Aetolorum aduentu, adeo imprudenter presentibus rebus usi sunt, ut nihil ad cumulum stultitiæ reliquerint. Primo enim Clitorio profecti iuxta Caphias castrametati sunt. Postea, Aetolis a Methydrio per Orchomenum transeuntibus, in Caphiensium agrum copias deduxere, præterfluenti amne ueluti quodam munimento clausi. Aetoli, tum propter loci iniquitatem (si quidem ante id flumen multæ & profundissimæ fossæ erant) tum, ne forte inter hæc Achæorum copiarum cogentur, relicto pugnandi proposito, Olygyrtum uersus eo, quo constiterant, ordine procedunt, callide omnia obseruantes, ne quo inter eundem periculo afficerentur. Aratus, cum Aetolorum pedestres copiarum fere ad iugum montis peruenissent, nec longe post equitatus omnis per campos insequeretur: equites, ac leuioris armaturæ milites Duce Acarnane in hostes emit tit, iussos, ut cum equitibus congregarentur, & fortunam belli tentaret. Quod sane imprudenter factum est. Nam si capeendum prælium fuit, non cum posterioribus congregari oportebat, cum iam a montibus non longe abessent, sed cum primis, antequam ad summa conscenderent. Sic enim futurum fuerat omne in campis certamen. Quæ res & Aetolis ob genus armaturæ atque adeo omnem ordinem pugnandi, sine dubio cladem, & Achæis uictoriam peperisset. Sed Aratus oblatam sibi & loci & temporis opportunitatem in hostes per imprudentiam transtulit. Si quidem Aetoli, simul ac uenientes Achæos perspexere, omni, qua possunt, celeritate ad montem contendunt, festinantes se cum pedibus suis coniungere. Aratus nec satis quid actum foret conspicatus, nec consilium hostium intelligens, cum primum currentes uersus montem equites animaduertit, fugere eos ratus, ferentarios ab utroque cornu dimittit. Hos expeditis atque equitibus ferre suppetias iubet. Ipse cum reliquis copiis longo cornu facto eodem anxius festinat. Equites Aetolorum, ubi

ubi ad radices montium uentum est, remissius aliquanto procedere, pediteque ingenti clamore reuocare ceperunt. Quibus repente in subsidium suorum confluentibus, ubi se numero haud inferiores hostibus intellexerunt, in equitatum Achæorum conuersi, cum & multitudine hominum, & loci opportunitate præstarent, impetum in eos faciunt. Maximis utrinque uiribus certatur, uictoria aliquandiu anceps fuit. Tandem uero Achæorum equites repulsi. Quibus fugientibus, cum ferentarii, qui in eorum subsidium missi fuerant, obuiassent, partim nouitate rei perterriti, partim impetu fugientium suorum reiecti, ipsi quoque idem facere sunt coacti. Quibus ex rebus accidit, ut qui in acie uicti sunt, uix quingenti: qui uero fugæ se commiserunt, supra duo millia hominum fuerint. Aetoli quid agendum forent ab ipsa re edocti, cum clamore atque lætitiâ Achæos insequuntur. Illi eodem in loco, atque eo, quo dimiserant ordine, consistere suos rati, ad Aratum confugiunt, quare fuga eorum & honesta principio, & salutaris uidebatur. Vbi uero illos etiam loco motos longo, ac perturbato ordine uenire conspexerunt, alii per diuersa itinera fugientes salutem quaerere, alii cursu in suos facto, ipsi se inuicem, non expectatis hostibus, profligarunt. Itaque tandem omnes in fugam uersi, in propinquas se urbes receperunt, siquidem Orchomenus, & Caphiæ non longe aberant. Quod nisi accidisset, omnes eo die aut capti, aut trucidati ab hostibus fuissent. Hæc igitur clades Achæorum prope Caphias fuit. Megalopolitani, cum eis nunciatum esset, Aetolos iuxta Methydrium castrametatos esse, omnes una uoce congregati postredie eius diei, quo gestum id bellum fuerat, in subsidium Achæorum contendere. Et cum quibus uiuentibus pugnatos se aduersus hostes sperabant, eosdem sepelire ab hostibus interfectos sunt coacti. Parata igitur ingenti ac profunda fossa, ac mortuorum corporibus congregatis, iuxta eis more patrio persoluerunt. Aetoli præter spem uictoria potiti, libere iam per mediam Peloponnesum iter facere. Quo tempore tentata Pellenesium fide, & agro Sicyoniorum deuastato, tandem per Isthmi angustias abierunt. Causæ igitur socialis belli hæc, quas supra diximus, fuere. Initium uero ex decreto ortum, quod postea inter locos factum fuit: & Corinthi, quo omnes ob eam causam conuenerant, Philippo quoque Macedonum duce approbante confirmatum. Achæi paucis interiectis diebus, in concilio congregati publice, & priuatim Aratum detestabantur, ut qui tantæ cladis, ac iacturæ author fuisset. Quæ propter augmentibus factum diuersæ in Repub. factionis hominibus, longe magis multitudo omnis incendebatur. In hoc enim primo uidebatur ab eo grauiter peccatum, quod magistratu ante tempus suscepto,

sublatiſq; alterius partibus, res erat adgreſſus, quas antea quoq; ſapenu-
 mero inſeliciter geſſerat. Deinde etiam grauius, q̄ commorantibus ad
 huc in medio Peloponneſo Aetolorum ducibus, Achæorum exercitū
 dimiſerat. Tertio, q̄ ita paucis ſtipatus copiis prælium ſuſceperat, præ-
 fertim nulla urgente neceſſitate, cū tuto ſe in proximas ciuitates recipere
 potuiſſet, quouſq; denuo Achæi cōgregarent: & tunc, ſi id omnino cō-
 modū foret, præliū inire. Poſtremo q̄ ita imprudēter rebus bellicis uſus
 erat, ut omiſſa per ignauā camporū opportunitate, ubi ſui ſine dubio
 præualuiſſent, hoſtes in mōtib; per leuioris armaturę milites eſſet ad-
 greſſus, q̄ nihil accidere Aetolis utiliſ, aut opportuniſ poterat. Verū
 tamē ſimul atq; Aratus rediit, & conciliū ingreſſus commemorare cœ-
 pit res ante eū diē a ſe pro ſalute Reipub. geſtas, ac proximę cladiſ ratio-
 nes attulit, ſec̄ nō fuiſſe eius cauſam ut falſo inimici calumniarent expo-
 ſuit: poſtremo etiam ueniam petiit, & ſi quid a ſe erratum eſſet, debere
 Achæos oſtendit, non tam acriter & ſeuere, q̄ pie atq; humaniter euen-
 tum rei conſiderare: tanta repente mutatio animorum facta eſt, ut plebs
 quæ modo ita inſenſa Arato uidebatur, mox omne odium in diuerſæ
 factionis homines tranſtulerit, ac iam decætero quibuſcunq; in rebus
 Arati conſilium, atq; ſententiā ſecuta ſit. Hęc igitur centeſima & trige-
 ſima nona Olympiade geſta ſunt. Quæ uero ſequuntur, centeſima &
 quadrageſima. Decretum igitur erat ab Achæis, ut Legati ad Epiro-
 tas, Bœotios, Phocenſes, Acarnanes, & Philippum Macedonię regem
 mitterentur, qui oſtenderēt, quomodo bis iam Aetoli contra leges ſcœ-
 deris Achaiam ingreſſi forent, peterentq; ab eis ex ſcœdere præſidium,
 præterea ut Meſſenios in ſocietatem aſciſcerent, ut dux Achæorum pe-
 ditum quinq; millia & quingentos equites pararet, & Meſſeniis, ſi ite-
 rum ab Aetolis inſeſtarentur, ſubſidium ferret. Præterea cum Lacedæ-
 moniis, Meſſeniisq; componeret, quibus copiis pedestribus atq; eque-
 ſtribus ad communes uſus deberent eſſe inſtructi. Quę poſtquā decre-
 ta ſunt, Achæi memoratam cladem magno ac forti animo ferentes, neq;
 Meſſeniorum rem, neq; proſiſtitum ſuum deſtituere. Legati man-
 data diligenter proſequi, dux iuuentutem, uti iuſſum fuerat, cogere,
 cum Lacedæmoniis, Meſſeniisq; componere, ut peditum utriq; duo
 millia & quingentos, ducentos & quinquaginta equites pararent, quo
 multitudo omnis ad bellum inſtructa ad duo millia peditum forent,
 equites mille. Aetoli, cum iam concilii tempus adueniſſet, congrega-
 ta multitudine, pacem agere cum Lacedæmoniis, ac Meſſeniis, ceteriſq;
 propinquis populis ſtatuere: partim anguſtia rerum coacti, partim,
 ut ſocios atq; amicos Achæorum debilitarent. Cum Achæis
 uero

uero ita rem componere decreuerūt, ſi Meſſeniorum ſocietate deſiſte-
 rent. Sin uero in proſiſtito permanerent, bello aggrediendos iudica-
 uere. Quo quid dici irrationabilius poteſt? nam cum Achæi cum Meſ-
 ſeniis ſocietate iuncti eſſent, ſiquidem in ea perſiſterent, bellum Achæ-
 is indicebant: ſi uero Meſſeniorum hoſtes fierent, pacem eis pollice-
 bantur. Quamobrem aduerſantibus ſibi inuicem rebus, locum ha-
 bere petitiones eorum nequiuerunt. Epirotæ, & Philippus rex auditis,
 quæ relata per Legatos fuerant, Meſſenios in ſocietatem acceperunt.
 De iniuriis uero Aetolorum, eſſi non nihil ſunt indignati, nullam ta-
 men ſuſcipere admirationem uiſi, quod illi huiuſmodi rebus aſſueti
 nihil noui moliri uidebantur. Itaq; non inuiti cum eis in pace perſeue-
 rabant. Itā interdum inueteratæ ac cognitæ iniurię potius, quam no-
 uæ & inſolitæ ueniam conſequuntur. Aetoli igitur hiſ modis uſi, de-
 uasta frequentibus incurſionibus Græcia, & illatis ſapenumero pri-
 us, quam indictis bellis, ne reſpondere quidem de iniuriis quærenti-
 bus dignabantur, ſæpe etiam petentes a ſe geſtarum, ſiue gerendarum
 rerum rationem aſpernabantur, atq; irridebant. Lacedæmonii, eſſi
 nuper opera Achæorum ab Antigono in libertatem fuerant reſtituti,
 Philippoq; & Macedonibus promiſerant, nihil ſe aduerſum eos mo-
 lituros, miſſis tamen clam ad Aetolos legatis, ſecretam cum iis amicitia-
 am ac ſocietatem firmauerunt. Congregato interea Achæorum exer-
 citu, Lacedæmoniisq; ac Meſſeniis, uti ſtatutum fuerat, ad ſubſidium
 paratis, Scerdilaidas, & Demetrius cum nonaginta lembis ex Illyrio
 nauigantes, præter ſcœdus cum Romanis percuſſum, Liſſum tranſgreſſi
 ſunt. Qui primo tentata Pylo, cū aliquandiu urbem oppugnuiſſent,
 tandem non ſine dedecore ſunt repulſi. Poſt hæc Demetrius cum
 quinquaginta lembis curſu in Cyclades factō, inſulas populatur, non
 nullas per proditionem capit. Scerdilaidas uero cum reliquis quinquaginta
 lembis Naupactum contendit, fretus amicitia Amyntę Athama-
 norum regis, cui aſſinitate coniunctus erat. Hic Agelao medio ten-
 tatum cum Aetolis ſcœdus, ut æque diuiſa præda, una cum eis in Achaiam
 proficiſceretur. Quod poſtquam inter Scerdilaidam, & Agelaum,
 Dorimachum, ac Scopam conuenit, congregatis undiq; Aetolis una
 cum Illyriis in Achaiam irruerunt. Ariſton Aetolorum dux, perin-
 de ac ſi earum rerum ignarus eſſet, domi in quiete perſeuebat, pacem
 ſibi non bellum cum Achæis aſſerens eſſe imprudenter ſane, ac plane
 pueriliter: quid enim ſtultius, q̄ res claras, atq; euidentes putare
 uerbis diutius poſſe cęlari? Poſt hæc Dorimachus cum ſuis incredibili
 celeritate Cynetham uenit. Cynethenſes, ut qui longo iam tempore

Arcades fuerant, maximis continue odiis, ac seditionibus uexabantur, uariae apud eos caedes, exilia, rapine, dilapidationes fiebant. Accidit tandem, ut qui Achæorum partes sequebantur, principatum in urbe obtinerent. Quare & custodes murorum, & Ducem ciuitatis ex Achaia habebant. Quæ cum ita essent, non multis annis ante Aetolorum aduentum, cum exules ad eos, qui in urbe erant, transmisissent, & de receptione in gratiam, atque concordia precati essent, præsidēs ciuitatis eorum uerbis persuasi Legatos ad Achæos misere, eam concordiam cum consilio atque sententiā eorum perficere uolentes. Quibus id mox consentientibus Achæis, quæ utriusque fidem ac beneuolentiam constantem erga se futuram arbitrabantur, cum & hi, qui intra urbem erant, omnes spes suas in Achæis haberent, & illi beneficio Achæorum se conseruatos existimaturi forent, Cynethenses, & præsidium, & Ducem Achæorum ex urbe emisere. Exules uero numero circiter trecentos intra urbem asciuerunt, recepta ab iis fide, & quibus religiosius astringi mortales possunt, adhibitis sacramentis. Verum illi, nulla causa, siue occasione moliendi res nouas expectata, simul atque intra urbem admissi, consilium prodendæ ciuitatis ulciscendique conseruatores suos inierunt, ut mihi uideantur inter uictimarum caedes, cum fidem ac iusiurandum inuicem præstabant, tunc maxime de impietate in Deos, & crudelitate in conseruatores capitis sui cogitasse, uix enim intra moenia recepti Aetolos, quibus urbem proderent, aduocauere. Res hunc in modum perfecta fuit. Nonnulli ex iis, qui ab exilio fuerant reuersi, Polemarchi sunt creati. Qui magistratus claudendarum portarum urbis curam habebat, & clauēs noctu detinebat, & interdum ad custodiam portarum commorabatur. Aetoli paratis scalis, cæterisque rebus necessariis, tempus perficiendæ rei præstolabantur. Polemarchi interfectis diuersæ factionis collegis portam ciuitatis reclusere. Quo facto, repente Aetoli alii per portam ingredi, alii admotis scalis moenia conscenderent. Tum turbata nouitate rei uniuersa ciuitas passim ruere omnia terrore, tumultuque compleri, cum neque portæ succurrere possunt, hostibus certatim e muris prosilientibus, neque moenibus subuenire, eisdem per portam cateruatim ingredientibus. Quam ob rem Aetoli euestigio urbe potiti, ex omnibus rebus a se per iniuriam perpetratis, hoc unum iustissime fecerunt, quod interfectis statim urbis proditoribus, omnes eorum fortunas diripere. Idem tamen postea in cæteros quoque patratum, si quidem substantiā omnis ablata: homines, ut, si quid celatum esset, confiterentur, grauissimis affecti tormentis, multi etiam interfecti. Per hunc modum, capta urbe, paucos post dies relicto in ea sufficienti

præsidio

præsidio, cum exercitu uersus Lufas discesserunt. Vbi, cum templo Dianæ appropinquassent, quod est inter Clitorium & Cynetham, ac ueluti asylum a Græcis habetur, populari greges atque armenta Deæ, ac omnes diuitias Fani expilare uoluerunt. Sed Lufiatque ad reprimendam gentis impietatem, partem earum rerum sponte illis obtulere. Qua accepta Aetoli subito profecti, non longe a Clitorio castrametati sunt. Per idem tempus Aratus Dux Achæorum legatos, ad Philippum miserat, qui auxilia accersirent, delectos undique aduocarat, a Lacedæmoniis atque Messeniis eos, qui ex foedere debebantur, petierat. Aetoli primo hortari Clitorientes ceperunt, ut dimissis Achæis secum inirent societatem. Quos deinde abnuentis uariis certaminibus infestabant, & admotis scalis transcendere urbis moenia nitentur. Verum ciuibus magno ac forti animo propugnantibus, spe capiendæ ciuitatis ad extremum destituti, ob fidem dissoluere, ac rursus Cynetham reuersi, direptis Deæ gregibus atque armentis tradere urbem Eliensibus uoluere. Quibus donum respicientibus, ipsi per se custodire decreuerunt, Euripede Duce in ea constituto. Post hæc fama aduenientis e Macedonia præsidii, & apparatus Achæorum perterriti, urbem incenderunt, & uersus Rhium denuo profecti, illac facere transitum statuere. Taurion, intellecto Aetolorum progressu, & Cynethæ excidio cognito, cum nunciatum esset, Demetrium Pharium a Cycladibus Cenchreas aduenisse, hortatus est eum ad ferendam Achæis opem, & Aetolorum transitum transportatis per Isthmum Lembis impediendum. Demetrius utili quidem, sed minime honesta ab insulis profectio facta, quod Rhodii aduersus eum cum clas senauigarant, libenter Taurioni paruit, præsertim sumptus ad transportationem Lemborum necessarios suppeditati. Quam ob rem transeuctis per Isthmum Lembis, cum Aetolos biduo ante transisse intellexisset, maritima quædam eorum loca populatus, rursus Corinthum nauigauit. Lacedæmonii, rebus, sicuti supra diximus, cum Aetolis clam compositis, auxilia, uti ex foedere conuenerat, mittere differebant, paucis quibusdam equitibus, peditibusque dissimulandi gratia missis. Aratus ut ciuium potius, quam Ducum officium exercerent, suos ad monebat, tam diuque in quiete permansit, acceptæ cladis memor, quoad Scopas & Dorimachus deuastata passim prouintia, rebusque omnibus ex sententiā peractis, domum sunt regressi. Quanquam haud difficile fuisset per aspera interdum atque angusta proficiscentes loca opprimere. Cynethenses, & si ingentem passi sunt rerum omnium iacturam, & fere ultimis affecti suppliciis, tamen merito luisse pœnas ab omnibus, quibus res cognita erat, iudicati. Quoniam uero Arcadum

Q iiii

gens quandam apud omnes uirtutis famam habet, non solum propter facilitatem morum, & benignitatem nature, summamq; erga omnes hospitalitatem, uerum etiam ob pietatem atq; obseruantiam in Deos, opere precium existimauimus aliquid de feritate Cynethensium breuiter referre, & quo pacto, eum confessione omnium Arcades forent, tantum a reliquis Græcis ea tempestate scelere ac crudelitate differrent, exponere. Mihi profecto uidetur, ideo hoc eis accidisse, quia id, quod a maioribus suis sapientissime fuerat inuentum, & primi, & soli omnium Arcadum reliquerunt. Musicam enim (de uera nunc Musica loquor) uni uersis hominibus utilem esse constat, Arcadibus uero etiam necessariam. Neq; uerum est, quod Ephorus in Prooemio historiarum scribit, Musicam ad fallendos, ac deludendos homines inuentam esse. Neq; existimandum ueteres Cretenses ac Lacedæmonios superuacuo Tibiam ac Rhythmos pro Tuba in bellum introduxisse, neq; antiquissimos Arcadas tanto in honore Musicam in eorum rebus publicis habuisse, ut in ea non solum pueros, uerum etiam adolescentes & iuuenes usq; ad trigessimum annum exerceri uellent, homines alioquin uitæ difficilis atq; austeræ. Haud enim est obscurum, apud solos fere Arcadas pueros ab inuente ætate in cantibus hymnorum, pæanum assuefieri. Quibus singuli iuxta patriæ morem Genia, & heroas, & Deos laudare consueverunt. Post hæc Philoxeni, & Timothei disciplinis instructi cū cantibus & choreis annuos ludos Libero patri faciunt, pueri quidam, quos pueros uocant: iuuenes, quos uiriles. Omnis deniq; eorum uita in huiusmodi cantionibus uersatur, non tam quod audiendis modulis delectentur, q̄ ut se inuicem cantando exercent. Ad hæc, si quis aliquid in cæteris artibus ignoret, nulla apud eos ignominia habetur. Musicam uero neq; ignorare quisquam eorum potest, quia necessario discitur: neq; fateri nescire, quia hoc apud eos turpissimum putatur. Postremo spectacula a ludos in theatris cum cantibus et choreis singulis quibusq; annis adolescentibus præbent. Quæ res mihi quidem uidentur ab eorum maioribus sapientissime fuisse institutæ, non deliciarum, aut lasciuie gratia, sed cum animaduertent assiduos eius gentis labores in colendis agris, & duritiam, atq; asperitatem uitæ, præterea etiam morum austeritatem, quæ ex frigiditate ac tristitia aeris prouenit, cui nos similes gigni necessario oportet, (non enim obscurum est, plagas cæli esse, quæ gentes moribus, & forma, & colore, & plarimq; disciplinis inter se dissimiles faciunt) uolentes mitem atq; tractabilem reddere naturam, quæ per se ferocior ac durior uidebatur, primo ea omnia, quæ supra memorauimus, introduxerunt: deinde conuentus cōmunes,

& sacri

& sacrificia plurima, in quibus uiri ac mulieres congregarētur, postremo uirginum ac puerorum choros. Quæ omnia ad eum finem fecere, ut id, quod in animis hominum natura durius erat, consuetudine placaretur, ac mitius fieret. Verum Cynethenses, cum interiecto tempore hæc spernere cœpissent, quæ eis præter cæteros necessaria erant, utpote, in frigidiori Arcadiæ parte cōmorantibus, ad cupiditatem ambitionemq; conuersi in tantam breui tempore feritatem deuenere, ut in nulla Græciæ ciuitate maiora scelera, aut frequentiores crudelitates committerentur. Est autem apertissimum testimonium peruersitatis eorum, q̄ cæteri omnes Arcadiæ populi mores, uitamq; eorum detestabantur. Nam quo tempore Cynethenses post ingentem illam seditionem Legatos Spartam misere, in quancunq; ciuitatem Arcadię eundo sunt ingressi, ex ea mox per ignominiam fuerunt expulsi, & reditus ad eam interdictus. Mantinienes etiam post eorum discessum expiationibus, ac sacrificiis ciuitatem & circumstantia quæcunq; loca purgauerunt. Hæc autem propterea a nobis commemorata sunt, ut ciuitates Arcadiæ admoneremus, ne a communi patriæ iustituto discederent, tum ne quis lasciuie gratia usque adeo indulgisse musicæ eam gentem arbitraretur, & propterea consuetudinem eorū irrideret: postremo & Cynethensium causa, ut, si quando Dii permiserint, ad disciplinam conuersi mores induant meliores, & musicam amplectantur, qua relicta, in eam rabiem ac feritatem deuenere. Nunc quoniam satis superq; de Cynethensium moribus, atq; interitu diximus, rursus ad id unde discessimus, reuertamur. Aetoli igitur peragrata, ut supra diximus, Peloponneso, atq; omni regione ferro igniq; uastata, domum fuerant regressi. Philippus autem Macedoniae Rex cum exercitu in subsidium Achæorum Corinthum uenerat. Verum, cum se peracta re uenisse intellexisset, missis ad socios tabellariis, unumquenq; hortatus est, ut ad se Corinthum mitteret, qui de cōmunibus rebus consulerent, quæ uiderentur. Ipse Tegeam uersus mouit exercitum, q̄ Lacedæmonios intellexerat maximis inter se seditionibus uexari. Lacedæmonii enim, cum lōgo tempore sub regibus esse cōsueuissent, tūc recuperata Duce Antigono libertate, neminē, cui omnes parerent, habentes, dum æquā in Repub. partem obtinere singuli cupiunt, in uarias dissensiones deuenere. Duo e præsidibus urbis consilium suum ita occultabant, ut a nemine posset intelligi. Reliqui tres aperte cum Aetolis sentiebant, existimantes Philippum nihil adhuc per ætatem in Peloponneso posse innouare. Postquā autem præter spem atq; expectationē suam nunciatū est de fuga Aetolorum e Peloponneso & Philippi Regis e Macedonia aduentu, tres urbis præsides, cum non

fatis fiderent alteri e duobus, cui Adimanto nomen erat, quod consiliorum omnium conscius haud equo animo facta eorum ferre uidebatur, ueritatem aduenienti Philippo omnia proderentur, consilium suum quibusdam iuuenibus aperuerunt, deinde per praconem conuocari armatam multitudinem in Iunonis templum iussere, tanquam Macedonibus aduersus Spartanos uenientibus. Quibus euestigio ob nouitatem rei congregatis, Adimantus id grauer ferens, in publicum processit. Atqui antea, inquit, haec praconia, & has armatorum hominum congregationes fieri oportebat, cum Aetolos hostes Lacedaemoniorum audiebamus montibus nostris appropinquare, non nunc, cum Macedonas benefactores & conseruatores nostros cum rege suo uenire intelligimus. Quae adhuc illo uociferante, irruens cum impetu iuuentus diuersis uulneribus eum confodit, & una Sthenelaum, Alcamenem, Thyestem, Bionidem, aliosque complures, Polyphontes autem cum suis, iam diu praegulis futuris, ad Philippum fugit. Quae cum ita essent, praesides Lacedaemoniorum legatos ad Regem miserunt, qui culpam patrati facinoris in peremptos reicerent. Praeterea Regem hortarentur, ne ultra progredi uellet, antequam res in urbe componerentur, Lacedaemonios fidem atque amicitiam cum Macedonibus inuiolatam seruare ostenderent. Legati cum Philippo obuiaissent, iuxta Parthenium montem mandata peregere. Quae cum audisset Philippus, eos hortatus est, ut quam celerrime domum reuerterentur, nunciarentque praesidibus, se mox Tegeam exercitum reducturum, debere ipsos ad se quam primum uiros primarios Corinthum mittere, qui de presentibus rebus consulerent. Per hunc modum reuersis Oratoribus, & responso Philippi nunciato, praesides decem e praecipuis ciuitatis ad Regem miserunt. Qui Tegeam profecti, cum concilium regis ingressi forent, in Adimantum ac sequaces eius grauius sunt uerbis inuecti, tanquam eius seditionis causa extitisset. Deinde nihil praetermisere, quod ad conciliandam sibi Regis beneuolentiam pertinere arbitrantur, omnia se facturos polliciti, quibus manifestum fieret se in societate atque amicitia cum Rege permanere. His atque aliis huiusmodi expositis, Lacedaemonii ex concilio abierunt. Macedonum uariae de his rebus sententiae fuere. Alii enim cognitis, quae Spartani clam cum Aetolis moliebantur, & Adimantum ob amicitiam Macedonum interfectum existimantes, consulere Regi coeperunt, ut de Lacedaemoniis exemplum caeteris praerberet, quemadmodum Alexander non magno antea tempore de Thebanis fecerat. Alii seniores eam ultionem grauiorem esse dicebant, quam facta eorum mererentur, admonendos esse duntaxat eiusmodi rerum auctores, & ab administratione Reipublicae remouendos, gubernationem ciuitatis amicis suis tradendam. Post omnes Rex sententiam dixit, si tantum Regis fuisse

fuisse eam sententiam putandum est. Neque enim uerisimile uidetur purum, qui uix decimum septimum aetatis annum excessisset, de talibus, tantisque rebus potuisse iudicare. Sed scriptorem historiae decet firmatas in conciliis sententias principibus tribuere, quorum nutu omnia gubernantur. Qui uero historiam, aut legunt, aut audiunt, existimare debent, eiusmodi sententias eorum esse, qui sunt cum prudentiores, tum proximiores principibus, ut si quis hanc Arato tribuerit, cuius tum maxima erat apud Regem auctoritas. Philippus igitur, si quid aduersus se priuatum socii molirentur, sua inquit interesse, illos duntaxat uerbis, aut literis admonere. Si quid uero publice in socios committerent, publica poena atque animaduersione esse plectendos. A Lacedaemoniis nihil contra communem societatem patratum esse, immo sponte sese illos obtulisse omnia pro Macedonibus facturos. Proinde nihil esse aduersus ipsos grauius consulendum, cum iniquum sit, quibus hostibus pater pepercisset, eosdem se leuissima ex causa ulcisci. Confirmata regis sententia mox Perseus Philippi amicus eligitur, qui Lacedaemonem cum Legatis proficiscatur. Is in mandatis habet, hortari ad amicitiam Spartanos, & iusurandum de societate fideque seruanda dare, simul atque accipere. Posthaec Philippus motis castris rursus Corinthum rediit, optima spe praestantissimae indolis sociis relicta, quae tam benigniter se erga Lacedaemonios habuisset. Compertis Corinthi sociorum legatis, qui eo, uti iussum fuerat, omnes conuenerant, de communibus Graeciae rebus consulere coeperunt. Hic omnibus uno ore Aetolorum facta execrantibus, Bceotiis, quae pacis tempore Mineruae templum depopulati essent: Phocensibus, quae positae iuxta Ambrysum, & Daulium castris, de capiendis ciuitatibus consultassent: Epirotis, quae omnem regionem ferro ignique uastassent: Acarnanibus, quae opulentissimum oppidum per insidias ad motis noctu scalis occupare uoluissent. Postremo Achaeis, quod Carium coepissent, Patrensiu, ac Pharensiu fines populabundi percussissent, Cyneatham armis atque incendio deleuissent, Dianae templum expilassent, Clitorienfes obsedissent, denique Pilum mari, Megalopolim terra infestassent, ad extremum omnes una uoce mouendum esse Aetolis bellum iudicauere. Facto igitur concilio, sanxerunt, ut ii omnes in societatem admitterentur, quorum urbes, aut prouintias post mortem Demetrii, qui pater Philippi fuerat, Aetoli occupassent. Praeterea, si qui conditione temporum coacti societatem cum Aetolis inuiti fecissent, & ut iis omnibus libertas pristina restitueretur, & ut patriis legibus ac moribus uiuerent, permitteretur. Postremo, ut Amphictyonibus templum, quod ablatum ab Aetolis fuerat, redderet. Cum igitur haec ita decreta essent,

centesimæ & quadagesimæ Olympiadis anno primo, subito sociale bellum exarsit, ex Aetolorum iniuriis, quas supra memorauimus, iustissime ortum. Qui in consilio fuerant, subito Legatos ad socios mittunt, qui nunciarent, ut, sicuti decretum erat, ex sua quisque regione, bellum Aetolis moueret. Philippus quoque literas ad Aetolos dedit, ut, si quid obiectis respondere uellent, ad se uenirent. Quod si absque consensu sociorum propria autoritate moti, uastando ac populando omnia nemini se putent facere iniuriam: aut si quibus iniuriam faciant, illos existiment diutius posse bello abstinere, profecto omnium esse stultissimos. Aetoli acceptis literis, principio haud uenturum esse regem sperantes, certum diem constituerunt, quo ad Rhium Philippo obuiarent. Post uero cognitis, quæ acta in consilio fuerant, tabellarios ad Regem misere, qui nunciarent, se antequam Aetolorum concilium fieret, nihil de rebus publicis posse decernere. Achæi congregato Aegii, ut mos erat, concilio, simul decretum confirmarunt, simul Aetolis indixerunt bellum, & paruis illos infestare incursionibus coepere. Interea Philippus, Aegium cum uisisset, & multa humaniter atque amice locutus esset, Achæi eius dicta summa beneuolentia sunt complexi, & ueterem, qua cum maioribus eius deuincti fuerant, amicitiam cum Philippo renouarunt. Per idem tempus Aetoli, cum comitiorum dies aduenisset, Ducem elegerunt Scopam, qui omnium superiorum motuum princeps, atque author fuerat. Philippus accepta ab Achæis pecunia, in Macedoniam cum copiis rediit, ut delectum militum haberet, pararetque, quæ ad bellum opus essent. Maximam autem non solum sociis, uerum etiam uniuersæ Græciæ clementiæ ac magnanimitatis spem reliquit, ob Decretum ex sententia omnium firmatum. Hæc eo tempore gesta sunt, quo Annibal Dux Carthaginensium omnibus, quæ ultra Iberum erant, in Hispania potitus, Saguntum obsidebat. Quod si principia rerum Annibalis in eorum tempora incidunt, quæ sunt in Græcia gesta, manifestum est, nos non sine causa superiori libro res ab Annibale gestas tractasse, cum ordinem sequamur temporum. Cum autem res Italicæ, & Græciæ, & Asiaticæ propria quidem principia haberent, exitus autem communes, necesse fuit narrationem quoque earum tandiu propriam uniuscuiusque esse, quoad in ea tempora uentum foret, quibus res prædictæ una implicatæ, quasi ad unum finem dirigi coeperunt. Sic enim & singularum expositio fit manifestior, & coaceruatio omnium dilucidior. Sunt autem res omnes inter se mixtæ, & ad unum conuersæ finem, anno tertio, centesimæ & quadagesimæ Olympiadis. Quam ob rem ea, quæ deinde secuta sunt, communiter exponemus. Quæ uero ante id tempus fuere priuatim, suo quoque loco superiori libro demonstra-

monstrauimus, quo non solum tempora se inuicem sequerentur, sed etiam rerum omnium quasi una societas fieret. Philippus igitur in Macedonia, dum in hybernis esset, nouum militum delectum habuit, quæ ad bellum necessaria erant, parauit. Oppida a Barbarorum impetu, qui circa Spartam habitabant, communiuit. Post hæc ad Scerdilaidam profectus agere de societate coepit, pollicitusque ei opem ad res Illyricas componendas, & simul Aetolos calumniatus, facile quod cupiebat, Scerdilaidæ persuasit. Est enim ita comparatum, ut etiam malorum societas, nisi æquitas, atque iustitia fuerit seruata, facillime infringatur. Quemadmodum ea tempestate Aetolis accidit. Nam cum ita cum Scerdilaida composuissent, ut æque inter utrosque præda omnis diuideretur, si una in Achaiam irrueret, persuasus eorum uerbis Scerdilaidas, simul Cyneatham profectus est. Qua capta atque direpta, Aetoli ingentem auri, pecudumque multitudinem abduxere, & diuisa inter se præda, Scerdilaidam omnino excluderunt. Quamobrem ira, atque indignatio inuasit animum. Cuius memoriam cum renouasset Philippus, subito cum eo societatem firmavit, his legibus, ut uiginti talenta annua acciperet, cum triginta Lembis nauigaret, Aetolos mari infestaret. Philippus igitur hæc, atque alia huiusmodi moliebatur. Legati, qui ad socios missi fuerant, primo Acarnaniam appulere. Vbi expositis mandatis, Acarnanes subito & decretum ingenue confirmarunt, & Aetolis mouerunt bellum. Quanquam dari eis uenia poterat, id præter cæteros differentiibus, cum ob propinquitatem regionis iustam causam timoris habere uiderentur, experti præsertim non multo ante tempore quantum sibi obessent inimiciæ Aetolorum. Sed mihi uidentur boni uiri atque præstantes nihil plurius facere debere, quam ut necubi officium prætermittatur. Quod Acarnanes præter cæteros Græcos ubique semper seruauere, quamuis ab exiguis profecti initiis. Quo fit, ut nemo debeat esse segnior ad res suas cum hoc populo communicandas. Habet enim naturaliter, nescio quid, in animis erectum, atque sublime, & libertatis appetens. Contra Epirotæ auditis quæ exposita per Legatos fuerant, decretum quidem approbauere, bellum autem non prius moturos Aetolis responderunt, quam id Philippum regem fecisse intelligerent. Deinde Aetoliam miserunt Legatos, qui nunciarent, se pacem cum Aetolis seruare, timide sane, atque inconstanter rebus usi. Siquidem & ad Ptolemæum Regem missi legati, qui præcarentur, ne uel pecuniam, uel com meatum, uel aliud genus subsidii aduersus Philippum & socios Aetolis subministraret. At Messenii, quorum causa id bellum exarserat, le-

gatis, cū ad eos uenissent, responderunt, non ante se bellum Aetolis moturos, q̄ Phigaleam urbem in montibus sitam, q̄ tum Aetoli per iniuriā tenebant, opera sociorū recuperassent. Quam sententiā inuita multitudine Oenes et Nicippus urbis p̄sides tulerūt, paucis quibusdā ex optimatibus eam approbantibus. In quo mihi uident̄ ignorasse, quid se maxime deceret, & suæ Reipub. conduceret. Equidē ita existimo, fugiendū quidem esse bellū, nō tamen ita fugiendū, ut omnia, ne in id incidamus, sustinere, perpetiq; uelimus. Quid enim, uel equabilitatem in Republica, uel fidutiam, uel libertatis iucundissimum nomen laudaremus, si nihil omnino esset paci anteponendum? Sed neq; Thebanos laudamus, quod tempore Medici belli, ut a cōmuni Græciæ periculo essent immunes, ea per formidinē elegere, de quibus postea periclitati sunt: neq; Pindaro assentimur, qui in Poematibus suis ciues hortatur, ut ceteris omnibus postpositis, pacem duntaxat & tranquillitatē amplectātur. Pax em̄ si iusta & honesta sit, res est certe omnium rerū pulcherrima atq; optima. Nihil tamen est aut faciendū iniuste, aut patiendū turpiter, ut pace frui ualeamus. Atqui p̄sides Messeniorum atq; optimates, habito mox ad priuata cōmoda respectu, affectatius semper q̄ decebat, animos ad pacē inclinabant. Quam ob rem multas sepe occasiones atq; opportunitates temporū nacti, aliquando uero in pericula incidentes, eodē modo continē labebant, semperq; idem propositū seruandę pacis habētes, in maxima sæpe discrimina patriā adducebant. Citius rei causam hanc arbitror fuisse, q̄ cū duabus p̄cipuis Græciæ ciuitatibus uicini essent, Arcadibus ac Lacedæmoniis, quorū his semper inimici fuerāt, illis foedere amicitiaq; cōiuncti, nec Lacedæmoniorū tamē se hostes aperte ostendebāt, nec Arcadū amicos. Ex quo fiebat, ut cū prædictę ciuitates, uel inuicem, uel aduersus alios bella gererēt, Messenii pace fruerētur. Lacedæmoniis uero pace cū ceteris facta, in Messenios impetū faciētibus, cum neq; ipsi per se resistere illorū potentie ualerent, neq; Arcadum auxilio, quorum amicitia conseruare nesciuerant, se tueri: uel seruire turpiter Lacedæmoniis cogebant: uel, ut seruitutē euitarent, cum coniugibus, filiisq; patriā relinquere. Quod eis nō multo ante hæc tempora sæpenumero accidit. Utinamq; Deorū uoluntate sit, ut hic status rerū, quo in presentia fruimur diutissime permaneat. Si qua tamen unq̄ presentium rerū mutatio acciderit, unam uideo tuendę patrię spem Messeniis, ac Megalopolitanis fore, si iuxta Epaminondę sententiam omnibus in rebus, atq; adeo omni tempore inuicem consenserint, consiliaq; & res suas omnes unanimiter tractarint. Quod uerum esse, etiam uetustissima eorum monumenta

menta indicant. Messenii enim tempore Aristomenis columnam, ut Calisthenes memorat, in templo Iouis Lycii posuere, in qua hoc Epigramma erat inscriptum: Inuenit tandem tempus impio Regi pœnam, Inuenere Messenii proditorem, duce Ioue. Difficile est latere Deos per iurum hominem. Salue Rex Iuppiter, & Arcadiam serua. Nam quia propriis sedibus expulsi erant, ueluti de secunda patria precari Deos uolentes, hoc epigramma inscripserunt: quod mihi quidem merito uidentur fecisse. Siquidem Arcades non solum hos exules, & bello Aristomenico patrio solo eiectos intra urbem receperunt, & donatos ciuitate, concilio, opibusq; iuuerunt, uerum etiam eorum filias nubere adolescentibus suis permisere. Præterea inuestigata Aristocratis regis prodicione, non modo eum grauissimis affectum cruciatibus interfecere, sed ex omni eius genere impii sanguinis pœnas sumplerunt. Verum omissis ueteribus, ea, quæ recentiora sunt, & post eam duarū urbium coniunctionem acciderunt, satis magnā his quæ diximus, fidem præstare possunt. Nam quo tempore post magnam illam uictoriā, qua Græci iuxta Mantiniam ob mortem Epaminondę potiti sunt, Lacedæmonii Messeniis a foedere exclusis, erigere spem ad res eorū occupandas cepere usq; adeo Megalopolitani, atq; omnes socię ciuitates in fauorē Messeniorum animos intenderunt, ut eos statim in societate acceperint. Lacedæmonios uero solos ex omnibus Græcis a cōmuni foedere excluderint. Quæ cum ita sint: quis est, qui non recte a nobis dictum existimet, quod paulo ante memorauimus? Hæc ideo pluribus uerbis de Arcadibus, ac Messeniis sumus prosecuti, ut hi memores cladum, quas ciuitatibus suis Lacedæmonii sæpe intulerunt, in fide, amicitiaq; permaneant, nunquamq; uel timore alicuius rei, uel desiderio pacis, ubi de salute agitur, inuicem deserant. Nunc eo unde discessimus, reuertamur. Lacedæmonii nunq̄ a moribus suis recedentes, legatos sociorum, nullo eis dato responso dimiserunt, tantū apud eos incitę, ac temeritatis inualuerat. Quo fit, ut ego id esse uerū existimem, quod dici solet, temeritatem sepe numero homines ad insaniam, & ad nihilum adducere solere. Post hæc tamen, cū noui magistratus essent creati, hi qui principio seditionē in Republica excitarant, & memoratarū cedium causa fuerant, missis ad Aetolos nuntiis, ut legatos ad se mitterent, petierūt. Quod cū facillime impetrassent, paucisq; interiectis diebus Nearchus Aetolorū legatus Lacedæmonia uenisset, subito ciuitatis p̄sides petunt, aduocandam esse contionem dicentes ad legatum Aetolorum audiendum, & Regem iusta institutum patrię creandum: neq; diutius patiendum, præter leges ciuitatis

Heraclidarum imperium dissolui. Præsides, et si hunc statum rerum ægreferebant, tamen quia resistere illorum uiribus non poterant, & iuentutem formidabant, responderunt, de regibus quidem se postea consulturos, ad audiendum uero Machatam contionem statim aduocatos. Cōgregata igitur multitudine, ingredi Machatas iussus pluribus hortari cepit ad societatem cum Aetolis ineundam, acerbè nimium & iniuste criminatus Macedonas, multaq; in Aetolorū laudem falso, et supra modum locutus. Quibus expositis, cum contionem iniuisset, diures inter populum uersa, sententiæ uariæ, atq; ancipites fuere. Quidam enim Aetolorum partes sequi, & cum iis ineundā esse societatem, affirmare. Alii his contradicere, & adseruandam cum Macedonibus amicitiam hortari. Tandem uero seniorum quidam cum surrexissent, reuocatis in memoriam Antigoni, & Macedonum beneficiis, & clade, quam Charixeni, & Timæi tempore acceperant, cōmemorata, quando Aetoli Spartanum agrum ingressi omnia ferro igniq; uastarant, & ui ac dolo reductis exulibus ciuitati insidiati fuerant, plurimorum sententiam mutauere, & ad extremum multitudini persuasum, seruandā esse cum Philippo, ac Macedonibus amicitiam. Quibus hunc in modum peractis, Machatas re, propter quam uenerat, infecta, Aetoliam rediit. Principes eius, quam supra memorauimus, seditionis factū id ægre ferentes, rem denuo moliri cœperunt omnium crudelissimam. Congregari post aliquot dies armati iuuenes debebant ad sacrificium annuum ex more patriæ peragendum. Id in templo Palladis fiebat. Præerant autem huic sacrificio ciuitatis præsides, qui in eo templo per eos dies commorabantur. Quamobrem nonnullos ex his, qui armati interesse ludis debebāt premiis corruperunt. Hi cōstituto inter se tempore, dū præsides sacrificiis intētos uident, repente eos aggressi, instar pecudū trucidāt, & quis in templo erāt, quod ueluti asylū Lacedæmonii uenerabatur, & in quo necētes omnes etiam capitis damnati salutē esse cōsueuerant, eo tamē sæuitig audacia hominū processit, ut ante aras, & in ipsis degmēlis magistratus omnes interfecerint. Posthæc de senioribus, qui cum Hyrida senserant, simili modo suppliciu sumpserunt. Et iis, qui Aetolis aduersabantur, urbe eiectis, nouos magistratus ex suis crearunt. Præterea societate cum Aetolis fecere. Ita uno tempore & hostilē aduersus Achæos animū, & aduersus Macedonas ingrātū ostenderunt. Maximam autē spem habebant in Cleomenis beneuolentiā, cuius aduentū incredibili desyderio præstolabatur. Tantū mansuetudo, atq; benignitas principū potest, ut non solū cū sunt præsentes, uerū etiam maximo interuallo disiuncti, quosdā quasi

fomites

fomites amoris & beneuolentiæ erga se in pectoribus hominū relinquāt. Lacedæmonii enim triennio fere post eiectū Cleomenē in administratiōe Reip. uersati, nunq; de creādis Lacedæmone regibus quicq; cogitare: ubi uero de obitu Cleomenis nunciatū est repente ad creationē regū animos intēderūt. Primi autē in hac re fuere hi, qui principes seditionis extiterāt, nuperq; cū Aetolis societate inierāt. Quamobrē unū quidē regum legitime, & secundū instituta ciuitatis elegerūt, nomine Agesipolim, adhuc etate puerū, filiū autē Agesipolidis filii Cleombroti, huic tutorē dedere Cleomenē, Cleombroti filiū Agesipolidis germanū. Ex altera uero familia, cū ex filia Hippomedontis duo filii Archidamo essent, qui Eudemidē filius fuerat, Hippomedonte quoq; ipso adhuc uiuente, Agesilai filio, & Eudemidē nepote, præterea aliis cōpluribus ex eadē familia extantibus, cōtempto eorū genere, iisq; omnibus posthabitis, Lycurgum elegerunt regē. Ex cuius gente nemo unquā ad spē regni aspirauerat. Hic enim donato singulis magistratibus talēto, ex familia Herculis appellatus, & rex Spartę creatus est. Adeo semp mala omnia uendibilia fuere. Verū haud multo post tempore, nō filii, aut nepotes eorū, sed ipsimet huius criminis authores stultitię ac temeritatis suę pcenas luerūt. Machatas, quę Lacedæmone acta fuerāt, edoctus, rursus Spartā rediit, magistratusq; et reges hortatus est ad bellū Achæis mouendū: per eum modū, inquit, facile restingui posse Lacedæmoniorū ambitionē, qui diuersę factionis forēt, & Aetolorū societati aduersarētur. Quibus uerbis cū persuasi magistratus, ac reges essent, Machatas ætoliā rediit, facile qd cupierat, ob Lacedæmoniorum inscitā cōsecutus. Lycurgus, cōctis mercenariis copiis, urbana quoq; multitudine aduocata, Argiuorū fines ingressus est, adortusq; improuisos, & nihil tale a Lacedæmoniis expectātes, repēte Polichnā, Parsiam, Leucā, Cyphantē, & alia quedam eorū oppida cepit, agrū omnē argiuū ferro, igniq; uastauit. Quo facto, Lacedæmonii bellū Achæis indixere. Machatas interea adpropinquas ciuitates profectus, idē quod Lacedæmoniis fecerat, persuasit. Per hunc modū Aetoli, cum sibi omnia prospere, atq; ex sentētia accidissent, bellū magno ac forti animo sunt ingressi. Achæis uero cōtraria omnia euenerunt. Siquidē Philippus Rex, in quo omnis spes suas habebant, adhuc incogēdis copiis uersabatur. Epirotę nōdum bellū Aetolis mouerāt. Messeni quietē agebant. Aetoli tractis in sentētiā suam Eliensibus ac Lacedæmoniis, undiq; Achæos premebāt. Per id tempus Aratus forte imperiū deposuerat, duxq; ab Achæis creatus erat Aratus eius filius. Aetolorū uero exercitui præerat Scopas, qui tamē parū in magistratu erat per-

R iii

mansurus. Quippe Aetoli ea tempestate post autumnale æquinoctium comitia faciebant. Achæi uero circa ortum Vergiliarum. Peracta igitur æstate, cum Aratus Iunior imperium accepisset, uniuersæ res quasi unum principium sumpsere. Annibal enim per hæc tempora se ad obsidionem Sagunti accingere: Romani L. Aemilium in Illyrium cum copiis aduersus Demetrium Pharium mittere, de quibus superiori libro memorauimus: Antiochus, Theodoto Ptolemæi, ac Tyrum, per prodicionem tradente, res Syriacas aggredi: Ptolemæus aduersus Antiochum exercitum parare: Lycurgus, ut Cleomenem imitaretur, Athenæum Megalopolitanorum oppidum obsidere: Achæi equitum ac peditum multitudinem cogere: Philip pus e Macedonia cum copiis proficisci, legionarios milites habens circiter decem millia, scutatos ad quinq; millia, præterea equites octingentos. Hic tum erat omnium apparatus ad res bellicas. Eodem tempore Rhodii aduersus Byzantios bellum mouere, ob tales quasdam causas. Byzantii urbem incolunt, cum natura loci munitissimam, tum ad fertilitatem omnium rerum, quibus humana foelicitas perficitur, opportunissimam. Ita enim in ostio ipsius Ponti sita est, ut neq; ingredi negociator quisquam, neq; egredi sine Byzantium consensu ualeat. Cum uero Pontus multa ferat ad uitam hominum commodissima, eorum omniū Domini sunt Byzantii. Nam & ad necessarios usus coria, ac multitudinem seruorum, quæ circa Pontum sunt loca, eis abundantissime suppeditant, & ad deliciarum uitam mel, ceram, balsamenta, aliaq; huiusmodi. Ipsi uero negociatoribus præbent oleum, & omne uini genus, frumentum interdum dant, interdum accipiunt. His omnibus rebus necesse est Græcos uel omnino priuari, uel in fide atq; amicitia cum Byzantiis permanere. Siquidem Byzantiis malignari uolentibus, Gallicisq; aut aliis circumstantibus barbaris adhærere, ob angustias loci, et multitudinē barbarorum, excludi omnino Græcos a nauigatione Ponti oportet. Maximas igitur Byzantii ex situ loci habent commoditates, educendo, quæ apud eos abundant: quæ uero desunt, sine labore ac periculo inducendo. Maximas etiam, ut diximus, præbent cæteris Græciæ ciuitatibus opportunitates. Quamobrem, ut communes omnium benefactores merito a Græcis coluntur, & digni existimantur, non solum quibus habeatur gratia, uerum etiam auxilia aduersus barbarorum impetum præstentur. Quoniam uero pleriq; sunt naturam eius loci ac proprietatem ignorantes, nostrumq; desiderium semper fuit, ut huiusmodi res in multorum notitiam deuenirent: & si fieri

fieri posset, perspicerentur oculis: sin minus, quoad liceret, intellectu comprehenderentur, dicendum existimauimus, quæ sit causa, quæ tantam huic urbi foelicitatem pariat. Igitur qui appellatur Pontus, circiter XXII. millia stadia in circuitu patet, duo habens ostia sibi inuicem opposita, alterum ex Propontide defluens, alterum ex Mæotide palude. Mæotis quidem ipsa octo millium stadiorum circuitum continet. In utriusq; alueum cum multi, ac magni amnes ex Asia defluant, pluresq; & maiores ex Europa, euenit, ut repleta Mæotis per ostium suum in Pontum effundatur, Pontus ipse in Propontidem. Mæotidis ostium Cimericus Bosphorus uocatur. Latitudinem quidem XXX. stadiorum, longitudinem LX. habens. Ponti uero ostium Bosphorus Thracius appellatur. Huius longitudo ad CXX. stadia extenditur. Latitudo non est eadem ubique, nam a Propontide quidem, quod inter Calchedonem, ac Byzantium spatii est, XIII. continet stadia: a Ponto uero, quod Fanum appellatur, ubi primum Iason, cum ex Colcho rediret, XII. Diis fertur sacrificasse, in Asia positum, X. stadiis distat ab Europa. Quod uero Mæotis, ac Pontus continue effluant, duplices traduntur causæ, una quidem per se ipsam nota, quod scilicet permeantium in alueos fluminum multitudine, cum continue humor augeatur, nec aliunde exitum habeat, necesse est in tantum crescere, ut tandem efferi per ostia opus sit. Altera, quod multitudine harenarum, quas continue defluentes amnes in Pontum, atq; Mæotidem uehant, usque adeo aluei replentur, ut superferri humorem, & per ostia exire sit necesse. Atq; hæc quidem ueræ causæ fluxus sunt, non ex mercatorum relatione fidem merentes, sed ex ratione naturali, qua uerior reperiri haud facile potest. Verum, quoniam ad hunc locum uenimus, nihil omitendum, quod ad naturæ inuestigationem pertineat, ut pleriq; scriptores faciunt, sed quatenus fieri potest demonstratiua narratione utendum, ne quid dubium discendi cupidis relinquatur. Hæc enim in primis est nostris temporibus conueniens, quibus cum nihil relictum sit in nauigabile, atq; inaccessum, indecens est de rebus ambiguis a poetis, et fabularum scriptoribus testimonia querere. Quod superiores historiographi fecerunt. Dicemus igitur Pontum harenis, quas amnes assidue deuehant, continue adimpleri, uenturumq; aliquando tempus quo eius alueus terræ prorsus æquetur. Idem etiam de Mæotide affirmamus, dummodo hic locorum, quem in præsentia cernimus, permaneat: nec cessent causæ defluentium harenarum, nam cum

tempus infinitum sit, aluei uero, de quibus loquimur, certis claudantur terminis, manifestum est, quantulumcunque materiae deferatur, etiã si perexiguum esset, dum tamẽ id fiat assidue, longo temporum spatio futurum, ut omnino repleantur. Quando autẽ deuectæ materiae non parua quedã quantitas est, sed infinita pene multitudo, perspicue est, hoc quod dicimus nõ longe post futurũ quod etiam ex parte iam factũ apparet. Quippe Mæotis iam fere repleta est, nam profundissima pars eius quinq; uel ad summum septem ulnis extenditur. Vnde fit, ut maioribus lignis nauigari non possit, nisi nautis ui malum trahentibus. Cumq; a principio mare fuerit sapore quã simillimũ Ponto, in quo ueteres omnes consentiunt, nunc palus est quam dulcissima, utpote salo multitudine harenarũ, & aquis decurrentium fluminũ superato: quod olim de Ponto quoq; eueniet, & nunc fit, sed non facile perspicui potest propter aluei profunditatem. Si quis tamen diligentius inspexerit, perspicue id fieri animaduertet. Danubio enim multis ostiis ex Europa in Pontum defluente, tumuli quidam fiunt ex colluue deuectæ materiae, quos nauatæ pectora appellant, unius diei itinere a littore distantes, in quos sæpenumero delati per noctem nauatæ periculum faciunt. Cur autem non propter littus, sed longius intra mare huiusmodi tumulifiant, hæc traditur causa. Quatenus enim impetus decurrentium fluminum præualet, & superatis fluctibus ingreditur mare, eatenus harenam & omne genus materiae ferri in altum necesse est. Vbi uero profunditate maris impetus ipsi fluminum dissoluuntur, tunc naturali ratione omnis materia deorsum fertur, fundumq; quo consistat, inuenit. Ex quo fit, ut maiorum, ac rapidiorum fluminum aggeres magis protendantur in mare, maiorq; profunditas iuxta terram appareat: minorum uero, mitius fluentium tumuli non longe distent ab ostiis. De multitudine autem defluentis materiae, lignisq; & lapidibus, & harena, quæ in Pontum uehuntur, nulla admiratio est, cum sæpenumero intra breuissimum tempus torrentes uideamus maxima abrupta loca, & omne genus materiae, & terræ, & lapidum ferentes. Qua ex re tanta interdum locorum commutatio fit, ut non longe post ea uidentes, uix agnoscamus. Quamobrem non est mirandum, si tot, actanti amnes continuo in Pontum fluxu aliquid ex iis faciant, quæ supra memorauimus, tandemq; impleant Pontum. Hoc enim nõ solũ uerisimile, uerũ etiam necessariũ uidetur, si quis eius rei rationẽ diligenter inquirat. Verũ futuri argumentũ est, quod quando Mæotis Põtico mari dulcior est, tanto Pontus ipse a mari nostro differt.

Ex quo

Ex quo palam fit, cum Pontus tanto plus temporis q̃ Mæotis peregerit, quanto eius alueus illius alueo maior est, futurum, ut instar Mæotidis & dulcis sit, & palustris, quin eo celerius, quo plures, maioresq; in Pontũ amnes defluunt. Hæc nobis dicta sunt eorum gratia, qui repleti Pontũ non posse arbitrantur, nec futuram paludem existimant, ubi nunc pelagus est, præterea nauigantium etiam gratia, multa ac diuersa mendacia referentium ne illis passim more puerorum habere fidem cogamur, ob inexperientiam locorum, sed cognitionem quandam ueri habentes, discernere possimus quid uere, quid falso narretur. Sed iam ad opportunitatem situs Byzantium reuertamur. Cum eius freti, quod Pontum Propõtidemq; coniungit, longitudo, ut supra memorauimus, ad centum & uiginti stadia extendatur, Fanumq; eam partem terminet, quæ est a Ponto: eam uero quæ a Propontide est, Byzantium, inter utruq; locum templum est, quod Hermeum Europæ uocant, in Promontorio supra ostium Ponti situm, quod ab Asia distat circiter quinq; stadia. Est autem in angustissima parte freti, ubi Darium memorant Pontem struxisse, quo tempore aduersus Scythas profectus est. A Ponto usq; in hunc locum unda æqualiter fluit, utpote locis, qui freto imminent ab utroq; latere eque inter se distantibus. Vbi autẽ ad Hermeũ Europæ uentũ est, quo in loco angustissimũ esse fretũ memorauimus, ruens ex Ponto in oppositã partẽ cũ impetu aqua uiolẽter reflectitur, agiturq; in opposita Asiã loca, inde rursus uersus Europe promontoriũ cursum tenet, huc denuo acta fertur in eum locũ quẽ incolæ Bouẽ uocant. Est autem in Asia, ubi primũ cõstitisse ideo in fabulis memoratur. Ad extremum tamẽ a Boue quoq; repulsa Byzantiũ fluit, ubi circa urbem diffusa partim dissoluitur, diuiditq; eum locum, quod Cornu appellatur, partim rursus retrogreditur. Neq; tamẽ agi hic impetus potest in oppositã regionẽ, ubi est Calchedon. Nam cum totiens huc, atq; illuc flectatur, sinusq; non mediocris latitudo sit, iam prope hoc loco deficiens haud amplius ad rectum Angulum in oppositum pergit, sed potius ad obtusum. Ex quo fit, ut relicta Calchedone per sinum fluat. Atq; hoc quidem est, quod Byzantiis maximas præbet commoditates, Calchedonenibus uero econtrario. Licet enim quatenus ad oculos spectat, utriusq; urbis situs peræque commodus uideatur esse, tamen nauigare uolentibus, ad hanc quidem difficilis transfretatio est, ad illam uero undarum uiolentia etiam nolentes feruntur. Cuius rei argumentum est, quod a Calchedone proficisci Byzantium uolentes nequeunt recta cursum tenere, ob interfluentis impetum aquæ, sed

& ad Bouem contendunt, & ad eā urbem, quā Chrysolimū uocant, ex qua deinde per uim Byzantium feruntur. Par etiam commoditas ad alterutrum locum nauigandi Bizantiis adest, siue Austro ab Helleponto ferantur, seu ex Ponto in Hellepontum nauigent. Ex Byzantio enim rectus, ac frequens cursus est ad Propontidis angustias per Abidum, & Sestum, indeq; Byzantium similiter. Calchedonenſibus autem omnia e contrario accidunt, ob eas, quas memorauimus, rationes, & distantiam regionis Cysicensorum. Quippe ab Helleponto Calchedonem nauigantibus, per propinqua Europæ loca cursum tenere, ac deinde locis, quæ circa Byzantium sunt, appropinquâtes Calchedonem declinare ob foelicitatem currentium undarum difficile est. Rursus uero ex eodem loco in Thratiam proficisci, omnino impossibile, tum propter impetum interfluentium undarum, tum uentis utrinq; sibi inuicem repugnantibus. Ingredientibus enim Pontū, Auster fauet, egredientibus, Aquilo. Atq; his duntaxat uentis ad utrunq; cursum uti necesse est. Quæ igitur a mari tales tantaq; Byzantio commoditates præbent, hæc sunt, quæ supra memorauimus. Quas uero a parte mediterranea ea urbs incommoditates patitur, sequētia indicabunt. Thratia ita circuit Byzantium agrum, ut omnē eorum regionem a mari ad mare amplectatur. Ex quo fit, ut Byzantii graui ac perpetuo bello a Thracibus infestentur. Nam si semel, atq; iterum immanem gentem ac Barbaram uincant, non tamen propterea restinguere bellum possunt. Tanta est & priuatorum hominum, & dominantium apud eos multitudo. Vno siquidem eorum superato, tres alii potentiores insurgunt, & populabundi per eorum prouintiam grassantur. Ac ne inito quidem foedere, aut rebus pace compositis, aliquid agunt. Mox enim quadruplicatos inueniunt hostes. Itaq; difficili, atq; aspero bello assidue conficiuntur. Quid enim magis infidum, q̄ uicinus hostis? aut quid Barbarico bello periculosius? Præterea ad tot mala, quibus undique a mediterranea parte premuntur, id accedit, quod Tantali poena cruciantur, ut Poeta inquit. Nam cum regionem habeant omnium fertilissimam, postquam agros diligentissime coluerunt, paratq; sunt fructus pulchritudine, copiaq; mirandi, tum uenientes in prouintiam barbari, populantur, deuantq; omnia, Byzantii, amissis laboribus atq; impensis, tantam stragem rerum suarū uidentes, grauius & iniquo animo ferunt. Nihilominus bellū cum Thracibus ob consuetudinem tolerantibus, in antiquo foedere cum Græcis permanebant. Appropinquantibus uero ad eas partes Gallis, in maximum discrimen deuenere.

Galli

Galli enim, qui sub Brenno Duce militauerant, ingenti periculo apud Delphos liberati, cum in Hellepontum uenissent, nequaquā in Asiam transiuerunt, sed opportunitate locorū pellecti, circa Byzantium constitere. Vbi deuictis Thracibus, & Tyle Rege constituto, Byzantiis intulerunt bellum. Hi principio muneribus lenire illorum animos coepere, datis modo tribus, modo quinque, interdū decem millibus aureorū, ne eorum prouintiam deuaſtarent, ad extremum octuaginta talenta singulis annis pendere coacti, usq; ad Clyari tempora. Quibus Gallorum imperium defecit, omnisq; ea gens uicissim a Thracibus superata, funditus extincta est. Ea igitur tempeſtate magnitudine tributorū exhausti, primo Legatos in Græciam misere, qui in præsens tempus subsidium peterent. Græcis uero magna ex parte id contemnentibus, Byzantii de creuere, ut ab omnibus, qui in Pontum nauigarent, uectigalia exigerentur. Quod cum graue ob nouitatem facti omnibus uideretur, uniuersi eius rei culpam, quod id paterentur, in Rhodios refundebant, ut pote maris principatum eo tempore obtinentes. Quæ res initium, & quasi seminarium fuit eius belli, de quo in præsentia scripturi sumus. Rhodii enim cum propriis, tum uicinatorum damnis commoti, primo aduocatis sociis, Legatos Byzantium misere, qui dimissionem uectigalium peterent. Hi eo, uti iussum fuerat, proiecti, cum id persuadere multitudini nequiuissent, Heratodoro, & Olympiodoro contradicentibus, qui tum in Republica Byzantium principatum obtinebant, re infecta discesserunt. Nec longe post eodem reuersi Byzantiis indixerunt bellum ob causas quas supra memorauimus. Mox igitur Rhodii Legatos ad Prusiam mittere, qui eum ad bellum Byzantiis mouendum hortarentur. Sciebant enim Regem certis ex causis Byzantiis infensum. Byzantii similiter Attalum & Achæum crebris legationibus precari, ut sibi aduersus Rhodios auxilio essent. Attalus ad eam rem promptus quidem erat, sed summis rerum angustiis premebatur, quippe, quem Achæus intra paterni imperii limites redegerat. Achæus autem omnium, quæ sunt citra Taurum, dominus, & se palam Regem appellans, auxiliaturum se Byzantiis pollicebatur. Quæ res his quidem spem maximam, Rhodiis uero & Prusiæ non paruum terrorem addidit. Erat enim Achæus, Antiochi propinquus, qui regnum in Syria obtinuerat, fueratq; eum principatum consecutus ex talibus quibusdam causis. Mortuo Seluco patre Antiochi, cum regnum ad Seleucum eius filium, qui cæteris fratribus maior natus erat, peruenisset. Achæus cum hoc propter generis propinquitatem Taurum tran-

Siliam

scendit biennio fere ante hæc, de quibus scribimus, tempora. Seleucus enim simul ac regnum ingressus fuit, cum audisset Attalum loca omnia, quæ sunt citra Taurum montem, occupasse, rebus suis consulendum ratus, maximis uiribus Taurum transcēdit, ubi paucis interiectis diebus, ab Apaturio Gallo & Nicanore dolo circumuentus, atq; extinctus est. Achæus propinqui mortem ulciscendam ratus, extemplo Apaturium atq; Nicanorem interfecit. Tum copiis, reliquisq; omnibus rebus prudenter ac magno animo usus est. Nam cum & opportunitas temporis & unanimitas militum consensus eum ad suscipiendum diadema hortaretur, id facere noluit, sed tanq̄ regnum Antiocho iuniori fratri serualet, diligenter omnia administrans, omnem, quæ citra Taurum est, regionem subigere decreuit. Rebus autē sceleratè succedētibus, cum ad extremum Attalo nihil præter Pergamum reliquisset, insperatis uictoriis elatus, repente consiliū mutauit, seq; Regem saluari iussit. Ex quo factū est, ut, eius nomen longe magis, q̄ cæterorū Regum, seu principū, qui citra Taurū sunt, terroribus oibus ac formidini esset. Quibus rebus moti Byzantii, haud inuiti bellū aduersus Rhodios, ac Prusiam susceperūt. Prusias accusare primo Byzantios, quod cū decreuissent imagines eius erigere, rem postea segniter obliuioni tradidissent. Deinde longe magis indignari, quod idem omni studio bellum, quod inter Achæum, Attalumq; exarserat, dirimere contendissent, cum neminem lateret, pacem illorū rebus suis diuersis rationibus periculofam esse. Postremo illis obicere, quod, cum ad Attalum in ludis, quos in honorem Mineruæ fecerat, legatos misissent, ad se in gratulationibus Deorum neminem transmiserant. Quibus omnibus rationibus aucta indignatione, libenter cū Rhodiis aduersus Byzantios sentiebat. Itaq; cum Legatis composuit, ut illi mari Byzantios adgrederētur, se idem terra non minoribus uiribus facturum pollicitus. Belli igitur, quod Rhodii aduersus Byzantios gesserunt, hoc principium, atq; hæc causæ fuere. Byzantii principio incredibili audacia inierūt bellū, sperantes Achæum, uti erat pollicitus, sibi auxilio futurum. Quare aduocato ex Macedonia Thibete, eum Prusiæ opposuerunt, quo huic ad defendenda sua occupato aliena infestandi facultatem auferrent. At Prusias eo, quo diximus, impetu, in Byzantios profectus, euestigio Fanum coepit, locum natura munitissimum, & supra ipsum Ponti hostium situm, quod Byzantii nō multo ante tempore, ingenti pecunia mercati fuerant, opportunitate loci pellecti, ne quam alicui commoditatem relinquerent in Pontum, uel ex Ponto nauigandi, nisi id cum Byzantiorum uoluntate facerent. Præterea eam omnē partem Asiæ,

rem Asiæ, quæ Byzantii multis ante annis tenuerant, ferro, igniq; uasta uit. Rhodii ædificatis sex nauibus, quatuorq; a sociis acceptis, & Xenophanto duce cōstituto, cum decē nauiū classe in Hellepontū nauigarūt. Vbi nouem ex his iuxta Sextum cōstituitis, quo uniuersis aditū in Pontum prohiberēt, cum reliqua dux secunditate uento Byzantium aduolauit, tentandi gratia illorū animos, an exardescēte iam bello consiliū pœniteret. Quos cum eodem animo reperisset, ad suos reuersus, cum omni simul classe Rhodū rediit. Inter hæc Byzantii legationibus agebāt, alios ad Achæū mittentes, rogatum, ut succurrere rebus suis maturaret: alios in Macedoniam, qui Thibetem adducerent. Videbatur enim Bithynig regnum non minus ad Thibetem, q̄ ad Prusiam spectare, q̄ Thibetes Prusiæ patruus foret. Rhodii obstinatione Byzantiorū cognita, callide ac prudēter se gesserūt. Cum enim Byzantios intellexissent omnē spem suam in Achæo sitam habere, patremq; Achæi scirent a Ptolemæo in Alexandria in uinculis teneri, Achæū autem saluti patris, cæteris omnibus posthabitis, intentum esse, de mittendis ad Ptolemæum legatis, & Andromacho petendo agere coeperūt, quo Achæū sibi hoc tanto beneficio facerent obnoxii. Ptolemæus auditis, quæ relata per legatos fuere, haud facile inclinari ad liberationē Andromachi uidebat, sperans se illi uti in tēpore posse, q̄ nondum cōpositæ res cū Antiocho erant, & Achæus iam sine cōtrouersia regnū adeptus, longe lateq; uires suas extēderat. Erat em̄ Andromachus Achæi pater, & frater Laodices uxoris Seleuci. Veruntamen ut Rhodiis gratificaret, Andromachū eis tradidit, quo eū si uideretur, filio restituerēt. Rhodii per hunc modū noni cōpotes facti, & simul aliis rationibus cōciliato sibi Achæo, præcipuā spem Byzantiis abstulerūt. Accidit præterea aliud quoq; quod nō parū Byzantios afflixit. Thibetes enim, quē ex Macedonia aduocatu supra memorauimus, repente morbo correptus, diem suū obiit. Quæ cū accidissent, Byzantii omnino animis cæcidere. Prusias cōtra, aucta spe rei bene gerendæ, simul ipse bellū ex Asia mouit, simul conductis in Thracia mercenariis militibus, usq; adeo Byzantios oppressit, ut ne exire quidē portas urbis, quæ in Europā aspiciunt, auderēt. Byzantii omni spe nudati, bellumq; undiq; asperrimū patientes, exitum aliquē rerum honestū quærebant. Quam obrem appropinquante ad urbem Cauaro Gallorū rege, & dirimere id bellū omni studio conante, Prusias simul & Byzantii rem omnē in manibus eius posuerunt. Quod cum intellexissent Rhodii, propositū suum producere ad finem cupientes, legatum ad Byzantios Ardicem misere, & cum eo Polemoden cum tribus triremibus, uolentes id quod in pro-

uerbio est; Hastā simul & caduceū Byzantiis mittere. Cum igitur legati Byzantiū uenissent, percussum est foedus cum Rhodiis quidem simpliciter, ut Byzantiū a nemine in Pontū nauigante uectigalia exigerent: quo facto, Rhodii, sociiq; eorū pacē cum Byzantiis agerent, cum Prusia uero his uerbis, Esse Prusiā atq; Byzantiis pacē atq; amicitia perpetuā. Neq; Byzantios aduersus Prusiam aliquo modo exercitū ducere: neq; Prusiā aduersus Byzantios. Restituere Prusiam Byzantiis omnes prouintias, oppida, populos, mancipia, absq; mercede aliqua. Præterea naues, sagittas, ac reliquā prædam, quam principio eius belli Byzantiis abstulerat: item, ligna, tegulas, laquearia, quæ ex phano abduxerat. Siquidē Prusias aduentū Thibetis formidans, oppida omnia e medio sustulerat, in quibus se recipere hostes potuissent. Postremo obligari Prusiam, cæterosq; Bithyniæ milites, quicquid ex Misia abstulissent, quæ sub ditione Byzantiorum erat, incolis restituere. Belli igitur Prusiæ ac Rhodiorū aduersus Byzantios hoc principiū, atq; hæc finis fuit. Sed idem tempus Gnosios missis ad Rhodios legatis, triremes, cū quibus Polemodes nauigarat, & tris cataphractas naues petiere aduersus eos, qui nuper a se defecerant. Quo facto, cū classis in Cretā appulisset, Eleuternei eam rem suspectā habentes, quod paucis ante diebus Polemodes, ut Gnosios gratificaretur, Timarchū eorum ciuē occiderat, primo de iniuriis questi, mox Rhodiis intulerunt bellū. Non multo ante hæc tempora Litiū quoq; uariis ceperant affligi difficultatibus. Deniq; omnis Creta in motu erat. Gnosii, Gortiniq; inito inter se foedere, & omnia cōmuni consilio agentes, omnē insulam subiugarunt, urbe Litiōrū exceptā. Hanc, quoniā sola iugum abnuerat, omnibus uiribus oppugnare nitebantur, æquare eam tandem solo cogitantes, ut hoc exēplo cæteris ciuitatibus metus nouarū rerum incuteretur. Principio igitur Cretenses omnes bellū aduersus Litiōs gerebant. Mox orta inter eos ex leui causa contentione, quod huic genti frequentissime accidit, dissidere inuicē ceperūt. Et Pollyrenei, Cretæ, Lampei, præterea Horii atq; Arcades, relicta Gnosiorū amicitia, cum Litiis sentiebāt. Gortiniorū uariæ erant sententiæ, antiquiores em̄ Gnosiorū, iuniores uero Litiōrū partes sequebant. Gnosii, mutatis repente sociorum uolūtatibus, cū res præter opinionē accidisset, mille homines societatis iure ex Aetolia accersiuere. Quo facto, seniores Gortiniorū extēplo occupata arce, Gnosios simul atq; Aetolos introduxerunt, iuuenibusq; partim in exiliū missis, partim crudelissime interfectis, urbē Gnosios dedidit. Eodem tēpore cū forte Litiū in hostilē agrū uniuersi irrupissent, nullo domi præsidio relicto, Gnosii re per exploratores cognita, urbem

custode

custode uacuum occuparunt, puerosq; & mulieres Gnosion miserē. De hinc incensa per iram ac funditus euersa urbe, domū remearūt. Litiū ab expeditione ad urbē reuersi, ubi omnia incēsa, ac diruta conspexere, adeo animis cōsternati sunt, ut ne ingredi quidē urbē quisq; ausus fuerit, sed omnes eā cateruatim circūeuntes, gemitu ac lamētis & patriā, & fortunā suam sunt prosecuti. Post hæc cōuerso itinere se ad Lampeorū urbē receperunt, a quibus humaniter, & summo studio suscepti fuere. Ac iā pro ciuibus profugi, atq; hospites intra unius diei spatiū facti, bellū cū sociis aduersus Gnosios gerebāt. Litiōs Lacedæmoniorū colonia, & omniū Cretæ urbium antiquissima ita repēte, & miserabiliter extincta est. Pollyrenei & Lampei, ceteriq; omnes eorū socii uidētes Gnosios quidē Aetolorum socios esse: Aetolos uero Philippi, & Achgorū hostes, legatos ad Regē, atq; Achgos mittunt, qui de ineunda societate, & auxiliis mittendis agerēt. Achgi, & Philippus in communē illos societate acceperē. De inde suppetias eis miserunt Illyrios circiter quadringētos, quorum dux erat Plator, Phocenses uero circiter centū. Qui cum uenissent, maximū momentum Pollyreneis Achgorū sociis attulere. Siquidem intra breue tempus auctis illorum uiribus Eleuterneos, Cydoniatis, Aptereos, aliosq; cōplures a Gnosiorū societate deficere, sibiq; adherere cōpulerunt. Quibus peractis Pollyrenei, sociiq; quingentos Cretenses Philippo, & Achæis miserunt. Gnosii nō multo ante tempore circiter mille Aetolis miserant. Ita utriq; alterius gratia bellum inuicem gerebant. Gortiniorum exules Pheastiorum portum per insidias ceperant, ex quo eos qui erant in urbe, crebris incursionibus infestabant. Hic igitur erat Cretensium rerum status. Sub idem tempus Mithridates Rex bellum Sinopēnsibus intulit. In quo cū Sinopenses subsidium per legatos a Rhodiis petiissent, Rhodii tris uiros ad eā rē elegere. His ad CXL. mil. drachmarū tradita, ut Sinopēnsibus de rebus ad bellū necessariis prouiderent. Igitur quibus datum hoc onus fuit, utres uini pararūt circiter X. millia crinium laboratorū CCC. talenta, neruorum laboratorū C. talenta, armaturas integras mille aureorū signatorū III. millia, naues onerarias III. balistas præterea, ac tormēta omniū generum magno numero. Legati his acceptis Sinopē remearūt. Ingens inuaserat Sinopēses timor, ne Mithridates terra mariq; urbis oppugnationē aggrediretur. Sinopē sita est in parte dextra Ponti, ubi Phasis fluuius ingreditur mare. Est autē in quadam Cheroneſo protendente in pelagus, cuius collū Asiam contingēs, & lōgitudinis fere duorū stadiorū prædicta urbs claudit, reliqua pars Cheroneſi in pelagus protenditur, estq; plana, & ad ambulandū

S ii

in urbem commodissima: a mari uero uenientibus difficilis, ac fere inaccessa, aditus habens quæ paucissimos. Quam ob rem ueriti Sinopenles, ne Mithridates tormentis, machinisque non solum ab ea parte, quæ Asiam contingit, uerum etiam ab aliis lateribus, dimissis in terram copiis, urbem oppugnaret, omnem eam partem, quæ mari claudit, uallo diligentissime munierunt, constitutis militibus, qui hostes, si uenirent, sagittis a terra arcerent. Quippe circuitus loci mediocris est, nec magno præsidio indigens. Hæc cum Sinope gerebantur, Philippus Rex e Macedonia cum copiis profectus (hinc enim superius digressionem feceramus) in Thessaliam, atque Epirum exercitum ductabat, maturans per eas regiones transitum in Aetoliam facere. Alexander autem & Dorimachus eodem tempore de capienda per prodicionem Aegira cogitantes, congregatis Oeanthiæ mille & ducentis Aetolis (quippe ea urbs Aetolorum est huic, de qua loquimur, opposita) nauibusque ad transfretandum paratis, opportunitatem perficiendæ rei præstolabantur. Perfuga quidam ex Aetolia iam diu apud Aegiratas moram traxerat. Hic cum se penumero animaduertisset custodes eius portæ, qua iter est Aegium, per ebrietatem negligentius se habentes, eam rem Dorimacho retulit, & ad urbem noctu capiendam hortatus est, hominem alioquin huiusmodi rebus assuetum. Est autem Aegira urbs Peloponnesi iuxta Corinthiacum sinum inter Aegium & Sicyonem sita in quodam colle aspero atque difficili, ad Parnasum uergens, distantque a mari circiter septem stadia. Cum igitur transfretationis tempus aduenisset, Dorimachus deportato exercitu, & omnibus strenue prouisus antequam dilucesceret, ad amnem peruenit, propter eum collem, in quo urbs sita est, defluentem. Hinc ipse & Alexander atque Archidamus Pantaleonis filius maxima multitudine Aetolorum comitati ad urbem feruntur, ea uia, quæ ab Aegio ducit. Perfuga cum uiginti aptioribus militibus aliquando cæteros ob experientiam loci præcesserat, ac per saltus pene inuios peruenerat ad moenia, ubi per cloacam urbem ingressus, custodes adhuc somno sepultos offendit. Quibus interfectis, uectibusque securi abscissis, nemine sentiente portam Aetolis reclusit. Quod conspicientes Aetoli magno impetu in urbem feruntur, temere nimium atque inconsiderate se gerentes. Quæ res Aegiratis quidem uictoriam, ipsis uero cladem simul atque ignominiam peperit. Etenim Aetoli actum de Aegiratis existimantes, cum primum ipsi intra moenia consisterent, hunc in modum se gessere. Congregati aliquandiu in foro constiterunt, mox dilucescente die ad priuatas utilitates omnes conuersi, palatiumque per urbem alii alias domos adgredi, fortunas ciuium diripere, urbem totam populari, denique nulli rei, præterquam prædæ intenti esse.

esse. Aegiratae magnitudine, ac nouitate facti commoti, hi quidem, ad quorum domos grassati hostes fuerant, timore percussi, extra ciuitatem fugere, Aetolis iam manifeste urbem tenentibus. Qui uero auditis tubarum clangoribus adhuc integra re familiari in subsidium ciuitatis exiuerant, omnes sese in arcem recipere. Quam ob rem hi quidem continue plures ac fortiores fieri, Aetoli contra rariores, debilioresque, illis se iugiter ad defensionem urbis in arcem congregantibus, his semper domos prædandi gratia diuidentibus. Dorimachus, & si imminens periculum animaduertebat, nihil tamen ob eam rem commotus, incredibili audacia in arcem impetum facit, ratus qui eo conuenerant, aduentu suo perterritos, mox se Aetolis dedituros. Sed non fuit Aegiratis animus in propulsando periculo, quin incredibili constantia, ac fortitudine animi persistentes, hostem arcebant. Vtrinque igitur acerrime pugnabatur. Et quoniam arx nullis erat circumdata moenibus, pugna singulari certamini quæsimilima committebatur. Aliquandiu atrociter, atque equo Marte pugnatum est, his de patria ac liberis, illis de propria salute dimicantibus. Ad extremum tamen Aetoli fugere turpiter coeperunt, qua capta occasione Aegiratae auctis animis eos insequerentur. Ex quo accidit, ut plurimi Aetolorum, dum præ timore tumultuarie fugerent, in ipso exitu portæ se inuicem oppressi extinguerentur. Alexander in prælio strenue dimicans occisus est. Dorimachus in tumultu, dum portam egredi contenderet, occubuit. Reliqui autem in eodem loco oppressi, aut per præcipitia ruentes occiderunt. Pauci admodum salui, armis tamen turpiter in bello amissis, ad naues peruenere. Per hunc modum Aegiratae perditam fere per seignitiam patriam incredibilem animi magnitudine recuperarunt. Sub idem tempus Euripides, qui Dux ab Aetolis missus Eliensibus fuerat, peragratis Dymensium & Pharensium, & Tritensium agris, ingentem abigens prædam, iter in Eliensem terram tenebat. Quod cum Miccus Dymensis audisset, qui forte ea tempestate in locum Ducis Achæorum susceptus fuerat, auxiliantibus Dymensibus, ac Pharensibus, et Tritensibus, abeuntes hostes insecutus, dum inconsultius ruit, in hostium insidias lapsus profligatus est, multosque ex suis amisit. Siquidem quadraginta pedites desiderati, capti uero ducenti. Euripides re feliciter gesta animo elatus, paucos post dies rursus eductis copiis, castellum quoddam Dymensium opportunissimum cepit, quod incolæ Murum appellant, feruntque ab Hercule olim, cum aduersus Elienses bellum gereret, ædificatum fuisse, quo ueluti munimento ac receptaculo belli uteretur. Dymenses, Pharenses, & Tritenses supra dicta clade affecti, & futura propter captum ab Euripide castellum for-

midantes, primo literas ad Ducem Achæorum dedere, quibus eum de rebus gestis certiores facerent, peterentque aduersus Aetolos subsidium Posthæc nonnullos ex principibus ciuitatum suarum legatos ad eundem miserunt. Aratus neque mercenarium militem contrahere poterat, ob non solum ab Achæis tempore Cleomenici belli militibus suis stipendium, & rebus omnibus timide, atque imprudenter utebatur. Quam ob rem & Lycurgus Athenium Megalopolitarum oppidum cepit, & Euripides præter id, quod supra memorauimus, aliis quoque circumstantibus oppidis potitus est. Dymenses, Pharenenses, & Tritenses spe, quam in Duce Achæorum habuerant, frustrati, inter se decreuerunt, ne qua deinceps pecunia in bellicos usus Achæis solueretur, sed ipsi per se mercenarios contraherent pedites circiter trecentos, equites quinquaginta, quibus se, patriamque tuerentur. Quo facto priuatis quidem rebus satis uisi sunt consulere, nullam autem rerum publicarum rationem habuisse. Pessimum enim cæteris exemplum dederunt quantulacunque ex causa res nouas moliendi. Cuius rei culpam merito quis in Ducem transtulerit, per segnitiam atque ignauiam expectationem suorum fraudantem. Est enim ita comparatum, ut omnes qui in periculo sunt, quod diu spem subsidii in amicis ac sociis habent, tamdiu cum iis amicitiam putent seruandam. Vbi uero spes omnis sublata est, tunc ipsi per se propriis rebus consulere coguntur. Quam ob rem danda quidem uenia est Dymensibus, Pharensibus, & Tritensibus, quod in summo ciuitatum suarum discrimine mercenarios conducere, Duce Achæorum segniter se habente. Quod uero erogare in communes usus pecuniam uoluerint, haud quam ignoscendum. Ut enim decebat non premittere proprias necessitates, ita erat turpissimum ea relinquere, quæ ad salutem communis Reipublice pertinerent. Hic igitur erat Peloponnesiacarum rerum status. Rex Philippus, peragrata iam Thessalia, in Epiro aderat. Hinc accepta multitudine Epirotarum una cum Macedonibus, quos secum duxerat, & trecentis funditoribus, quos ex Achaia habuerat, item trecentis Cretensibus, qui missi a Messeniis fuerant, in Ambratiotarum regionem peruenit. Vbi si statim facto impetu in mediterranea Aetoliæ loca grassatus fuisset, hic finis totius belli erat futurus. Verum persuasus ab Epirotis, ut primo Ambracum expugnaret, occasionem Aetolis præbuit ad resistendum, & quicquid necessarium foret, ad res suas tuendas, prouidentum atque parandum. Epirotique enim priuatum commodum publicæ sociorum utilitati præferentes, affectantescque summo studio Ambracum suæ ditionis facere, Philippum hortati sunt ad eum locum obsidendum, & antequam ulterius progredieretur, capiendum. Per commodum enim futurum rebus suis arbitrabantur,

si Am-

si Ambracia Aetolos priuarent. Venturam autem eam urbem quam facillime in potestatem suam, si prius hoc loco potiretur. Est enim Ambracus locus & naturali situ, & duplici muro munitissimus, ita undique paludibus clausus, ut unum duntaxat a terra aditum habeat, eumque arctissimum, ac manu factum, præterea ipsi urbi, ac prouintiae Ambratiotarum quasi supra caput imminet. Philippus igitur ab Epirotis persuasus, positus circa Ambracum castris, necessaria ad obsidionem parabat. Eodem tempore Scopas, congregata Aetolorum multitudine, per Thessaliam profectus in Macedoniam irruit, omnemque regionem iuxta Pieriam montem ferro ignique depopulatus, cum omnis generis præda uersus Diuum abiit. Unde cum ii, qui locum incolebant, aufugissent, domos omnes, gymnasiumque funditus diruit: ne his contentus, porticus etiam ingenti sumptu circa templum instructas, incendit. Præterea omnia, quæcumque uel ad ornatum, uel ad usum ibi erant posita, uastauit. Postremo regum imagines omnes euertit. Hic igitur statim initio belli, & quasi primo impetu non solum homines, uerum etiam Deos aggressus discessit, reuersusque in Aetoliam, non ut impius ac nepharius in Deos immortales, sed ut bonus uir, & bene de Reipublice meritus, atque honoratus est, magna spe futurarum rerum Aetolis addita. Ex hoc enim rebatur, ut nemo quidem in posterum appropinquare regioni suæ hostiliter auderet: ipsi uero populabundi non solum in Peloponnesum grassari, ut consueuerant, uerum etiam in Thessaliam & Macedoniam libere possent. Philippus auditis, quæ in Macedonia gesta erant, statimque ignorantiae, atque auaritiæ Epirotarum poenas luens, Ambracum obsidebat, ubi omnigenere machinarum ac tormentorum usus intra XL. dierum spatium eo loco potitus est, dimissoque ibi, fide prius ab iis accepta, Aetolorum presidio, de syderio Epirotarum satisfecit, Ambraco eis quasi per manus tradito. Posthæc motis castris iter per propinquam uallem direxit, festinans Ambracum sinum quam celerrime transfretare, qui arctissimus est iuxta Acarnanum templum, quod Antium appellatur. Fluit autem is sinus ex mari Siculo inter Epirum et Acarnaniam faucibus quam arctissimus, uix enim ad sexcentos passus in latitudinem patet. Vbi uero in mediterraneam partem diffunditur, latitudinem habet fere centum stadiorum, longitudinem incipiendo a mari Siculo CCC. stadiorum, diuiditurque Epirum ab Acarnania, a Septentrione Epirum habens, Acarnaniam a meridie. Traiecto igitur cum copiis sinu, Acarnaniam ingressus ad urbem Aetoliæ peruenit, quam Poetiam uocant, ductis secum ex Acarnania duobus millibus peditum, equitibusque ducentis. Hic dispositis circa urbem castris, post multa acriterque certamina, perendie quam eo uenerat, urbem pactionibus cepit, relicto in eo post fidem ab iis acceptam

Aetolorum praesidio. Sequenti nocte quingenti Aetoli rem adhuc in integro esse existimantes, in suorum subsidium ueniebant. Rex aduentu eorum cognito, dispositisque in itinere insidiis, magnam partem illorum occidit, reliquos coepit. Pauci fuga salutem quaesiuere. Posthac distributo inter milites triginta dierum frumento (Maximam enim ea urbs frumenti copiam habebat) in Stratensem profectus est agrum, castraque iuxta Acheoloum amnem posuit, procul ab urbe circiter decem stadia. Hinc per omnem prouintiam grassatus, nemine exire obuia audente, omnia ferro ignique uastauit. Sub idem tempus Achaei bello praeter caeteros afflicti, ne longe iam abesse Regem audientes, missis ad eum Legatis auxilium poscunt. Legati Philippo ad Straton oppidum occurrunt, expositisque, uti mandatum fuerat necessitatibus suis, subsidium precantur: & Regi, ut transfreta to Rhio iter in terram Eliensem teneat, multis suadent rationibus. Quibus auditis Philippus, Legatos quidem in praesentia dimisit, consulturum se de rebus huiusmodi pollicitus. Ipse uero motis castris uersus Metropolim profectus est. Quod sentientes Aetoli, relicta urbe omnes in arcem confugerunt. Philippus incensa Metropoli, iter profectus Conopen tendit. Vbi cum congregati Aetoli equites in transitu fluminis ei occurrere statuisserent, loco ad XX. stadia ab urbe remoto, & aut omnino prohibere eum transitu, aut, si transiret, cum eo configere. Philippus, intellecto eorum consilio, mandat scutatis, ut primi omnium flumen ingrediantur, collectisque in unum immota acie exitum tentent. Qui cum dicto paruissent, Aetoli primis ordinibus, quia conferti erant frustra tentatis, item postea secundis, & tertiis, tandem desperatis rebus, in urbem reuersi sunt, ac iam de caetero Aetolorum exercitus intra oppida commorabatur. Philippus uero libere per omnem prouintiam discurrens populabatur, uastabatque omnia compluribus ditioni suae subactis oppidis & situ, & moenibus munitissimis, castellisque omnibus, quae in ea regione plurima erant, funditus demolitis. Posthac remissius ac placidius faciebat iter, facta suis potestate in priuatas utilitates, qua uellent, diuertendi. Affluentem deinde copia omnium rerum exercitus uersus Eniadas mouit, positisque iuxta Peanium castris, id primum decreuit expugnare, ne longe post multis commissis certaminibus expugnauit, urbem haud quidem magnam, quippe quae minus mille passibus in circuitu patet, sed omni apparatu murorum, turrium, domorumque haud caeteris inferiorem. Huius moenia euertit funditus, domos deuastauit, ligna, tegulasque ratibus transfuehi per flumen ad Eniadas iussit. Aetoli primo ad defendendam Ceniadarum arcem accingere se coeperunt, muro ac fossa, praeterea rebus ad propugnandum

pugnandum necessariis eam munientes. Postquam uero appropinquare Philippum intellexerunt, timore perculsi, fugam omnes arripuerunt. Philippus, nemine iam resistente, hoc quoque oppido potitus, exercitum in Calidoniam duxit ad oppidum quoddam munitissimum, cui Claos nomen est, & moenibus, & omni apparatus genere tutissimum. Macedones hoc quoque oppido per uim potiti, passim deuastando Calidoniam discurrent: deinde rursus ad Eniadas reuertuntur. Philippus, considerata loci opportunitate, cum ad alias res gerendas, tum uel maxime ad transendum in Peloponnesum, instaurare urbem moenibus decreuit. Primo igitur arcem separatim muniuit: deinde portu naualibusque muro circumdatis, haec quoque cum arce coniunxit, usus ad id opus peragendum materia, quam ex Peanio uectam supra memorauimus. Cum in his uersaretur Philippus, literae e Macedonia afferuntur, significantes, Dardanios, quia de transitu eius in Peloponnesum dubitarent, summo studio delectum habere, parareque ad bellum necessaria, ut mox in Macedonia transirent. Quae cum rex intellexisset, extemplo succurrendum Macedoniae ratus legatos Achaeorum remisit, dato eis responso, quod cum primum Macedoniae res collocare in tuto potuisset, nihil sibi magis curae foret, quam cum omnibus uiribus in Achaeorum subsidium uenire. Posthac motis castris, summa celeritate per ea, per quae uenerat, loca reuertebatur. Transfretanti Ambracium sinum ex Acarnania in Epirum in una Lembo Demetrius Pharius occurrit, quem Illyrio expulsum a Romanis supra memorauimus. Hunc rex benigne, atque humaniter amplexum iussit in Corinthum nauigare: deinde, per Thessaliam in Macedonia proficisci. Demetrius igitur in Epirum profectus, mox, uti iussum fuerat, se in Macedonia contulit ad urbem Pellam. Dardani, cum per Thracas quosdam perfugas aduentum Regis intellexissent, timore perculsi, subito exercitum dissoluere, quam non longe iam aberant a Macedonia. Philippus cognita Dardanorum poenitentia, potestatem suis omnibus fecit colligendi nouas fruges, & in suam cuiusque regionem abeundi, ipse in Thessaliam profectus, reliquam partem aestatis Larissae egit. Sub idem tempus Aemilius Paulus ex Illyriis reuersus Romam, triumphauit. Annibal Sagunto per uim potitus, in hyberna copias dimiserat. Romani nuncio de Sagunti excidio accepto, legatos ad petendum Annibalem Carthaginensem mittebant, simulque necessaria ad bellum parabant, P. Cornelio, & T. Sempronio creatis Consulibus. Quibus de rebus, quae particulatim dicenda erant, superioribus libris exposuimus. Nunc autem summatim memorie gratiae repetimus, ut, quod polliciti fuimus, omnia, & simul ante oculos

legētibus ponātur. Primus igitur eius olympiadis annus perfectus est. Aetoli, cum tempus comitorū adesset, Dorimachum ducē belli elegerunt. Hic subito magistratū ingressus, collecto armorum numero in superiorē partem Epiri impetum fecit, omnemque eam regionē fcede nimium, atque hostiliter depopulatus est, ut non tam utilitatis suę, quā exidii Epirotarum gratia id facere uideretur. Tum ad templum Dodonæi Iouis profectus porticus incendit, ornatum omnem templi deuastauit, ipsam denique ædem euertit, adeo nullum uel pacis, uel belli modū seruare sciunt, sed in utroque communem hominū morem, & quasi naturalem legē transgrediuntur. Hæc tot, aliaque cū Dorimachus patrasset, domum reuersus est. Durante autem adhuc hyeme, omnibusque & aduentum Philippi ob tempestatē anni desperantibus, rex acceptis tribus millibus clypeatorum, & scutorū duobus millibus, Cretensibus item trecentis, præterea quadringentis fere equitibus, Larissa profectus est, & facto per Thessaliā itinere, in Euboeam penetrauit. Inde per Bœotiā et Magaridam tempore Aequinoctii hyemalis Corinthū uenit, ita clam facto itinere, ut nemo Peloponnesiorū id senserit. Clausis deinde Corinthi portis, et custodiis itineri adhibitis, sequenti die Aratum seniore ex Sicyone ad se uocauit. Tum literis ad Ducē Achæorū, & ciuitates missis, certiores eos fecit, quādo, & quo loco conuenire armari deberēt. His rebus hunc in modum cōstitutis, iter ceptū profectus, castra iuxta Dioscorium Philiæ oppidū posuit. Per idem tēpus Euripides cū duabus legionibus Eliensium, et piratis, ac mercenariis militibus, ut omnes ad duo millia & ducēti essent, præterea cū equitibus fere centum Psophide discedēs, per Phœnicē & Stymphaliā terrā iter faciebat, ignarus progressus Philippi, & uastari ac depopulari Sicyoniorū agrum cupiens. Accidit, ut, qua nocte Philippus iuxta Dioscorium castrametatus est, Euripides cū prima luce eum locū prætergressus Sicyoniorū agrum intrauerit. Cretenses quidā ex iis, qui cum Philippo erant, cum forte relictis ordinibus pabulatū proficiscerent, in eum incidere. Ex quibus cum præsentiam Macedonū cognouisset, nihil cuique locutus, eadem, qua uenerat, uia domū copias reduxit, intendēs, speransque se facile, postquam Stymphaliā terram prætergressus fuisset, in locis iniquis fundere Macedonas posse. Philippus hæc minime intellecta, cum prima luce, uti statuerat, exercitum mouit, iter sub ipso Stymphalo uersus Caphyras facturus. Eo enim conuenire in armis Achæos per literas iusserat. Cum primi milites Macedonum ad summitatem eius collis peruenissent, quem incolæ Apeaurum uocant, distatque a Stymphaliorum urbe

circiter

circiter decem stadia, forte fortuna accidit, ut Eliensium quoque primi ad eandem summitatem peruenirent. Quare cognita Euripides iniquitate loci ac temporis perterritus, fugam cum paucis arripuit, & per saltus pene inuios Psophidem peruenit. Reliqua multitudo Eliensium simul deserta a duce, simul nouitate rei percussa, aliquandiu quid agendum foret, dubitauit. Post hæc ex genere armaturæ, Galeati enim Macedones procedebant, Megalopolitanos eos esse rati, conserta acie, & seruatis ordinibus aliquantum processere, salute haud quaquam desperata. Vbi uero propinquiores facti sunt Macedones, ueritatem rei iam plane intelligentes, omnes se abiectis armis in fugam uerterunt. Ex his fere mille & ducenti uiui in potestatem hostium peruenere. Reliqui aut a Macedonibus instar pecudum trucidati, aut per præcipitia lapsi, mortem obiере. Pauciores centum fuga seruauit. Philippus, præda & captiuis Corinthum missis, iter profectus. Peloponnesiis id factum mirabile uisum, fama eodem tempore & aduentum regis, & uictoriam nunciante. Cum per Arcadiā iter rex faceret, multis in itinere niuium, ac locorum difficultatibus fatigatus, tertio die intempesta nocte Caphyras peruenit. Hic curatis triduo corporibus, & Arato iuniore cum copiis, quas habebat, secum accepto, ita ut esset exercitus omnis ad decem millia hominū, Psophidē per Cletorium uenit, cōgregata ex ciuitatibus, per quas transiuit, telorum ac scalarū multitudine. Est aut Psophis antiquissimū Arcadum oppidū in medio Peloponnesi situm, eam partē Achæi cōtingens, quæ ad occidentē uergit, & Eliensium regionī peropportune imminens, per quos tum forte regebatur. Ad hanc Philippus tertio, postquam Caphyras discesserat, die profectus, castra in oppositis urbi collibus collocauit, ex quibus urbem & circumstantia omnia loca tuto cernere poterat. Hinc igitur cum munimenta urbis animaduerneret, aliquandiu anceps consiliū fuit. Ab occidente enim iuxta mœnia urbis scelicissimus torrens defluit: qui, cum magna hyemis parte intransfretabilis sit, aditum ad urbē ex eo latere prohibet. Ab oriente uero Erymanthum habet, magnum ac præcipitem fluuium, de quo multa a poetis atque historicis narrantur. Torrens ipse, de quo supra diximus, in Erymanthum defluens, tertium quoque a meridie latus tutissimū reddit. Quarto aut quod ad Septentrionem uergit, collis superstat asper, atque difficilis, et quasi opportunissime arcis locum tenens. Ita urbs a tribus lateribus aqua, a quarto tuto reddit colle, præterea ex omni parte mœnibus claudit, magnitudine atque opère excellētibus. Postremo erat in ea Eliensium præsidium, & Euripides fuga seruatus proxime se eo receperat. His oibus cōsideratis Philippus, partim

ab expugnatione urbis retrahebatur ob difficultatem rei, partim ob loci opportunitatem, ad eam obsidendam inflammabatur. Nam quantum tunc ea urbs detrimenti Achæis atq; Arcadibus afferebat, cum munimentum quoddam, & quasi receptaculum belli tutissimum Eliensibus foret, tantum econtrario, si caperetur, allaturam Eliensibus detrimenti, & munimentum ac receptaculum belli Arcadibus futuram arbitrabatur. Quamobrem in hanc tandem sententiam inclinatus, Macedonibus nunciauit, ut cum prima luce refectis cibo corporibus, omnes instructi ac parati forent. Posthæc Erymanthi pontem transgressus, nemine ob nouitatem ac magnitudinem rei iter eius impediente, sub ipsa urbis mœnia intrepidus uenit. Euripidem, cæterosq; qui in ciuitate erant, factum id ancipites consilii fecit. Nam neq; ui expugnari a se posse urbem adeo munitam existimare Macedones putabant: neq; diutius ea anni tempestate obsidionem tolerari. Quamobrem, ne prodicionem uocati essent ab aliquo intra urbem habitantium, uerebantur. Vbi uero nihil eiusmodi in ciuitate tentari uident, magna pars ad defendenda mœnia concurrat. Mercenarii Eliensium per portam castris supereminentem eruptione facta, in hostes feruntur. Philippus tribus in locis, qui scalas mœnibus admouerent, constitutis, & sufficienti Macedonum numero singulis partibus addito, dari per præconem signum iubet. Quo facto, incredibili ardore omnes pugnam capessunt. Obsessi principio acerrime propugnantes resistebant, multis ex scalis, cum transcendere mœnia conarentur, deiectis. Vbi uero & tela, & omnis necessariarum rerum apparatus propugnantibus defuit, utpote qui ex improviso ad mœnia cucurrerant, nec perterriti Macedones, retrahebant gressum, sed in deiecto locum proximus quisq; scalas ascendebat: conuersi tandem in fugam obsessi, omnes se in arcem recepere. Ex iis, qui cum rege erant, Macedones quidem mœnia transgrediuntur. Cirtenses uero cum his, qui ex superiore urbis parte eruptionem fecerant, congressi, ad extremum eos adegerunt, ut abiectis turpiter armis capesserent fugam. Quos ingenti impetu insecuti, multis eorum in itinere interfectis, una in urbem irruere. Ex quo accidit, ut eodem fere tempore undiq; capta urbs fuerit. Vniuersi ciues cum filiis & uxoribus in arcem confugere. Idem ab Euripide factum, reliquisq; qui id periculum euaserant. Macedones urbem ingressi, publica, priuataq; omnia diripere, dehinc quietem agentes in ciuitate morabantur. Qui arcem tenebant, cum & comætu, & omnibus necessariis carerent, prospicientes futurum, de deditioe agere cœperunt. Misso igitur ad Regem caduceatore, & accepta

uenia

uenia mittendę legatiōis, principes ciuitatis, & cum his Euripidem ad Philippum mittunt. Hi cum rege cōposuere, ut dedita arce liceret ciuibus simul, atq; aduenis libere abire. Quo facto rursus in arcē redierunt, iussi a Rege, ne prius inde discederent, quam ipse ex urbe copias eduxisset, ne forte in milites suos incidentes, præda fierent. Rex ob tempestatē anni necessario in ea urbe aliquot diebus moram traxit. In quibus uocatis in contionem Achæis, qui in exercitu erant, multa locutus est de situ atq; opportunitate eius urbis ad præsens bellum gerendū, & fidem ac beneuolentiam suam in eam gentem pluribus uerbis commemorauit. Postremo tradere se, inquit, eam urbem Achæis, quo palam intelligerent hoc sibi propositum esse, omnibus in rebus gratificari Achæis, nihilq; in rebus illorum studii ac promptitudinis omittere. Quæ cum dixisset, agentibus gratiam Achæis, & beneuolentiam Regis amplexantibus, Philippus contionem dissoluit. Nec multo post iussis conuenire militibus, Lassionem uersus exercitum mouit. Psophidii relicta arce, in ciuitatem uenere, omnesq; in suas quisq; domos reuersi sunt. Euripides cum suis primo Corinthū, deinde Aetoliam abiit. Duces Achæorum præsentem Proslam Sicyonium cum sufficienti præsidio in arce posuere, urbi Pythiam Pellensem præfecerunt. Hunc finem res Psophidiorum sunt sortite. Eliensium præsidium, quod Lassioni erat, per spectata Macedonū præsentia, & his, quæ Psophidi gesta erant, per nuncios cognitis, magnitudine rerum deterriti urbem deseruerunt. Quo factum est, ut Philippus simul & uiderit eam, & cœperit. Hanc quoq; Achæis in eadem beneuolentia permanens dono dedit. Similiter Stratton ab Eliensibus captum Telphusius tradidit. His gestis post eius diei diem quintū Olympiam uenit. Hic peractis deo rite sacrificiis, ac epulo publico ducibus facto, recreatisq; triduo militibus, postridie educit copias, & in Eliensem agrum profectus prædandi copiam militibus fecit. Ipse iuxta Artemisium castrametatus, non longe post abducta inde præda rursus Dioscorium rediit. Vbi crebris per prouintiam incursionibus factis, ingens hominum multitudo capta, plurimi in propinquas uillas, ac locos natura munitos recepere. Est em̄ Eliensium regio et multitudine corporum, & copia omniū rerum inter cæteras Peloponnesi regiones refertissima, quippe magna pars habitantium ita agriculturæ dediti sunt, ut secundā & tertiam ætatem ruri agentes, multis alioquin diuitiis præditi, nunquam ciuitatem ingrediantur. Quod ideo accidit, quia optimates ciuitates cultores agrorum curare habent, magnaq; diligentia, ac studio obseruant, ne quid uel ad usum uitæ necessarium nō

T

habeant, uel per iniuriam ab aliquo patiantur. Videntur autem mihi hoc ueteres instituisse, tum ut allicerent homines ad hanc regionem habitandam, tum potius, q̄ olim sacram uitam uiuebāt, cum Græcorum omniū propter certamen Olympicū concessione, sacram & tutissimam regionem habebant, omniū malorū, & omnis bellici tumultus expertes. Postquā uero orta inter Arcades de Lasiōe, & Pisa cōtentione coacti sunt bellum pro patriæ defensione suscipere, ac pristinam uitę rationem mutare, nullam amplius curam habuerunt, consequendi ueterem illam, & quasi hereditariam a Græcis libertatem, sed in eodem statu permansere, haud rectam futurarum rerum providentiā facientes. Nam si quod omnes a Diis immortalibus precamur, quodq̄ ut assequamur, omnia sustinemus, & quod omniū confessione indubitātū est apud homines bonum, pacem uidelicet, atq̄ concordia, si hoc, inquam, seruato officio, atq̄ iusticia, consequi a Græcis aliqui in perpetuum possint, & uel contemnant id, ac pro nihilo habeant, uel aliquid pluris aestiment, nonne stultissimi sint, & omni ratione carētes? Sed per louem, dicet aliquis, si qui hanc uiuendi rationē custodiant, inutiles erunt ad resistendum, si quando bello, aut alio iniuriarum genere infestabūtur. At hoc certo pererratum est, quod si aliquando acciderit, cōmuni Græcię auxilio defendi poterunt, aut, si priuatim ab aliquo offendētur, haud difficile erit per se ipsos mercenarios cogere ex pecuniis, quas longa pace ac tranquillitate rerum cōparauerint. Nunc autē id timentes, quod rarissimū est, & præter omniū opinionē accidit, cōtinuis bellis, ac turbationibus secq̄, & regionē suam conficiunt. Hęc quidē libenter de Eliensibus memorauimus, quoniā nulla unquā tempora maiore eis, q̄ hęc nostra, oportunitatem præstitere consequendi eam, de qua locuti sumus, ab omnibus libertatē. Hanc igit̄ regionē, uti supra diximus, ex ueteri cōsuetudine passim, ac secure populi habitabāt. Quam ob rem innumerabilis multitudo hominū a Macedonibus capta, multis alioquin in tutiora se recipiētibus. Quippe ingens hominū & beluarū, ac plurimarū deniq̄ rerum multitudo cōgregata erat in propinqua uilla, quæ uulgo Thalamus dicit̄, q̄ regio quę eam amplectit̄, arctissima est, ac p̄difficilis aditu, & uilla ipsa aspera, ac fere inaccessa. Philippus cum nunciatum esset, magnam multitudinē eo cōuenisse, nihil intentatū relinquere uolens, cū mercenariis militibus loca præoccupat, in aditū eius peropportuna. Ipse relictis castris, impedimētis, ac magna parte copiarū cum scutatis & leuioris armaturæ militibus per loci angustias procedit, ac nemine iter impediēte, ad uillam peruenit. Cuius rei magnitudine, qui eo confu-

gerant

gerant, deterriti, & simul imparati ad bellicos usus atq̄ insueti, præterea multos per ætatem inutiles ad bellum secum habentes, confestim se dediderunt. In quibus erant mercenarii milites ex uariis generibus fere ducenti, quibus præerat Amphidamus dux Eliensium. Philippus omni genere prædæ, & quinq̄ millibus hominū potitus, præterea quadripedum infinita pene multitudine, in præsentia quidem in castra rediit. Postea uero cū onustus præda miles inutiles ad res gerēdas uiderēt, motis castris rursus Olympiam remeauit. Apelles unus erat ex tutoribus, ab Antigono puero relictis, & tunc auctoritate ac gratia plurimū apud Regem pollebat. Hic cū agitare animo cœpisset, quo pacto Achæorum gentem in eum statum posset adducere, in quo Thessali erant, nefandū orsus est facinus. Thessali quippe secundū leges suas uiuere, multumq̄ differre a Macedonibus uidebant. Tantum autē aberat, ut ab his quicq̄ differēt, ut omnia instar Macedonum paterētur, atq̄ ea omnia facerēt, quę regibus uiderētur. Quam ob rem ad hoc intentus Apelles, eorum qui in castris erant, tentare animos cœpit. Primo igitur Macedonibus mandauit, ut semper Achæos, si qui forte loca præoccupassent, ex stationibus expellerent, item prædam ab his auferrent. Posthęc quālibet leui ex causa uerberari eos per ministros iubebat. Si qui uero aut de huiusmodi iniuriis quererētur, aut auxiliū uapulātibus ferrent, ipse eos in uincula ducebat, sperans tandem per hūc modū efficere, ne quid graue Achæis ex consuetudine uideretur, quod regi libitum esset. Cæterum cū congregati quidā Achæici iuuenes ad Aratum uenissent, & consiliū Apellis patefecissent, Aratus ei rei initio succurrendum ratus ad Philippum uenit, ductisq̄ secum iuuenibus rem ordine rei exposuit. Quibus auditis Philippus, iuuenes quidem bono animo esse iussit, utpote quibus nihil tale in posterum cōtingeret, Apelli in mandatis dedit, ne quid amplius sine Ducis sententia de Achæis statueret. Philippus quidem certe & eloquentia ac suauitate orationis in militum contionibus, & in rebus bellicis calliditate atq̄ audacia, nō solum militum, sed omnium Peloponnesiorum iudicio præstabat. Nec facile fuisset Regem reperire pluribus naturæ dotibus ornatum. Solertia quidem, & memoria & gratia erat in hoc homine insignis, præterea aspectus imperio dignus, regia potentia, maximum robur, & inaudita in rebus bellicis animi magnitudo. Quibus tot, tantisq̄ uirtutibus cum imperii fundamenta iecisset, quæ tandem causa naturam eius peruerterit, & ex iusto ac pio Rege impium ac sceleratum tyrannum fecerit, haud facile esset differere. Quam ob rem hoc in aliud tempus reseruandum. Nunc ad propositū

T ii

reuertamur. Philippus, motis ex Olympia castris, primo Phariam uenit, deinde Eream, ubi uendita praeda, de qua supra memorauimus, potestatem supra Alphiū struxit, uolens illac iter in Triphaliam facere. Per idē tempus Dorimachus Aetolorū Dux, petētibz subsidium Eliensibus, cum ager eorum deuastaret, circiter sexcentos Aetolos, & Ducem Philidam misit. Hic in Eliensem regionē profectus, acceptis Eliensium mercenariis, numero fere quingentis, præterea urbanis mille, item una Tarentinis, in sociorū subsidiū in Triphaliā uenit, quæ a Triphalo Arcade nomen habēs, in Peloponneso sita est, inter Eliensium ac Messeniorū regiones. Vertitur autē in Libycū pelagus, Achaiam cōtingens ad Occidentē hyemalē, cōtinetq; has urbes, Samicon, Lepreon, Hygiannan, Typaneas, Pyrgon, Epion, Bolacas, Tylangion, Phryxan. Quas cum paucis ante temporibus Elienses tenerēt, Alphirensium quoq; urbem acceperāt, quæ antea Arcadiæ erat, Alliado Megalopolitano, quo tempore tyrannidem exercebat, hanc illis per permutationē tradente simul ac autē Triphaliā ingressus est Philidas, Elienses quidē Lepreon, mercenarios Alphiram misit. Ipse Aetolos secū habēs, Typaneis morabat. Philippus, relictis impedimentis, & flumine Alphio per pontem traiecto, quod iuxta Ereae urbis fuit moenia, Alphiram uenit, quæ in colle quodā sita ex omni parte prærupto plusq; X. stadiorū iter in ascensu cōtinet. Habet autē in summitate collis arcem, & æneam Mineruæ statuam, longe a cæteris specie ac magnitudine differentē. Quæ a quo, aut cuius sumptibus, quoue tēpore erecta fuerit, etiā apud eius loci incolas dubitatur. Hoc inter omnes constat, opus esse inter omnia opera Hecatodori & Sostrati excellentissimū. Cum igitur clarus, ac serenus aduenisset dies, Philippus dispositis in aurora pluribus in locis, qui scalas ferebant, & ante eos mercenariorū ordinibus, ac inde Macedonū collocatis, cū primum ortus est Sol, omnibus mandat, ut facto impetu collem ascendere, ac oppugnare urbē maturent. Quibus mandata peragentibus, accidit, ut Alphirenses ad eum semp locū oēs concurrerent, in quo magis eniti Macedonas uidebant. Sub idem tēpus Philippus delectos ex omni numero milites secū habens, clam per prærupta quædā loca ad arcis moenia deuenit. Hic oppugnantibus ex omni parte urbem militibus, & scalas undiq; moenibus admouētibus, Philippus quoq; receptaculum quod circa arcē erat, adgredi cœpit, eoq; statim, quia uacuum militibus erat, potitus est. Quod ubi Alphirenses ex moenibus perspexere, recēti periculo deterriti, timētēsq; ut occupata a Macedonibus arce, nulla sibi amplius spes salutis relinqueret, cōfestim omnes desertis moenibus ad arcem

arcem confugere, quo facto Macedones subito & moenia, & urbem occuparunt: posthæc qui arcem tenebant, missis ad Philippū legatis, salutem pacti, arcem quoq; dedidere. His rebus peractis, perterriti Triphaliæ populi de sua ac patriæ salute cōsultabant. Philidas Typaneis profectus, direptis quibusdā domibus, Lopirū fugit. Talis tūc merces Aetolorum sociis persoluebat, ut nō solum in summo rerū discrimine destituerēt, uerum etiā ea paterentur a sociis, quæ uix perpeti ab hostibus debuissent. Typaneatē urbem euestigio Philippo dediderunt. Idē Hippanam habitantes fecere. Inter hæc Phialenses auditis, quæ gesta in Triphalia fuerant, Aetolorum societate detestates, locū iuxta Polemarchū armati cœpere. Piratæ Aetolorum, qui tum forte Messeniorū gratia in ea urbe morabatur, principio resistere Phialensibus conati sunt. Postea cū animaduernerent uniuersam ciuitatē unanimiter conuenire, a proposito destiterunt, & collectis sarcinis suis, ex urbe sunt profecti. Phialenses missis ad Philippū legatis, seq; & urbem in potestatem Regis posuerunt. Quibus peractis, Lepreatæ occupato urbis peropportuno loco, de eiiciendo ex urbe Eliensium, & Aetolorum, & Lacedæmoniorum præsidio consilium inierunt. Philidas principio nihil ob eam rem motus, in ciuitate permanebat. Cum uero in terra Rex Taurionem cū parte copiarum in Philidam misisset, ipse autem cum reliquo exercitu Lepreon ueniens iam non longe abesset, Philidas, cæteriq; qui cū eo erant, nuncio eius rei accepto, animis cecidere. Lepreatæ e contrario audatiores facti, rem dignam memoria peregerunt. Quippe mille Eliensibus in urbe existentibus, Aetolis item mille quingētis, mercenariis Lacedæmoniis CC. Præterea his arcem obtinentibus, tanta tamē animi magnitudine fuere, ut minime deserendam in tam aspera rerū conditione patriæ salutem existimauerint. Cū igitur Philidas animaduerneret Lepreatas forti animo inceptum prosequētes, & iam appropinquantes urbi Macedonas intueretur, nulla amplius salutis spe relicta, cum Eliensibus & Lacedæmoniis arripuit fugam. Lacedæmonii quidē facto per Messenen itinere domum redierunt. Aetoli uero cum Duce Philida, Samicum uersus profecti. Lepreatæ ciuitate in potestatem accepta, legatos ad Regem de conditionibus tradendæ urbis miserunt. Quibus auditis, Rex exercitus sui partem Lepreon misit. Ipse cum scutatis, & leuioris armaturæ militibus aliquandiu Philidam persecutus, impedimētis omnibus potitus est. Philidas se intra castellum recepit. Hoc in loco Rex castrametatus, aduocatis Lepreo cæteris copiis, obsidendæ urbis consilium simulat. Qua re perterriti Aetoli, atq; Elienses, ut qui nullum ad obsidionē

remedium, præter manus habebāt, agere cum Rege de salute cœperūt. A quo accepta fide, inde profecti Elim abiere. Rex Samico euestigio positus est. Post hæc aliis quoq; ad eum suppliciter uenientibus, Phrixan accepit, Tylangion, Epion, Bolacas, Pyrgon, Epicalion. Quibus rebus peractis, Lepreon remeauit, uniuerſa Triphalia intra sex dierum spatium ditioni suę subiecta. Hic Leprontas pro tempore hortatus, ac sufficienti præsidio in arce collocato, Heream exercitum duxit, Ladico Acarnane Duce in Triphalia relicto. Cum autē ad eam urbem peruenisset, prædam omnem inter milites distribuit, postea accepto inde cōmeatu iter mediā hyeme Megalopolim tenuit. Quo tēpore Philippus in Triphalia uersabatur. Chilon Lacedæmonius regnum ciuitatis ad se spectare existimans, & insolentiam Magistratum in eligendo Lycurgo grauius ferens, nouarum rerum consilium agitare animo cœpit: ratus autem facillime se multitudinis beneuolentiā adepturum, si Cleomenem secutus, diuisionis agrorum denuo faciendæ spem iniiceret, se ad id peragendum accinxit. Communicato cum quibusdam amicis cōsilio, participes eius rei ducētos accepit. Verum cum animaduertet, maximū sibi ad exequendam intentionem suam impedimentum asserere Lycurgum, & Magistratus, per quos Rex fuerat creatus, huic primū rei prouidendum existimauit. Magistratus igitur, cum forte omnes cœnaret, ex improviso adgressus, crudelissime interfecit, fortuna illis dignam rebus a se patris pœnam subministrante. Etenim a quo, & cuius rei gratia hoc sunt passi, merito quis illos dicet perpeſſos esse. Chilon hoc facinore patrato, confestim se ad Lycurgi domum cōtulit, & quanq̄ ille domi erat, fieri tamen eius compos nō potuit. Nam per domesticos quosdam, & uicinos clam abductus occultis, ac pene inuis locis Pellenem migravit. Chilon tanta rei opportunitate frustratus, rem grauius & acerbè ferens, quod consequens erat, facere coactus est. Profectus em̄ in forum inimicis om̄ibus manus iniecit. Amicos, ac familiares hortatus est, reliquos in spem nouarum rerum inducere conatus. Nemine autē id factum probāte, sed potius irritatis in se ciuium animis, timēs quod futurum erat, clam ex urbe abiit, solusq; in Achaiam exul, ac patrio solo eiectus peruenit. Lacedæmonii, cognito Philippi Regis aduentu, omnia, quæ dispersa per prouintiam erāt, in oppida reduxerunt. Oppida ipsa præditiis, ac reliquis necessariis rebus muniuere, Athenæo Megalopolitanorū, quia peropportunos locos hostibus uidebatur, funditus diruto. Philippus Megalopoli cum exercitu profectus, Argos per Tegetanum agrum contendit, & in ea urbe residuum hyemis commo-

ratus

moratus est, cum reliquæ uitæ genere, tum maxime rebus in hac expeditione supra gr̄atis fidem gestis maximum apud omnes nomen consecutus. Apelles nequaquam iussu Regis a proposito retractus, agere paulatim sub iugum Achæos nitebatur. Ad quam rem perficiendam cum obstare Aratum, ac cæteros, qui cum eo erant, animaduertet, Regemq; his, & præsertim seniori plurimum tribuere, quod plurimū apud Achæos authoritatis haberet, uirtuteq; & prudentia præstaret, hos primum adgredi iniuriis cœpit: scrutatus, qui nam diuersæ Arato factionis in Achaia forent, singulos quosq; uocari ad se iussit. Hos benigne atq; humaniter amplexus, suadendo atq; hortando ad amicitiam suam prouocabat. Deinde singulos Regi commendans, ostendebat eum, si Arati partes foueret, secundum scriptum societatis fœdus Achæis usurum, si uero consilio suo usus illos in amicitiam reciperet, de omnibus Peloponnensibus suo arbitrio dispositurum. Ad hæc, cum comitiorum tempus appropinquaret, de eligendo ex hac factione duce cogitabat. Quam ob rem hortari Regem cœpit, ut ad commune Achæorum concilium Egium proficisceretur, ueluti inde in Eliensem agrū iter facturum. Quibus uerbis persuasus Rex, constituto tempore Egii affuit, & partim per se ipsum hortando, partim per suos deterrendo, uix tandem uoti compos euasit. Itaq; Dux electus est Eperatus. Timoxenus uero, quem Aratus nominauerat, repulsam habuit. Post hæc Philippus motis Egio castris, factosq; per Patras & Dymen itinere, contulit se ad castellum, quod Murum incolę uocant, in Dymensium agrum situm, & non multo ante tempore, ut supra memorauimus, ab Euripide captum. Quod cum cupide reddere Dymensibus festinat, instructo, paratoq; exercitu adgressus, usque adeo præsidium Eliensium terruit, ut confestim seq; & castellum dediderint, haud magnum quidem situ, sed & natura loci, & mœnibus munitissimum. Quippe mœnium q̄ quatuor stadiorum circuitum continet, mœnia uero in altum plus triginta ulnis eriguntur. Hoc mox Dymensibus restituto Philippus, per prouintiam prædabundus discurrit. Qua passim ferro igniq; deuastata, omni genere prædæ onustus, Dymen remeauit. Apelles affecutum se propositi partem existimans, quod Dux ex sententia sua fuerat electus, rursus se ad Aratum uertit, cupiens Regis animum ab illo prorsus alienum facere. Orsus autem est calumniam ex causis, quas dicemus. Amphidamus Eliensium Dux in uilla, quā Thalamum uocant, sicuti supra memorauimus, captus simul, atq; in Olympiam cū reliquis captiuis missus peruenit. Tentare per quosdam

T iiii

Regis colloquium coepit. Ad quem cum delatus fuisset, posse se, inquit, Elienses in amicitiam, ac societatem eius asciscere. Quibus uerbis persuasus Rex, sine mercede Amphidamum dimisit, iussum nunciare Eliensibus, si inire secum societatem uellent, omnes se captiuos gratis dimissurum, prouintiam ab omni periculo tutam seruaturum: permissurum praeterea, ut in libertate uiuerent, nullum praesidium apud eos positurum, nullum tributum exacturum, potestatem conducendi mercenarios, cum res suae ferrent, illis permissurum. Ea cum audiuisent Elienses, quam magna atque utilia offerebantur, conditionem tamen renuerunt. Ex quo Apelles, sumpta occasione calumniae, ad Philippum profectus, Aratum inquit, caeterosque eiusdem factionis Achaeos ueram amicitiam cum Macedonibus nequaquam seruare, nec in uera societate cum eo permanere. Siquidem hos fuisse causam, ne Elienses oblatam sibi societatis conditionem acciperent. Nam quo tempore Amphidamum ex urbe Olympia olim miserat, priuatim hominem allocutos suasisse, nequaquam expedire Peloponnesiis, ut Philippus Eliensium dominus fieret. Ob eam causam Elienses, spretis conditionibus pacis, amicitiam cum Aetolis seruare, bellumque Macedonum pati. His auditis Philippus, accersiri Aratum cum Achaeis iubet, & in eorum conspectu Apellem eadem omnia referre. Qui cum ad praesentiam Regis uenissent, Apelles ea omnia audacter, atque intrepide locutus est. Ac postremo Rege adhuc tacente, talia quaedam subiunxit. Quandoquidem uos ita ingratos Rex o Arate, ac fraudulentos reperit, statuit conuocatis Achaeis, & ratione facti exposita, in Macedonia reuerti. Ad haec Aratus senior debere, inquit, Regem nemini quicquam temere credere. Sed, cum aduersus socios, atque amicos aliquid narratur, rem omnem prius discurrere, quam calumniae fidem adhibeat. Hoc enim regium esse, et in omni genere rerum utile. Quam ob rem in praesentiarum in hac calumnia Apellis uocandos esse, qui rem audiuerunt, ipsum Apellem una introducendum, nihil denique omittendum, quod ad inuestigandam ueritatem pertineat, antequam conuocatis Achaeis rem illis detegat. Quae dicta cum Regi placuissent, & se respondisset diligenter rem uestigaturum, in praesentia quidem abierunt. Paucis uero interiectis diebus, cum Apelles nullam rerum a se dictarum probationem fecisset, fortuna optimum innocentiae testimonium Arato subministrauit. Etenim Elienses, quo tempore Philippus prouintiam deuastabat, Amphidamum suspectum habentes, capere eum decreuerant, ligatumque Aetoliam mittere. Quod sentiens Amphidamus, fuga clam facta, primo Olympiam uenit, deinde factus certior, Philippum Dyme ad dispensandam praedam commorari,

rari, summa celeritate ad eum profectus est. Aratus, cum primum nuntiatum est, eiectionem patrio solo Amphidamum adesse, letitia affectus, ut qui a se sciebat nihil aduersus Macedonas commissum, Regem adit, & ut Amphidamum uocet, precatur. Hunc enim optime reddere rationem posse de iis, quae sibi ascribentur, utpote, cui haec fuissent dicta. Praeterea hunc uera facile elocuturum, cum Philippi gratia exul, atque extorris patria sit, omnemque in eo spem repositam habeat. Quibus uerbis motus rex, cum Amphidamum ad se uocasset, inuenit Aratum falso ab Apelle calumniatum fuisse. Quapropter hunc post eum diem in maiori semper existimatione, & gratia habuit, Apellis uero factum tulit molestissime, sed propter summam uiri auctoritatem hoc, ut alia plerumque pati equo animo cogebatur. Apelles nequaquam ob hanc causam mutato consilio, Taurionem, qui Peloponnesiacis rebus praefectus fuerat, Magistratum sub laudis specie id consecutus, hunc enim dicebat aptissimum esse, qui cum Rege in castris uersaret, uolens ipse alium illius loco Peloponnesiis praeficere. Nouus quippe modus calumniae inuentus est, non uituperando, sed laudando, fame ac commodis hominum insidiari. Quod uitium in aulis principum ortum usque adeo inoleuit, ut ea loca tanquam proprias quaedam sedes sibi uideatur elegisse. Similiter Alexandrum, cui cura regii corporis mandata fuerat, remouere ab eius officio nitebatur, uolens custodiam corporis regii ipse habere, ac omnem denique ordinem a Philippo relictum peruertere. Siquidem Antigonus optime, dum uixit, de filio & de regno meritis, optime et moriens futuris rebus prouidit, Etenim reliquit testamentum, in quo Macedonibus iussit, quid quisque facere, cuius rei habere curam deberet, studens omnes causas ambitionis ac discordiae, quae in eius aula oriri potuissent, e medio tollere. Ex his igitur, qui secum militabant, Apellem filii tutorem constituit, Leontium scutatis militibus preposuit, Megaleam scribis praefecit, Taurioni Peloponnesiorum, Alexandro regii corporis curam reliquit. Leontium quidem, & Megaleam prorsus iam sub se Apelles habebat. Alexandrum uero, & Taurionem mouere locis suis constituerat, quo per se, & suos amicos administrarentur. Quod profecto facillime perfecisset, nisi ab Arato fuisset impeditus. Nunc autem imprudentis, & cupiditatis suae poenas luit. Nam quod in alios patrare totis uiribus nitebatur, id ipse ab illis breui post tempore passus est. Quares quomodo acciderit, dicere in praesentia super sedebimus, sine huic libro imponentes. In sequentibus uero singula suis locis conabimur referre. Philippus gestis, quas supra memorauimus, rebus, Argos uenit, ubi ipse cum amicis, quod super fuit hyemis, commoratus est, copias uero in Macedoniam remisit.

POLYBII HISTO-

RIARVM LIBER QVINTVS,

Nicolao Perotto Interprete.



Annus imperii Arati, circa ortū Pleiadis, perfectus est. Ita enim tempora Achei dimetiuntur. Quam ob rem hic quidem dimisit, Epiratus uero suscepit imperium. Dux Aetolorum erat Dorimachus. Eodem tempore, in eunte iam aestate, Annibal exardescēte iam inter Romanos, & Carthaginenses bello copias e noua Carthagine deduxerat, & traiecto Ibero, festinabat in Italiam transire. Romani Titum Sempronium cū exercitu in Africam, P. Cornelium in Hispaniam mittebant. Antiochus & Ptolemæus Syriacū bellum inceperāt. Philippus rex, cū summa egestate cōmeatus, et pecuniarū eius exercitus premere, uocari Acheos ad conciliū per Magistratus iussit. Postq̄ multitudo omnis secundū patrię ritū Egiū cōuenerat, uidens Rex Aratū ob iniuriā, quā in comitiis passus ab Apelle fuerat, grauiter esse afflictum, Epiratum uero hominē natura ignauū, ac desidiosum cōtemni ab omnibus, ac ludibrio haberi, intellecta ex hoc imprudētia Apellis et Leonitii, inclinare rursus ad Aratum animū coepit. Persuasus igit̄ Magistratibus ut Sicyonē conciliū transferrent, seniore ac iuniore Aratū humaniter allocutus, ac culpam oēm factorū in Apellem refundens, hortatus est eos, ut in ea, qua primo erant, uoluntate permanerēt. Quibus assentiētibus, confestim ingressus conciliū, cum predictorū fauore que cuncq̄ ad res presentes necessaria uidebātur, peregit. Siquidē decretum est ab Acheis, ut mox quinquaginta talenta, hoc est trium mensium militibus stipendiū Regi persoluerentur, modii frumētī ad decem millia. Posthac uero quādiu in Peloponneso Philippus cū exercitu moraret̄, X. & VII. talenta. Quibus peractis, Achei in suas quisq̄ ciuitates reuersi Regi autē postq̄ copie ex hybernis redierunt, optimū factu uisum, si maritimo itinere hostes adgrederēt. Videbat em̄ hoc modo se quidem ex improviso undecuncq̄ irrūpere in hostilem terrā posse, hostes uero minime sibi inuicē posse opitulari, simul magno spatio inter se distantes simul nouitate naualis belli, & repentino hostiū aduētū perterritos. Cū Aetolis em̄ & Lacedæmoniis, & Eliensibus bellū eodē tēpore gerebat. Cum igit̄ in hāc sententiā inclinasset animū, naues Achæorū, & suas in Lechæo

Lechæo Corinthiorū portu congregabat, iubens, ut interea temporis remigio milites exercerent. Enimuero Achæi & in terrestribus præliis cū instructa acie dimicāt, præstantissimi sunt, & in bellis naualibus ad repentina certamina paratissimi, præterea uallis, ac fossis faciendis nemini secundi, nullū in his rebus laborem formidātes, ac deniq̄ tales, quales Hesiodus Aeacidas introducit, bello potius, q̄ conuiuio gaudētes. Rex itaq̄ cū Macedonibus Corinthi morabat̄, in apparatu rei naualis occupatus. Apelles cum neq̄ mutare Regis animū posset, impatiensq̄ superioris foret, coniurationē cū Leontio, & Megalia facit, ut hi duo presentes, cum tēporis opportunitatē nacti forent, consilia, & progressus regi os impedirēt, ipse Chalcidem profectus, undiq̄ regio exercitui cōmeatum intercluderet. Quibus ordinatis, extempto Chalcidem proficiscit. Vbi adeo constāter iuramentū seruauit, ut tandē coegerit Regem propter inopiā rerum necessariarum uasa argentea, & reliquā supellectilē pignori deponere. Congregata autē classe, et Macedonibus remigio instructis, Philippus, frumētō stipendioq̄ militibus dato, Corintho soluit, ac tertio post die Patras appulit, habēs Macedonum sex millia, mercenarios mil. & CC. Sub idem tempus Dorimachus Aetolorum Dux Agelaum & Scopam Eliensibus misit cum nouis Cretensibus quingētis. Elienses ueriti, ne ad obsidionē Cyllenes Philippus ueniret, conducendis mercenariis militibus, & nouo urbanorum delectui habendo operam dabant. Cyllenem ipsam summo studio muniabant. Quibus cognitis, Philippus Achæorum, & Cretenses, quos secum habebat, præterea Gallorum equitum aliquos, et delectorum ex Achaia circiter duo millia peditum Dyme reliquit, ut etiam locum tutum a conatu Eliensium seruaret. Ipse, cum paulo ante Messeniis & Epirotis scriplisset, item Acarnanibus, & Scerdilaidæ, ut singuli cum nauibus suis sibi in Cephalenia occurrerent, Patris profectus in Cephaleniam ad castellum Pronnos nauigauit. Hic cū & castellum ipsum obsidionis impatiens, & regionis angustias animaduertisset, cum classe progressus, Paleam appulit. Vidensq̄ eam regionem refertam frumento, & ad nutriendum exercitum opportunissimam, demissis in terram copiis, circa urbis moenia castrametatus est. Naues in terram subduxit, ualloq̄, & fossa circumdedit. Macedones frumentatum dimisit. Ipse circa urbem profectus, de erigendis machinis, parandisq̄ rebus ad expugnationem loci necessariis cogitabat, uolens simul & præstolari aduentum sociorum, & urbem hanc ditionis suæ facere, tum ut præcipua commoditas, quam e mari habebāt, Aetolis eriperetur,

(siquidem Cephaleuorum nauigijs noctis tempore in Pelopōnesum nauigabant, & Epirotarum, & Acarnensium littus depopulabantur) tum ut hanc urbem ueluti quoddam receptaculum aduersus hostilem terram sociis pararet. Cephalenia enim in littore Corinthiaci sinus posita Siculum aspicit pelagus, imminetq; iis partibus Peloponnesi, quæ ad Septentrionem, & Occidentē uergunt, & præsertim Eliensium prouintia. Epiri uero, & Aetoliæ, & Acarnaniæ, iis partibus, quæ ad Meridiem, & Orientem spectant. Ob quam rem cum hic locus & ad congregationem sociorum esset commodissimus, & ad offendendas hostium ciuitates, ac sociorum tuendas peropportune positus, omni studio subiicere ditoni suæ insulam decreuit. Cum autē animaduertisset, omneis alias partes ciuitatis partim mari, partim præcipitiis esse circumdastas, breuem uero quendam locum, qui Zacynthum aspicit, planum esse, hic erigere machinas decreuit, omniaq; ad obsidionem necessaria parare. Philippus itaq; in huiusmodi rebus uersabatur. Interea quindecim Lembi a Scerdilaida uenerunt. Plures enim missurum se in præsentia negauit, ob recentes quasdam seditiones nuper in Illyrio ortas. Venit & ab Epirotis, & Acarnanibus, & Messeniis, uti statutū fuerat, supplementum sociorum. Rex, paratis rebus, ad obsidionē necessariis, & telis ac balistis opportunis locis dispositis, milites pro tempore hortatus, machinas urbi admouet, per quas factis cuniculis, euestigio non parua pars muri fracta, & adhibitis trabibus sustentata est. Tanta est Macedonū in huiusmodi rebus experientia. Philippus ad moenia propius accedens, hortati ad pacem obsessos coepit. Quibus conditionem respuentibus, repente iniecto igni omnem eam partem muri funditus euertit. Quo facto, primos immittit scutatos, qui sub Leontio erant, iussos, ut per eum locum facto impetu, in urbem irruant. Leontius memor coniurationis, & opportunitatem peragenda rei obseruans, tres iuuenes de suis, qui cæteros in ingressu urbis præcedebant, admonuit, ut urbis captiuitatem impedirent, partim priuatos Duces corruppentes, partim ipsi ueluti ex formidine ignauiter se habentes. Ita tandem ex urbe turpiter eiectione sunt, multis uulneribus acceptis, quanq̄ facillime cōsequi uictoriam potuissent. Rex, & formidinem Ducum, & sauciorum multitudinem conspicatus, obsidionem dissoluit. Posthæc, uocatis ad se amicis, quid in posterum agendū foret, cōsulebat. Interea Lycurgus Messenem cum exercitu uenit. Dorimachus medietatem Aetolorum habens, in Thessaliam copias deduxit. Quibus de rebus legati ad Regem ab Acarnanibus, & a Messeniis uenere, ab Acarnanibus quidem

precantes, ut in Aetolorum terram exercitum duceret, quo & Dorimachus accepto itinere reuocaret, & omnem hostilem agrum depopularetur, atq; uastaret. A Messeniis uero præsidium petentes, & simul docentes, flante tunc Borea, unius diei iter e Cephalenia Messenem esse. Quam ob rem Gorgon Messeniis repentinā, atq; ob id summe utilem fore profectionem dicebat. Leontius nequaquā immemor cōiurationis factæ, Gorgoni assentiebatur, manifeste uidens per hunc modum futurum, ut toto Veris tempore nil a Philippo fieret. Siquidem transitus Messenem q̄facilimus erat, digressio uero ab ea urbe, adhuc duratibus uentis, omnino impossibilis. Ex quo manifestum fiebat, Philippum, si eo cum exercitu transfretaret, reliquam Veris partem ociosum futurū, Aetolos uero interea Thessaliam, atq; Epirum peragrantes, omnia ferro igniq; uastaturos. Hic ergo hæc, & alia huiusmodi consulebant. Aratus uero sententiæ erat plane diuersæ. Quippe in Aetoliam nauigandū esse existimabat, & illis primum rebus incumbendū. Nam cum Aetoli in expeditionem cum Dorimacho essent profecti, optimū esse tempus rebatur ad populādā, deuastandāq; prouintiam. Rex partim nihil iam Leontio credens ob rem male in superiori obsidione gestam, partim Arati prudentiam expertus, huius sequi consilium decreuit. Quā ob rem Epato Achæorum Duci scripsit, ut subitariis legionibus paratis, Messeniis suppetias ferret. Ipse e Cephalenia profectus, perendie noctu Leucadem cū classe appulit. Inde iter tenuit per Ambraciū sinū, qui, ut supra diximus, e Siculo mari defluens in mediterraneam Aetoliæ partem extēditur. Cum autem ad paludes appulisset, paululum ibi ante lucem commoratus, refici cibo milites, & depositis sarcinis expeditos in posterum esse iussit. Ipse cōuocatis Ducibus uiarum, de locis, ac ciuitatibus, quæcunq; necessaria erant, scrutatus est. Sub idem tempus Aristophantus cum multitudine Acarnanum uenit. Quippe Acarnanes multa, ac difficilia superioribus temporibus ab Aetolis perpassi, ulcisci iniurias suas cupiebant. Quam ob rem libenter susceptis hoc tempore Macedonibus, armati conuenere, non solum quibus lex iubebat, uerum etiam seniorum pleriq;. Nec minori studio ad hoc ipsum molendum erant Epirotæ, ob similes causas, sed propter magnitudinem prouintia, & repentinū Philippi aduentum mouere se in tempore nequiuerant. Aetolorum mediā partem, ut supra diximus, Dorimachus habebat, reliquos in prouintia dimiserat, ut si quid noui accideret, presto essent. Rex relicto ad custodiam impedimentorum sufficienti præsidio, a palude post meridiem profectus, progressusq; ad LX. stadia, ca-

stra ponit. Vbi cum aliquantulum constitisset, refectis cœna militum corporibus, iter profectur, continuatoq; per noctem labore ante diluculum, ad flumen Acheloum uenit, inter Conopen & Straton, studens repentino atq; improviso itinere, Thermum aduenire. Leontius & Megaleas duabus rationibus præuidebant Regem uoti cōpotem futurum, Aetolos uero peiores partes habituros, una quod repētinus foret, & omni spe celerior Macedonū aduentus: altera, q̄ Aetoli minime unquam existimātes Philippum per loca adeo aspera ac difficilia iter facturum, improvidi, atq; imparati manebant. Quam ob rem hæc animo agitantē, & memores coniurationis factæ, Philippum hortabantur, ut positis iuxta Acheloum castris, exercitum a nocturno labore reficeret, futurum hoc modo putantes, ut interea Aetoli spatium aduocandi auxilia haberent. At Aratus id tempus opportunissimum esse ad exequendum consilium Regis existimans, Leontium uero, & Megaleam fraudulenter progressus regios impedire, Philippū obtestatur, ne tantam temporis opportunitatem amittat. A quo persuasus Rex, & iam Leontiū ac Megaleam stomachari incipiens, iter profectur, & Acheloo flumine traiecto, Thermum uersus exercitum ducit, ferro igniq; inter eundem prouintiā deuastans. A sinistra quidem urbes relinquit, Straton, Agrinium, Thestiam: a dextra uero Conopen, Lysimachiam Trichonium, Phyteum. Cum ad urbem uenisset, nomine Methapan, quæ est inter Trichonium, & paludem, distatq; a Thermo circiter LX. stadia, uersis repente in fugam Aetolis, locum occupat, & CCCC. militum præsidium intus ponit, ut hac urbe ueluti quodam receptaculo in aduandis, atq; egrediendis angustiis uti posset. Est enim omnis circa paludem locus montuosus atq; difficilis, & densissimis syluis undiq; circumdatus, quam ob rem & uiam habet asperam, ac pene inuiam. Post hæc mercenarios in fronte collocat, postea Illyrios, deinde scutatos ac legionarios milites secum accipiens, per angustias procedit, sequentibus a tergo Cretenisibus, & a dextera Thracibus, præsidii gratia collocatis. Nam a sinistra tutos palus faciebat fere per spatium triginta stadiorum. Superatis breui tempore angustiis, adhuc magna nocte Thermum, urbē omnium opulentissimā, uenit, ubi castris positus, copiam suis fecit grassandi in habitatores, ac per omnem agrum discurrendi, & domos in ipso Thermo diripiendi, refertas non solum frumento, & omni genere commeatus, uerumetiam preciosissima Aetolorum suppellectile. Nam quia singulis quibusq; annis Aetoli nundinas, & festa, & comitia in hoc loco celebrabant, unusquisq; ad huiusmodi

apparatum

apparatum preciosiores res suas deferbat: tum etiam quia eum locum præter cæteros tutissimum arbitrabantur, quippe, quem nemo unquam ingredi fuisset ausus, & natura talis erat, ut quasi quædam arx totius Aetoliæ uideretur. Quam ob rem ex longa pace ac quiete plenæ erant bonorum omnium non solum propinquæ templo domus, uerum etiam circumstantes omnes loci. Per eam igitur noctem omni genere prædæ referti ibi quiete egerunt. Sequenti die preciosissima quæq; bona eligentes asportauere, reliqua igni imposuerunt. Simili modo ex armis, quæ e porticibus pendebant, optima quæq; sustulerunt, nonnulla permutauere, reliqua incendio composuerunt. Erant autem ultra quindecim millia. Et hucusq; quidem omnia secundum leges belli iuste, integreque sunt gesta. Quæ uero sequunt, quomodo dici oporteat, nescio. Memores enim eorum, quæ Aetoli in templo Iouis Dodonæi gesserant, porticus omnes demoliti sunt: ornamenta, quæ maximo studio atq; impensa adhibita fuerant, deiecerunt: neq; solum superiorem partem incendio cōcremarunt, uerumetiam mœnia ipsa funditus eruerunt. Euerterunt statuas numero ultra duō millia, quæ plurimas etiā fregerunt, ab his duntaxat abstinentes, quæ uel figuras, uel inscriptiones Deorum habebant. Quæ quibusdam recte, meritoq; Philippus, & cæteri facere uidebantur. Ego autem contra existimo. Quod an recte sentiam, facile est unicuiq; considerare non procul ab alterius generis, sed ab eiusdem familiæ regibus repetitis exemplis. Antigonus, cum bello Cleomenem Lacedæmoniorū regem fugasset, Spartæ dominū consecutus, tantū abfuit, ut quicq; sciuus in populum committeret, ut non moderatus solum, uerumetiam mitis aduersus hostes fuerit, restitutaq; Lacedæmonis patriæ libertate, ac multis beneficiis & publice, & priuatim impensis, domum redierit. Ex quo non solum in præsens tempus beneficiis, uerum etiam post mortē saluator appellatus est: nec apud Lacedæmonios tantum, sed apud omnes nationes immortalē laudem, ac gloriā consecutus. Atqui Philippus, qui primus Macedonia regnum auxit, nomenq; familiæ suæ longe lateq; propagauit, cum prælio Athenienses in Cheronia uicisset, non tantum armis, quantum dexteritate morum, & quadam naturæ benignitate consecutus est. Armis enim eos tantūmodo superauit, qui sibi in prælio obstiterunt: mansuetudine uero, atq; clementia omnes Athenienses, atq; adeo ciuitatem ipsam sui iuris fecit, non ira aut indignatione aliqua persecutus uictos, sed tandiu cum hoste dimicans, quoad oblata ei occasio foret ostendendæ benignitatis ac uirtutis suæ. Enim uero Atheniensibus, quos passus fuerat infestissimi

V ii

mos, & captiuos gratis remisit, & bello consumptorum corpora sepul-
 turæ tradidit, reliquiaque funerum, ut ad sepulchra maiorū deferrent,
 ultro hortatus est. Posthæc Alexandrum filium cum amico Antipatro,
 qui pacem cum iis amicitiamque iungeret, Athenas misit. Ex quo conse-
 cutus est, ut elati Atheniensium animi magnanimitate eius uicti sibi in
 posterum obsequentissimi fuerint, semperque ad omnia regis iussa prom-
 ptissimi. * Quid Alexan. Huius ira adeo in The. incruduerat, ut habi-
 tatores omnes in seruitutem adegerit, urbem funditus euerterit, prin-
 cipes ciuitatis alios in seruitutem, alios in exilium redegerit, bona om-
 nium occuparit: non tamen usque adeo indignatio eius processit, ut
 quicquā in templa Deorum immortalium committeretur, quin om-
 nem curam, studiumque adhibuit, ne qui uel inuiti aliquo modo Fana
 uiolarent. Idem cum in Asiam transisset, ut Persas male de Græcis me-
 ritos ulcisceretur, de hominibus quidem dignas rebus ab iis patris,
 pœnas sumpsit, a templis uero Deorum prorsus abstinuit, quanquam Per-
 sæ circa hanc partem maxime in Græcia deliquerant. Hæc tunc consy-
 derare Philippus debebat, ne tam principatus, quam uitæ ac morum præ-
 dictorum Regum æmulus, atque hæres existimaretur. Hic uero ut Ale-
 xandri ac Philippi affinis uideretur, summum per omnem uitam stu-
 dium, industriamque adhibebat, ut uero æmulus atque imitator habere-
 tur, ne minimā quidē habebat curam. Quam ob rem diuerso uitæ ge-
 nere a supradictis regibus recedens, diuersam de se apud omnes gentes
 opinionem relinquebat, sicuti hoc tempore fecit. Nam cum parem in-
 iuriam referre Aetolis conaretur, ueluti malum malo curaturus, nihil
 se delinquere existimabat. Obiiciens Scopæ, & Dorimacho impieta-
 tem, qua uel in templo Dodonæi Iouis fuerant, in eodem uersari se cri-
 mine non uidebat, longe profecto a ueritate aberrans. Etenim scire
 quidem in hostes, & eorum castella, ortus, ciuitates, uillas, naues, fru-
 ctus deuastare, aliaque his similia facere, per quæ hostium uires debili-
 tentur, confirmantur, atque augeantur, suæ unicuique leges, ac iura belli per-
 mittunt: ea uero destruere que nec propriis rebus emolumentum aliquid
 afferunt, nec hostibus detrimentum, ut sunt templa, porticus, statuae, aliaque
 huiusmodi, rabiosi hominis est, ac plane furentis: nec enim ad interniti-
 onem usque pugnare cum hostibus bonum uirum decet, sed quoad eo-
 rum, qui deliquerunt, malefacta purgata sint, atque correcta. Quippe ty-
 ranni opus est, malefaciendo suis cum terrore inuitis imperare, in mu-
 tuo semper odio cum subditis uersantis: Regis uero contra benefaciendo
 uniuersis cum liberalitate atque clementia sponte subiectos gubernare, in
 mutua

mutua semper beneuolentia ac charitate cum ciuibus uiuentis. Magis
 autem errorem Philippi quis agnoscat, si ante oculos posuerit, quod de
 ipso iudicium uerisimile erant habituri Aetoli, si contraria fecisset, &
 neque porticus, neque statuas deiecisset, neque ornamenta e templo sustulisset.
 Equidem optimū ac sincerissimum puto, ut qui conscius essent, quæ
 in templo Iouis Dodonæi gessissent, & aperte intuerentur Philippum
 facere quidem, quæ uellet, potuisse, & si crudelissime fecisset, merito id
 uideri fecisse, tamen ob humanitatem ac magnitudinem animi noluisse
 illorum impietatem imitari, manifestum est eos errorem suum damna-
 tuos fuisse: Philippum uero laude, atque admiratione profecturos, quod
 regie ac magnanimitate & pietate erga Deos, & ira aduersus se usus fuis-
 set. Enim uero benignitate atque clementia hostem uincere, quam armis, præ-
 stat. Hic enim necessitate, ut pareant homines, inducuntur, illic uolun-
 tate: & hic quidem cum graui sæpe iactura errata corriguntur, illic sine
 aliquo detrimento emendantur delinquentes. Præterea, quod maius
 est, hic magnam laudis partem commilitones sibi uendicant, illic omnis
 uictoria tribuitur Duci. Ex quo fit, ut non desint fortassis, qui magnam
 partem rerum a Philippo gestarum non illi propter etatem tribuant, sed iis,
 qui una militabant. E quorum numero erat Aratus, et Demetrius Pha-
 rius, de quibus non difficile esset affirmare, etiam si qui tunc non inter-
 fuissent, hoc, de quo loquimur, impietatis consilium alterius illorum fuis-
 se. Nam præter totius uitæ institutum, in qua Aratus nihil unquam te-
 mere, aut petulanter fecisse cognoscitur, Demetrius uero fere omnia e
 contrario, multa quoque sunt particularia hoc ipsum indicantia, de qui-
 bus suo loco dicemus. Philippus (hinc enim paulo ante digressi sumus)
 omni genere prædæ onustus Thermo proficiscitur, & per eam per quam
 uenerat, uiam facit, præmissis impedimentis, & grauioris armaturæ mili-
 tibus. Acarnanibus uero, & mercenariis in extremo ordine collocatis,
 festinans angustias loci celeriter pertransire. Siquidem uerebatur, ne Ae-
 toli opportunitate locorum freti, suos a tergo adgrederent, quod mox fa-
 ctum est. Etenim Aetoli fere ad tria millia in unum congregati, quamdiu
 Philippus in altiori parte fuit, minime illi appropinquarunt, sed in qui-
 busdam locis occultis Alexandro Duce permansere. Simul ac uero extre-
 mi moueri cœperunt, repente impetu facto, ultimos adgrediuntur. Orto
 tumultu, Aetoli magnam in opportunitate locorum spem habentes auda-
 tius illos persequerentur. Philippus, cum callide futura præuidisset, sub
 quodam colle Illyrios, & plerisque scutorum occulte reliquerat. In inse-
 quentes Aetolos conspicati, tanto impetu in eos irruerunt, ut ex illis re-

pente centum & triginta desiderati fuerint, totidē fere capti, reliqui fœda acturpi fuga salutem quæsierint. Acarnanes, & mercenarii, re fœliciter gesta, mox Paphium incenderūt, deinde angustias summa celeritate prætergressi, ad Macedones peruenere. Philippus iuxta Methapan castrametatus, aduentum suorum expectabat. Sequenti die destructa Methapa, castra mouit, peruenitq; ad urbem, quā Atras uocant. Postridie iter prosecutus, om̄em regionem deuastauit, positisque iuxta Conopem castris, omnem sequentem diem ibi permanfit. Adueniente deinde luce, iter uersus Stratum tenuit: traiecitq; Acheloo castra per iactum sagittæ procul ab urbe posuit, crebris certaminibus alliciens oppidanos. Audierat em̄ Strati esse Aetolorum peditum ad tria millia, equites fere quadringentos, Cretenses circiter quingētos. Nemine autem exire urbem audente, motis rursus castris, primo ueluti ad paludem, & naues iter facturus cōuertit. Cum deinde extremi milites prætergredi urbem cœpissent, pauci ex Aetolorum equitibus irruptione facta, eos adgrediuntur: mox cōcurrente ex urbe Cretensium multitudine, et plerisque Aetolorum in equitum subsidium uenientibus, cum periculum Acarnanibus immineret, in hostes conuersi, prælium collatis uiribus capessunt. Diu uaria uictoria fuit, ad extremū Illyriis a Philippo in subsidiū mercenariorum missis, Aetoli uicti passim fugere. Magnam partem eorum regii milites usq; ad portas urbis, & ad mœnia sunt persecuti, centum ex his inter sequendum interfectis. Reliqui deinceps haud exire urbem ausi. Regiæ copiæ tuto ad naues peruenere. Philippus positis castris, gratias Diis egit, q; res prospere atq; ex sentētia successissent. Parato deinde epulo, duces omnes uocari in conuiuium iussit. Megaleas, & Leontius regiam fœlicitatē grauer & iniquo animo ferebāt, ut qui Apelli iurauerāt se omnes regios progressus impedituros. Tantum autē ab erat, ut id efficere possent, ut continue omnia Philippo magis secundarent. Venerunt igitur ad cœnam adeo tristes, & solliciti, ut facile regi, & cæteris qui aderant, animū suum ostenderent. Soluta uero conuiuiō, cum crebris poculis uterq; incaluisse, Aratum quærentes, ad tentoria reuertebantur: quem cum forte in itinere offendissent, primo maximis conuitiis eum affecere, deinde lapidibus adgredi cœperunt. Multis autem in utriusq; partis subsidium concurrentibus, ingens seditio in castris orta. Philippus, audito tubæ sono, misit qui rem inquirerent, tumultumq; inter milites sedarēt. Aratus his rem omnem, uti gesta erat, exponens, & eorum, qui intererant, testimonium asserens, mox ad tentoriū reuersus est. Leontius clam se e tumultu subtraxit. Megaleam & Crinonem

Crinonem uocatos ad se Philippus, grauer atq; acerbe allocutus est. Qui cum superbe regi respondissent, dicentes se non prius ab incepto destituros, quam dignam mercedem Arato persoluisent. Indignatus Rex subito uiginti talentis multatos custodiri in uinculis iussit. Postridie uocatum ad se Aratum, ut bono animo esset, rogauit, opportune se rebus omnibus prouisurum pollicitus. Leontius, ubi nunciatum est, Megaleam in uinculis esse, armata manu ad Regis tentorium uenit, ratus adhuc pene adolescentem Regem timore percussum euestigio sententiam mutaturum, ubi ante Regis conspectum fuit, rogat, quibusnam Megaleæ manus iniicere præsumpsisset? & quis eum in uinculis posuisset? Rege id a se factum magnanimiter respondente, perterritus Leontius, & quasi gemens abiit. Rex inde cum classe profectus, extemplo Leucadem uenit. Vbi constitutis, qui prædam inter milites diuiderent, ipse conuocatis amicis, de Megalea sententiam rogauit. Vbi Arato Leontii iniurias repetente, cladem, quā tempore Antigoni intulerat, item coniurationem, quam cum Apelle fecerat, & impedimentum, quod Paleæ præstiterat, commemorante, & adhæc omnia testes adducente, cū Megaleas, & Crinon nihil, quod responderi posset, haberēt, omnium iudicio cōdemnati sunt. Et Crinon quidem in uinculis permanfit. Megaleas uero fideiussione Leontii dimissus est. Apellis igitur, & sociorum conditio hæc erat, longe secus, q̄ sperauerant, succedentibus rebus. Nam qui iniecturos se regi formidinem putabant, & per eum modum facile, quicquid uellent consecuturos, omnia plane contraria sunt experti. Dum hæc gerebantur, Lycurgus nulla re memorabili facta, ex agro Messeniorum recessit. Posthæc rursus Lacedæmone cum exercitu profectus, Eleam urbem cœpit. Cuius ciues cum in arcem omnes confugissent, hanc obsidione cinxit, ubi aliquandiu commoratus, cum tandem nihil se proficere intelligeret, rursus Spartam reuersus est. Elienses, cum per Dymensium agrum grassarentur, in insidiis dispositi equites, qui subsidii gratia uenerant, facile in fugam uertunt, & Gallorum quidem non paucos interfecere, ex urbanis uero captiuos cœperunt Polymedē Egiensem, & Agelipolem, ac Diodem Dymenses. Dorimachus, principio in expeditionem cum Aetolis tatummodo extuerat, ratus se, ut supra memorauimus, tuto deuastare Thessaliam posse, ac Philippum propterea Paleæ obsidionem soluturum. Vbi uero Chrisogonum & Patreum comperit in Thessalia ad capessendum prælium paratos esse, nequaquam est ausus descendere in

campos, sed per summities montium exercitum ductabat. Postquam autem allatus est nuncius de Macedonū profectioe in Aetoliam, mortis repente e Theffalia castris, in suorum subsidium uenit. Vbi cum discessisse iam ex Aetolia, Regem comperisset, consilii inops, & ceptis omnibus frustratus, in moerore, solitudineq; permanfit. Rex Leuca de cum classe profectus, uastando ac diripiendo maritima eius regionis loca, Corinthum descendit, nauibus in Lecheo relictis, copias eduxit. Tum literas ad socias Peloponnesi ciuitates dedit, significans quodie omnes armati conuenire Tegeæ deberent. Quibus ordinatis, nihil Corinthi commoratus, cum copiis abiit, factoque per Argium agrum itinere, postridie quam discesserat, Tegeam uenit, ubi acceptis, qui eo conuenerant Achæis, iter profectus, clam per montes procedebat, studens Spartanum agrum prius ingredi, quam quicquam Lacedæmonii sentirent. Cum per deserta quadridui iter fecisset, in oppositos ubi colles peruenit. Indeque Menelaium ad dextrā habens, ad ipsas Amyclas contendebat. Lacedæmonii ex urbe transitum copiarum conspici, magnitudinem rei admirantes, ac subito terrore correpti, ancipites consilii erant. Adhuc enim stupefacti manebant ob ea, quæ paulo ante a Philippo in Thermo, & per totam Aetoliam gesta nunciabantur, & nescio quis rumor apud eos increuerat, Lycurgum in Aetolorū subsidium mitti. De aduētu uero eius in Spartanum agrum adeo celeri ac repentino nemo adhuc quicquam cogitarat, presertim etate eius adhuc nescio quid contemptibile habente. Quapropter, rebus ita præter opinionem succedentibus, merito omnes dubitabant. Etenim Philippus audacius ac callidius, quæ etas eius ferebat, in rebus bellicis se gerens, uniuersis hostibus terrorem incutiebat. Quippe e media, uti supra diximus, Aetolia profectus una nocte Ambratium sinum traiecit, ac Leucadem uenit. Hic biduo commoratus, ac tertio inde die sub auroram profectus, post biduum deuastata Aetoliæ maritima parte, Corinthum apulit. Posthæc continuato itinere die nono peruenit ad colles Spartæ imminentes, iuxta Menelaium, ut uix id cernentes crederent. Lacedæmonii igitur magnitudine ac nouitate rerum perterriti, consilii atque auxilii inopes erant. Philippus primo die castra iuxta Amyclas posuit. Hic locus est in agro Spartano, omni arborum ac frugum genere refertissimus, distatque a Lacedæmone ad uiginti stadia, ubi est Apollinis templum, inter cetera eius prouintie templa opere diuitiisque præcipuum, situm in ea urbis parte, quæ aspicit mare. Postridie omnem prouintiam depopulatus, ad Pyrrhi castrum tendit, ubi biduo commoratus, sequenti die pagratis propin-

propinquis locis, ac ferro ignique deuastatis, iuxta Carnium castrametatus est. Vnde mox profectus iuit Assinem, quem locum cum frustra alii quot certaminibus tentasset, obsidionem dissoluit, ac reliquum iam recta uia progressus, prouintiam omnem usque ad Tenarum deuastauit. Hic rursus conuerso itinere, gressum uersus nauale Lacedæmoniorum tenuit, quod Gythum appellatur, habetque portum tutissimum, & ab urbe distat circiter triginta stadia. Hoc ad dexteram relicto, iuxta Eleam castrametatus est. Quæ est, si quis separatim consideret, maxima atque optima pars Spartani agri. Hinc dimissis prædatoribus, regionem omnem ferro ignique uastauit. Messenii acceptis a Philippo literis, studio quidem haud inferiores cæteris sociis fuere. Quin cõfestim delectu urbanorum habito, aptissimos quosque ad regem miserunt, pedites circiter duo millia, equites ducentos, uerum longinquitas itineris fecit, ut Tegeam, postquam Rex inde discesserat, peruenerint. Quam ob rem principio quid agerent ancipites, ueritque, ne de industria tardiores fuisse uiderentur, ob suspitiones ab initio de se habitas, irrumpere tandem in Spartanum agrum decreuere, ut mox cum regis copiis sese coniungerent. Cum ad Clympes castellum appropinquassent, quod est iuxta Argiuorum, ac Lacedæmoniorum montes situm, stulte, ac negligenter castra in eo loco posuere. Nam nec fossa, nec uallo circumdederunt, neque locum ad id aptum elegere, sed incolarum beneuolentia freti, temere se iuxta moenia collocarunt. Lycurgus, nunciato Messeniorum aduētu, mercenarios secum, & partem Lacedæmoniorum accipiens, aduersus hostem procedit. Cunctis ad eum locum diluculo peruenisset, instructa acie in Messenios fertur. Messenii simul atque apparentes hostes conspexere, relictis omnibus, præcipiti fuga se in castellum receperunt. Lycurgus equis atque impedimentis magna ex parte potitus est, militem uiuum neminem cepit, duntaxat octo equites interfecit. Messenii hac clade affecti, per Argium agrum domum sunt reuersi. Lycurgus autem rebus sceleriter gestis elatus, cum Spartam rediisset, delectui habendo, parandisque rebus, quæ ad bellum opus essent, operam dabat, omni studio enitens, ne Philippus per Spartanam agrum prælii atque periculi expers reuerti posset. Rex motis Elia castris, populabundus per prouintiam grassari, ac quarto deinde die ad Amyclas omnem exercitum reducere. Lycurgus, facta cum Ducibus atque amicis deliberatione de capessendo cum Macedonibus prælio, urbem egressus, omnes qui circa Menelaium locum erant, secum accipit, ut essent circiter duo millia hominum. His uero qui in urbe erant,

mandat, ut tempus diligenter obseruent: & quamprimum erectum a se signum conspexerint, summa celeritate per diuersa loca ex urbe copias educant, iterque uersus Eurotam teneant, qui fluuius parum ab urbe distat. Lacedæmon, & si in planitie sita esse uideatur, habet tamen particulatim inæquales quosdam, ac montuosos locos: nec procul uersus Orientem defluit flumen, quod Eurotas appellatur, & maiori parte anni, propter profunditatem intransfretabile est. Colles, in quibus est Menelaium, trans flumen sunt, ad eam urbis partem, quæ uergit ad Orientem hybernum. Sunt autem asperi atque difficiles, & præter modum alti, imminenti que ei spatio, quod est a flumine ad urbem, per quod flumen ipsum iuxta collium radices defluit. Per hunc locum necessario transire Rex cogebatur, a sinistra habens urbem, & Lacedæmonios paratos, atque instructos, a dextera flumen, & eos, qui in collibus cum Lycurgo erant. Quæ cum ita essent, Lacedæmonii tale quidam machinati sunt. Rupto aggere in superiore parte fluminis, adeo hymbribus id spatium, quod est inter urbem & colles, impleuere, ut ne equites transire, nec pedites possent. Sic enim necessario futurum uidebant, ut Rex exercitum iuxta radices collium ducere cogeretur. Quod non sine periculo facere poterat, cum necessarium esset exercitum nequaquam confertis ordinibus in longum extendi, paulatimque procedere. Quæ cum animaduertisset Philippus, uocatis in consilium amicis, necessarium iudicauit, Lycurgum primo ex his locis, in quibus erat expellere. Quam ob rem exceptis secum mercenariis & scutatis, præterea & Illyriis, grassari uersus colles cepit, flumē traiecturus, Lycurgus, intellecto Regis consilio, milites, quos secum habebat, paratos esse iussit, & ad prælium pro tempore hortatus est, urbanis uero signum, uti conuenerat, ostendit. Quo facto, repente milites ex urbe egrediuntur, equites in dextro cornu ponentes. Philippus cum Lycurgo appropinquasset, primo mercenarios in eum emitit. Quare factum est, ut principio melior esset Lacedæmoniorum conditio, ut qui & opportunitate loci, & genere armaturæ longe præstabat. Postquam uero scutatos, atque Illyrios in mercenariorum subsidium dimisit, tanta rerum mutatio facta est, ut mercenarii uictoriam habere in manibus uiderentur. Lacedæmonii uero impetu grauis armaturæ deterriti, confestim se, quasi desperata salute, fugæ committerent. Cecidere in eo prælio milites circiter centum, paulo plures sunt capti, reliqui se in urbem recepere. Lycurgus, itinere per saltus pene inuios facto, sequenti nocte cum paucis in urbem peruenit. Philippus, Illyriorum præsidio firmatis

matibus collibus, ipse cum expeditis atque scutatis ad exercitum reuersus est. Sub idem tempus Aratus copias ex Amyclis ducens, haud procul ab urbe aberat. Rex igitur transfretato fluuio, cum iis se coniungit. In equitum subsidium grauis armaturæ milites sub ipsis collibus ponit. Lacedæmonii equites, cum facto in Macedonas impetu, pugnam conseruissent, scutatis fortissime dimicantibus, & rege ipso strenue se habente, tandem usque ad portas urbis turpiter sunt repulsi. Post hæc Rex cum omnibus copiis tuto Europam traiecit. Mox nocte superueniente coactus est castra in exitu angustiæ ponere, in loco alioquin tuto, & Spartano agro imminenti. Vbi breui tempore commoratus, paulo post Tegeam uersus exercitum mouit. Cumque ad loca uentum esset, quibus Antigonus & Cleomenes memorabile illud prælium fecerunt, ibi castrametatus est. Postridie locis diligenter inspectis, & factis Deo in utroque colle sacrificiis, quorum alterum Olympum, Euan alterum uocant, iter prosecutus est. Cum deinde Tegeam appulisset, aliquantum ibi ad diuisionem prædæ commoratus, mox cum copiis Corinthum remeauit. Venerunt eo ad Regem legati Rhodiorum, & Chienium, pro pace inter eum atque Aetolos componenda. Quos rex benigne atque humaniter allocutus, paratum se ad id, inquit, iam diu fuisse, & in præsentia esse, si id Aetolis libuerit. Proinde ad Aetolos proficiscatur, de pacis conditionibus cum illis acturi. Ipse Lechaum profectus, se ad nauigandum parabat, necessarias quasdam res in Phocide gesturus. Sub idem tempus Leontius, & Megaleas, & Ptolemæus adhuc terrere se posse Philippum existimantes, & per eum modum mederi erroribus suis, uocatis ad se scutatis, & quos Macedones Agenia uocant, commemorare eis ceperunt, quomodo semper in summis periculis uersantes, nullum unquam præmiū consequantur, nec prædæ partem ex ueteri & apud omnes approbata consuetudine accipiunt. Per quæ hortati sunt iuuentutem, ut impetu facto, domos præcipuorum Regis amicorum depopularentur, quin & regiam ipsam adgressi, deiicerent portas, & tecta undique deuastarent. Quæ cum illi fecissent, ingens seditio in ciuitate orta, Philippus audito tumultu, ex portu in urbem properat, uocatisque in contionem Macedonibus, partim ut bono animo sint hortatur, partim de antea actis rebus increpat. Incrudescente deinde ira, & aliis existimantibus expellendos esse de ciuitate, qui eius seditionis causa fuerant, aliis mulcenda esse multitudinis pectora, nec se quicquam in aliquem iudicandum putantibus. Rex dissimulato in præsentia consilio, ueluti ab illis persuasus, post multas adhortationes ad portum reuersus est, aperte quidem principes eius

facinoris intelligens, sed rem in aliud tempus differendam ratus. Leontius & focii, desperatis rebus, quod nullum sibi e tot consiliis prospere succederet, ad Apellem confugere, eumque ex Cbalcide aduocarunt, nihil se absque eo facere posse significantes, quod Rex a se in omnibus dissentiret. Apelles liberius forte quam officium eius decebat, in Chalcide se habuerat. Siquidem Regem adhuc adulescentem esse, & sibi subiectum, ac nullius rei dominum ostendebat, dominium atque administrationem omnium rerum duntaxat sibi attribuebat. Quam ob rem Macedoniae atque Thesaliam principes omnia iam ad hunc unum referebant, & omnes Graeciae ciuitates in suffragiis, honoribus, ac muneribus breui tempore obliti Regis erant, solus Apelles omnia administrabat. Quae cum iam diu Rex intellexisset grauius & iniquo animo ferebat, praesertim Arato cum ad hoc continue stimulante. Adeo tamen prudenter factum dissimulabat, ut mentem eius nemo prorsus intelligeret. Apelles regiae intentionis ignarus, putansque quod primum ante Regis conspectum ueniret, omnia se ex sententia consecuturum, ex Chalcide Corinthum uenit. Cum urbi appropinquasset Leontius, & Ptolemaeus, & Megaleas, qui scutatis, & caeteris grauioris armaturae militibus praerant, magno studio eum accipere, hortati iuuentutem, ut redeunti obuiam procederent. Magna igitur stipantium Ducum, & militum pompa comitatus recto itinere in regiam uenit. Cum autem ingredi statim, uti consueuerat, uellet, ianitor quidam expectare eum iussit, occupatum esse in praesentia Regem dicens. Apelles nouitatem rei admiratus, hesitabundus aliquandiu constitit. Mox incensus, atque inops consilii, inde profectus est. Reliqui omnes repente ab eo discesserunt, ut tandem solus cum propriis pueris domum sit reuersus. Quam parua temporis interualla homines in excelso fastigio collocant, & eosdem rursus ad extremam miseriam ac calamitatem redigunt, atque eos maxime, qui in aulis Principum uitam agunt. Hi enim similes sunt suffragiis, quae in publicis consiliis dari solent. Nam ut illic pro eorum, qui consulunt, uoluntate, quae modo aenea fuerunt, mox aurea dantur: ita qui regias Principum sequuntur, pro regis uoluntate nunc beati, mox miseri fiunt. Megaleas, cum frustra se Apellis opem quaesisse intelligeret, timore plenus, ad fugam se parabat. Apelles post eum diem ad contiones, & alios huiusmodi honores uocabatur, in consilia uero, & quotidianas rerum deliberationes admittebatur nunquam. Paucis post diebus Rex in Phocidem ducto secum Apelle reuersus est, ubi uoti compos repente factus, iterum ex Elatia reuertebatur. Inter haec Megaleas Athenas fugit, relicto Leontio, uiginti talentorum fideiussore.

Inde

Inde Ducibus, qui Athenis erant, recipere eum nolentibus, Thebas reuersus est. * Rex circa cum classe profectus, in Sicyoniorum portum nauigauit. Ex quo mox in urbem ueniens, principes hortatus est, ut bono animo essent; ipse apud Aratum diuertit: continueque posthac moram cum eo traxit, Apellem nauigare Corinthum iussit. Cum interea de fuga Megaleae nunciatum esset, scutatos, quibus Leontius praerant, in Triphaliam cum Taurione misit, tanquam re aliqua graui, ut id faceret, urgente: mox cum discessissent, duci Leontium in uincula iussit. Quod cum scutati per nuncios cognouissent, misere ad Regem Legatos precatum, ut si ob aliam causam captus Leontius fuisset, non prius iudicium de eo ferret, quam ipsi uenissent. Aliter existimatos se contemni a Rege, ac pro nihilo haberi. Si uero propter fideiussionem, qua pro Megalea se astrinxerat, ex publico stipendio sese Regi satisfacturos. Rex importunitate militum stimulatus celerius, quam statuerat, Leontium interfecit. Inter haec Rhodiorum & Chiensium legati ex Aetolia redierunt, triginta dierum indutias pacti & paratos esse illos dicentes ad pacem cum Rege componendam: constituto praeterea die, quo Rex occurrere eis iuxta Rhium deberet, pollicitique Aetolos omnia libenter facturos; ut pax sequeretur. Rex acceptis indutiis, literas ad socios dedit, hortatus, ut Patras legatos mitterent, qui secum agerent de conditionibus pacis. Ipse ex Lechgo profectus, perendie Patras appulit. Sub idem tempus allatae ad eum sunt ex Phocide literae, quas Megaleas Aetolis scripserat, in quibus hortabatur eos, ut bono animo essent, acriterque in bello peristerent. Regem enim propter inopiam commeatuum, ac rerum necessariorum, non posse diutius bellum tolerare. Multa praeterea in Regem maledicta, & contumeliae in iisdem literis continebantur. His lectis Rex, cum sibi persuasisset, omnem istarum rerum causam atque initium esse Apellem, capi eum statim iussit, ac Corinthum duci una cum filio, & Exoleta, quem in delitiis habebat. Ad Megaleam uero Thebas Alexandrum misit, iussum, ut eum ad se duceret, quo fideiussor eius liberaret. Cum Alexander mandata Regis exequi uellet, non expectauit id Megaleas, sed statim sibi ipsi manus intulit. Iisdem fere diebus Apelles, & filius, & Exoletus extincti sunt, dignam tandem factis eorum poenam impio sanguine luentes. Aetoli, & si pacem cupiebant, diuturno bello uexati, rebusque omnibus longe aliter quam sperarant, euenientibus, (siquidem cum puero atque infante pugnatos se existimantes ob etatem atque inexperientiam Regis, uirum, & consilio & opere praestantissimum experti fuerant) cognito tamen scutorum tumultu, & Leontii atque Apellis

X

casu audito, sperantes magnum aliquem rerum motū in Regis aula futurum, Rhium, uti statuerant, præstituta die nō uenere. Philippus hac occasione prosequendi belli libenter accepta, legatos sociorum, qui eo conuenerant, non ad pacem, quam ob rem fuerant uocati, sed ad bellum hortatus est. Deinde cū classe discedens, Corinthū adpulit, & Macedones quidem omnes per Thessaliā hyemandi gratia domum remisit. Ipse e Corintho profectus, per Euripum in Demetriadē nauigauit. Illic Ptolemæum, qui solus ex coniuratione Apellis, & Leontii supererat, cum Macedonum consilio interfecit. Per idem tempus Annibal, superatis Alpibus Italiam ingressus, castra iuxta Padum amnem nō longe a Romanorum castris posuerat. Antiochus, multis locis Syrię subuigatis, in hyberna copias reduxerat. Lycurgus Lacedæmoniorum Rex timore Magistratum in Aetoliā fugerat. Magistratus enim, cum falsus quidam rumor increbuisse, Lycurgum nouis rebus studere, congregata iuuentute, ad domū eius noctu uenerunt. Quod cum ille præsensisset, cum propriis familiaribus fugam arripuit. Hyeme inualescente, cū Philippus rex in Macedoniā reuersus esset, Eperatus uero Achæorum Dux, simul & a iuuentute urbana, & a mercenariis militibus contemneretur, nec iussis quispiam obtemperabat, nec aliquid ad patrię defensionem parabatur. Quod cum animaduertet Pyrrheas, dux Eliensibus ab Aetolis missus, habens secum Aetolos circiter mille & trecentos, præterea mercenarios Eliensium, & cū his urbanos pedites mille, equites ducentos, ut essent omnes ad tria millia hominum, non solum Dymensium, ac Pharensium, uerumetiam Patrensiū agrum deuastabat. Positisq; ad extremum castris iuxta Panachaicum montem, qui Patris imminet, omnes circumstantes regiones depopulabatur. Ciuitates afflictæ, & omnis auxilii inopes tributa pendere cogebantur. Cum in hoc statu res Achæę forent, iamq; comitiorū tempus adesset, Eperatus principatū deposuit. Achęi, ineunte iam Vere, Ducē elegerūt Aratum seniorē. Hęc igitur ea tempestate in Europa gerebantur. Nos uero postq̄ distinctionē temporum, & rerū gestarū ordinē secuti, cōuenientem huic rei locū nacti sumus, ad res in Asia sub eadem Olympiade gestas transeamus, & primo quidē, sicuti in initio operis sumus polliciti, Syriacum bellū referamus, quod Antiochus & Ptolemæus inuicē gesserunt. Cum primū Ptolemæus, cui ex facinoris crimine cognomen Philopater fuit, extincto patre & fratre, ac sequacibus illius interfectis, Aegypti imperium suscepit, ratus nullum amplius domi timorem esse, ob prædictum facinus, forisq; omnia sibi fortunam tutissima præparasse

rasse, Antigono & Seleuco, uita functis, receptisq; in regna Antiocho, & Philippo, qui uix adhuc pubertatis annos excefferant, uelut rebus omnibus sibi foelicissime succedentibus, luxurię se tradidit, Regisq; morem omnis secuta est regia, quam ob rem nulla eius inter suos auctoritas erat. Externi Reges contemnebant eum, ac pro nihilo habebant, de quibus ueteres non minorem semper sollicitudinem habuerant, quam de iis, qui in Aegypto dominabantur. Enim uero Syrię Regibus, & a mari, & a terra inferioris Syrię, & Cypri principes imminebant, iis uero qui in Asia, atq; insulis dominabantur, adiacebant ii, qui nobiliores ciuitates, & loca, & portus tenebant, per uniuersum littus a Pamphilia usq; ad Hellepontum, & Lysimachię loca. Thracię uero, & Macedonia rebus incumbēbant, qui Aeno & Maronię, ac remotioribus etiam ciuitatibus præerant. Et per hunc modū extensis manibus, procul a regno suo externos principes adgressi, nunquam de Aegypti imperio solliciti erant. Propter quod non immerito præcipuam semper curam de externis rebus habebant. Hic uero, de quo loquimur, Rex negligentius in his rebus ob turpes amores, & maximas ac frequentissimas ebrietates uersatus, multos breui tempore uitę simul, ac regno suo insidiantes inuenit. Quorum primus fuit Cleomenes Lacedæmonius. Hic enim, quamdiu is uixit, cui cognomen Benefactor fuit, nihil noui tentauit, ut qui sibi persuaserat, uiuente illo non defuturam sibi in recuperando paterno regno libertatem. Mortuo uero illo, cum interiecto tempore, Græci duntaxat Cleomenem uocarent, Antigono quidē defuncto, Achæis autem bellum gerentibus, & Lacedæmoniis secundum Cleomenis ab initio sententiam aduersus Achæos, atq; Macedones cum Aetolis sentientibus, hoc maxime tempore de discessu suo ex Alexandria sollicitus esse cogebatur. Quam ob rem primo regem hortari, ut se cum decenti comœatu, & copiis emitteret, deinde obaudiēte Rege, rogare eum, atq; precari, ut se duntaxat cum domesticis dimitteret, tempus enim maximas in præsentia præ se ferre opportunitates ad paternum regnum recuperandum. Rex igitur, nec in præsentia cogitans, nec futura, propter supradictas causas præuidens, temere sane atq; imprudenter Cleomenem semper contempsit. Sosibius autem cū suis Chicenim potissimum ea tempestate negotia regni administrabat) talia quædam inter consultandum de eo cogitabant. Dimittendum quidem cum classe, & comœatu Cleomenem non censebant, ueriti externa, ne scilicet defuncto paulo ante Antigono facilis ad moliendas res nouas uia foret. Timebant præterea, ne cum mortuo Antigono,

nemo amplius Cleomeni obstaret, ciuitatibus Græciæ extemplo potiretur, ac mox sibi formidinem incuteret, præsentibus res sibi ante oculos ponens, & uitam, ac mores regios expertus: uidens præterea diuisas, longæque inter se distantes regni partes, & multas moliendarum nouarum rerum opportunitates habentes. Erant enim circa Samum non paucæ naues, & militum iuxta Ephesum ingens multitudo, quam ob rem cum classe, & comæatu mittendum Cleomenem ob supradictas causas non putabant. Solum uero, aut cum paucis, non sine contumelia talem uirum dimittendum haud tutum rebus suis arbitrabantur, ut qui sibi repente manifestus hostis esset futurus. Reliquum erat, ut inuitus retineretur. Hoc itidem omnes damnabant, periculosum existimantes intra eosdem caules Leonem, atque oues continere. Huius præcipue sententiæ erat Sosibius, ob talem quandam causam. Quo tempore de Magna atque Beronice capiendis agitabatur, timentes, ne ceptis frustrarentur, maxime ob audaciam Beronices, coacti sunt uniuersos, qui regiam sequebantur, in unum conuocare, omnibusque ingentem spem proponere, si res ex sententia succederet. Tunc Sosibius, intelligens Cleomenem in recuperando paterno regno fauore Regis indigere, eundemque prudentem atque astutum summis in rebus expertus, spe maximarum rerum proposita, totius consilii sui participem fecit. Cleomenes, quia subtristem illum, & aduenas ac mercenarios milites timentem uidebat, bono animo esse iussit. Mercenarios enim non solum impedimenti nihil allaturos, sed potius ad perficiendam rem, plurimum auxilii præstituros pollicebatur. Quod cum ille magis admiraretur: non ne uides, inquit, quæ circiter tria millia sunt Peloponnesiorum militum? Cretenses fere mille: quos omnes uno nutu, quocumque libuerit, nos soli trahemus? his propitiis, quos times amplius? an a Syria, inquit, & Caria commilitones? Quæ cum Sosibius libenter audisset, longe audacius id factum adgressus est. Posthæc uero, cum sapius ignauiam atque segnitiem Regis animaduerteret, continue dictum illud memoria repetebat, & audaciam Cleomenis, summamque mercenariorum erga illum beneuolentiam ante oculos tenebat. Quam ob rem & hoc tempore id maxime considerans, de capiendo, tenendoque in uinculis Cleomene Regem, cæterosque amicos hortatus est. In qua re peragenda hoc adminiculo usus fuit. Erat Nicagoras quidam Messenius Archidami Lacedæmoniorum Regis paternus hospes. Inter hos superiori tempore parua quædam amicitia fuerat. Quo uero tempore Archidamus Sparta eiectus timore Cleomenis Messenem fugit, non solum domi, & cum amicis primo congressu Nicagoras eum suscepit, sed postea durante exilio ita

cum

cum eo uersatus est, ut summa quædam amicitia, ac familiaritas sit inter eos orta. Quapropter & posthæc, cum Cleomenes fidem reconciliationis cum Archidamo perseueraret, Nicagoras de conditionibus pacis agere cepit. Firmato itaque foedere, & fide a Cleomene per Nicagoram accepta, Archidamus Spartam remigrabat, cui factus in itinere obuius Cleomenes, Archidamum quidem interfecit, Nicagoram autem, cæterosque, qui eum comitabantur, dimisit. Nicagoras extrinsecus quidem habere se Cleomeni gratias simulabat, quod salutem suam pepercisset, intrinsecus autem grauius & iniquo animo id factum ferebat, quod ipse causam huic rei præbuisse uideretur. Hic igitur Nicagoras breui ante tempore equos uehens in Alexandriam nauigarat. Vbi cum e nauis egrediretur, inuenit Cleomenem, & Pantrem, & una Hippitam iuxta portum deambulantes. Quem conspiciens Cleomenes, amice ac familiariter salutauit. Percunctatus deinde quid eo uenisset? uexisse se equos respondit. Cui Cleomenes, mallet, inquit, Cinædos, Sambucasque uexisses. His enim magis in presentia Rex delectatur. Tunc subridens Nicagoras tacuit. Paucis uero interiectis diebus, cum forte equorum gratia in sermonem cum Sosibio incidisset, retulit id, quod Cleomenes petulenter de Rege fuerat locutus: quod cum libenter audire Sosibium intellexisset, omnem deinde causam simultatis, quæ sibi cum Cleomene fuerat, commemorauit. Sosibius, postquam eum cognouit Cleomeni præter modum infensum, partim ei in presentia gratificatus, partim spe futuri proposita, tandem Nicagoram persuasit, ut conscriptam ad se de Cleomene epistolam inde nauigans relinqueret, quam post discessum eius puer ad se afferret, tanquam a Nicagora missam. Qua re a Nicagora diligenter peracta, literis quæ per puerum Sosibio allatis, postridie quam Nicagoras ex Alexandria discesserat, Sosibius puerum atque epistolam secum habens, ad Regem properat, afferente puero, Nicagoram sibi eas literas tradidisse, quas ad Sosibium perferret. Continebat in literis, Cleomenem, nisi statim cum classe & comæatu dimitteretur, statum Regis in periculo positurum. Qua occasione sumpta Sosibius, Regi atque amicis persuasit, haud contemnendam esse hanc rem, sed Cleomenem capiendum, in uinculisque seruandum. Quo facto, amplissima domus ei tradita est, in qua custodiens diuersabatur, hoc a cæteris captiuis differens, quod in ampliori carcere debebat uitam. Quæ animaduertens Cleomenes, & per exiguam de futuro spem habens, omnia experiri decreuit, nihil tamen, ut in summa desperatione perficere se posse existimans, sed potius honestissimam mortem cupiens mori, nihilque perpeti, quod magnitudine animi sui indignum uideretur. Obseruata igitur Regis ad

X iii

urbem Canobum profectio, famam inter custodes sparsit, se a Rege propediem liberatum iri. Quare suis quidem epulum parauit, custodibus autem uictimas, & coronas, & cum his simul uinum misit. Quibus id affatim assumentibus, cum tandem omnes ebrietas coepisset, acceptis secum amicis, seruisque, qui ei ministrabant, medio die nihil sentientibus custodibus, cum strictis ensibus domum exiuit. Procedentes itaque, cum in platea Ptolemæum, qui tum relictus in urbe fuerat, offendissent, omnibus, qui una erant, magnitudine rei perterritis, Ptolemæum quidem quadriga deiectum interfecere, multitudinem uero ad libertatem hortati sunt. Verum, nemine ob magnitudinem facinoris se mouente, referentes gressum, impetum in arcem fecere, tanquam deiecta porta prodicione eorum, qui eam custodiebant, hoc loco confestim potituri. Sed hac quoque spe ad extremum frustrati, quod hi, qui arci præerant, præuidentes periculum, portam diligenter muniuerant, adhibitis sibi manibus, honestissimam mortem, & Spartanis animis dignam oppetiuere. Cleomenes igitur hunc exitum habuit, uir & eloquio apud multitudinem potens, & in gerendis rebus strenuus, cui nihil nunquam Regium præter regnum deesse uisum fuit. Post hunc non longe postea Theodotus, qui inferioris Syriæ rebus præerat, natione Aetolus, partim Regem ob incuriam, atque segnitiam uitæ contemnens: partim iis, qui regiam sequebantur, diffidens, quod non multo ante tempore, cum rem perquam utilem Regi proposuisset, cum ad alia, tum ad obsistendum Antigono Syriæ regnum perturbare uolenti, non modo nihil gratiæ consecutus erat, sed contra uocatus in Alexandriam, de uita fuerat periclitatus, conuenire Antiochum decreuit, eique inferioris Syriæ urbes tradere. Hoc igitur oblationem læto animo suscipiente, res quamprimum finem sortita est. Enimvero Antiochus iunior filius erat Seleuci, cui cognomentum Callinicus fuit. Hic mortuo patre, cum regnum ad fratrem eius Seleucum, qui natu maior erat, peruenisset, principio quidem in superiori parte regni priuatam uitam egit, mox fratre, qui Taurum montem cum copiis transcenderat, per dolum, ut supra memorauimus, interfecto, imperium ipse adeptus, regnauit, omni, quam citra Taurum tenebat, prouincia Achæo commendata. Superioribus uero regni partibus preposito Molone, & fratre Molonis Alexandro, ut Molo quidem Mediæ, at frater uero Persidi præesset. Hi Regem ob ætatem contemnentes (uix enim quintumdecimum ætatis annum exceperat) & conspiraturum secum Achæum existimantes, timentes præterea sæuitiam & crudelitatem Hermiæ, qui tum summam

nam regni tenebat, deficere a Rege, & statum prouinciæ, cui præerant mutare decreuerunt. Hermias quidem e Caria erat, hunc regno præecerat Seleucus frater, fide eius fretus, quo tempore cum exercitu Taurum pertransiuerat. Quam ob rem in summo fastigio constitutus omnibus, qui in regia aliquid poterant, inuidebat, homo natura sæuus atque crudelis, infontes, prout libido ferebat, acerrime damnabat, nocentes, ac facinorosos homines non solum patiebatur, uerum etiam fouebat, denique in iudiciis immanis, atque asper erat. Præcipue uero insidiabatur uitæ Epigenis, qui Seleuci copiis præerat, quod eum uirum cernebat & oratione & operibus plurimum pollere, maximamque habere in exercitu gratiam & auctoritatem. Et quantum hoc continuo uersaret animo, continebat se tamen, aliquam ad patrandum facinus occasionem quaerens. Cæterum congregato Concilio de defectione Molonis, & Rege iubente, ut quisque quomodo his rebus prouidendum uideretur, diceret, cum primus Epigenes sententiam dixisset, haud contemnendam sibi eam rem uideri, sed appropinquare Regem iis locis oportere, paratumque in tempore esse, ita enim uel omnino destitutum ab incepto Molonem, præsentem Rege, & non mediocri exercitu ante oculos posito: uel, si omnino perficere inceptum auderet, multitudinem ipsam coniuratores omnes in manibus Regis posituram. Tunc indignatus Hermias, cum longo iam tempore, inquit, proditor regni latueris o Epigenes, tandem perfidia tua detecta hoc concilio est, quod corpus regium cum paucis in manibus conspiratorum ponere studueris. Quæ cum dixisset, perstitit in sententia sua, ut copias aduersus Molonem ducere ob inexperience militum, periculosum censeret, in Ptolemæum autem summa celeritate ducendum putaret exercitum, tutissimum esse hoc bellum existimans ob segnitiam atque ignauiam Regis. Tunc igitur perterritis omnibus, qui in concilio aderant, aduersus Molonem duces cum copiis misit Xenonem, & Theodotum Hemioliu. Antiochum autem hortatus est, ut mox res Syriacas adgrederet, ratus duntaxat hoc modo, si adolescens undique bello circumueniret, neque se præteritorum malefactorum luere poenas posse, neque præsentem auctoritatem amittere, ob assiduos belli usus, continueque instantia Regi pericula. Quam ob rem conscriptam, & ad extremum epistolam, & ueluti ab Achæo missam Regi attulit. In qua significabatur, Ptolemæum hunc ad contentionem de principatu hortari, pecuniamque, & comæatum in omnes usus offerre, si diadema assumeret, & manifeste omnibus appareret de regno uelle contendere. Rex igitur scriptis fidem habens, paratus erat exercitum in Syriam ducere,

Interea dum in Seleucia moraretur, aduenit Diognetus Dux classis ex partibus Cappadotiae, quae sunt iuxta Euxinum, uehens Laodicem Mithridatis Regis filium uirginem Regi desponsam. Qua magnifico apparatu, & regia pompa suscepta, Antiochus repente nuptias peregit. Dehinc subito in Antiochiam profectus, administratione regni uxori relicta, omni studio ad apparatus belli intentus erat. Sub idem tempus Molon, cum paratam ad quodcunque facinus multitudinem cerneret, partim magnarum rerum spe illis proposita, partim fictis & adulterinis a Rege literis perterritis Ducibus: haberet praeterea concertatorem Alexandrum fratrem, & propinquas omnes ciuitates ob beneuolentiam praefectorum tuas reddidisset, educto ingenti exercitu, castra non longe a castris Ducum Regis posuit. Xenon & Theodotus aduentum eius perterriti, mox se in propinquas ciuitates receperunt. Molon totius agri Apolloniae dominus factus, ac libere iam per omnem prouinciam discurrens, affatim omni genere comestus potiebatur. Omnes enim regionum equorum greges in Media erant, praeterea frumeti, ac pecudum ingens ac pene innumerabilis multitudo. Rex audita Molonis profectioe, & fuga Ducum suorum cognita, paratus quidem erat relicto Ptolemo exercitum aduersus Molonem ducere, sed Hermeas haud immemor propositi sui, ad Molonem quidem Xencetam Achegum Ducem cum copiis misit, dicens aduersus eos, qui defecerant, pugnare Duces oportere, aduersus uero Reges Regem ipsum decertare. Ipse igitur Regem propter aetatem in manibus habens Apaniam proficiscitur, ubi coactis copiis, mox inde Laodiceam contendit. Hinc rex cum omnibus copiis profectus, transacta eremo in locum uenit, quem Marfiam incolae uocant, inter Libanum & Antilabanum promontoria situm, qui locus & natura angustissimus est, & in angustiore sui parte uadofus atque palustris. Imminet autem praedictis angustis ex una quidem parte oppidum, quod Brochos appellant, ex altera uero Gerra. Arduissimus inter utrunque oppidum callis est. Rex aliquot diebus per angustias profectus, tandem Gerra peruenit, ubi cum Theodotum Aetolum iam Gerris, & Brochiis potitum comperisset, quicquid uero penes paludem erat angustiarum, uallo ac fossa diligenter munitum, praeterea & sufficientes custodias adhibitas, primo quidem uim inferre conatus est. Posthaec uero, cum plus pati malorum, quam facere uideretur, ob difficultatem loci, & quod Theodotus adhuc permanere in fide cum Ptolemæo uidebatur, ab incepto destitit. Allato deinde de Xencete conflictu, et Molonis uictoria nuncio, relicta supra dictis locis, propriis rebus succurrendum putauit. Xencetas Dux aduersus Molonem,

ut supra

ut supra diximus, missus, & maiorē opinione orationum licentiam consecutus, amicis quidem insolentius utebatur, aduersus uero hostes audacius se gerebat. Enimuero Seleuciam cum copiis profectus, Drogene, & Pythiade accersitis, quorum alter Sulianae regionis, alter Rubri maris praefectus erat, exercitum aduersus hostes eduxit, castraque non longe ab eorum castris posuit, Tigri flumine in medio fluente. Hic multis ad eum ex castris Molonis transnatis, significantibusque, si flumen traiceret, magnam partem copiarum Molonis ad eum transituram, quod omnis fere multitudo huic quidem inuideret, Regi uero amica, atque beneuola esset, persuasus eorum uerbis Xencetas, se ad traiciendum Tigrim accinxit. Ostendens autem se per locum quendam, ubi diuisa aqua, insulam faciebat, transiturum, nihil prorsus ad eam rem necessariū parabat. Ex quo accidit, ut Molo quidem inceptum eius contemneret, multitudo uero dedita opera, id fieri existimans, pararet se, atque instrueret. Xencetas aptissimo quoque equite, ac pedite, ex omni exercitu delecto, Zeuxique, & Pythiade ad custodiam castrorum relicta, per noctem circiter octuaginta stadia infra castra Molonis profectus nauibus incolumem exercitum traiecit, et adhuc durante nocte in loco peropportuno castrametatus est. Quippe qui magna ex parte flumine claudebat, quod superat, contiguae paludes, ac stagna tutum faciebant. Molon, cum id nunciatum interea foret, equites obuiam misit, tanquam illis transitum impedituros, aut si qui iam pertransissent, eos facile profligaturos. Hi cum Xencete appropinquassent, ob locorum ignorantiam plus ipsi a se ipsis, quam ab hostibus detrimenti sunt passi. Siquidem in stagna delati, omnes ad rem gerendam inutiles facti sunt, multi & in ipsis stagnis periere. Xencetas ratus, si hostibus appropinquaret, multos ad se exiis, qui cum Molone erant, transituros, paulatim per ripam fluminis progressus, castra in conspectu hostium posuit. Sub idem tempus Molon, seu militari astu, siue quod copiis diffideret, relicta in castris impedimentis, nocte inde discessit, itinere uersus Mediam facto. Xencetas terrore aduentus sui, & quod non satis militibus fideret, fugisse hostem ratus, primo quidem occupatis hostium castris, equites suos, omnemque apparatus, quem cum Xeuxi reliquerat, accersit. Deinde conuocata multitudine, uniuersos, ut bono animo essent, optimaque de futuris spem haberent, hortatus est, utpote conuerso iam in fugam, & in summa desperatione rerum constituto Molone. Quae cum dixisset, curare singulos corpora iussit, paratosque in posterum diem ad insequendos hostes esse. Multitudo auctis huiusmodi rebus animis & omni genere praedae referta ad crapulam se, ebrietatemque conuertit, &

eam, quæ ex huiusmodi rebus consequi solet, segnitiam atque ignatiam. Molon, cum oppportunum quendam locum nactus cœna militem refecisset, conuerso mox itinere, in hostes redit, quos cum somno uinoque sepultos comperisset, summis uiribus castra eorum sub auroram inuadit. Xenetas nouitate ac magnitudine rei perterritus, nec suos propter ebrietatem excitare ualens, cum paucis impetu in hostes facto profligatur. Dormientium magna pars in ipsis castris ceciderunt, reliqui se in flumen proicientes natate in ulteriorē ripam conati. Verum hi quoque ad extremum magna ex parte periere. Miserabilis erat trepidantium aspectus. Omnes enim se nullo respectu in undas proicientes transnatare in ulteriorem partem nitentur, iumenta, sarcinasque in flumen agebant, tanquam tuto ferri in ulteriora castra aquis secundantibus possent. Ex quo accidit, ut uno tempore una cum uictis equi, iumenta, arma, caduera, per flumen ferrentur, res ut uisu horribilis, ita etiam dictu stupenda. Molon repente castris hostium potitus, & tuto deinde transportatis copiis, cum nemo impedire ei transitum posset, Xeuxi uix iam appropinquantibus hostibus in fugam conuerso, ea quoque, quæ ultra flumen erant, castra occupat. His rebus foeliciter gestis, Seleuciam cum exercitu uenit, qua mox potitus, quæ cum Xeuxi erant, aduentu eius perterriti, una cum Diomedonte Seleuciæ præfecto urbem dereliquerunt, peragrata prouincia, superiores omnes ciuitates nemine resistente in fidem accepit. Posthæc totius Babyloniam, & locorum omnium, qui sunt circa mare rubrum, imperium consecutus, Susa uenit, & urbem quidem euestigio debellauit. Arcem uero cum crebris certaminibus tentasset, quod Diogenes Dux in eam se receperat, expugnare non ualens, ab incepto destitit, solutaque obsidione rursus Seleuciam cum copiis remeauit. Vbi refecto aliquot diebus exercitu, & hortatis ad bellum militibus, exteris deinde res magno animo aggressus est, omnemque citra & ultra Tigrim prouinciam usque ad Europem, & Dura ciuitates intra breue tempus subegit. Antiochus cum hæc, ut supra diximus, nunciata forent, relictis Syriacis rebus, summa celeritate huic parti prouidendum arbitrabatur. Congregato igitur rursus concilio cum dicere singulos sententiam suam de Molonis bello iussisset, insurgente Epigene, ac opportuisse olim huic rei prouideri dicente, antequam hostes tantis rerum successibus audaciores fierent, & nihilominus in presentia quoque huiusmodi rebus totis uiribus incubendum indignatus, rursus Hermias ad iurgia, & contumelias se conuerrere, temerarieque, atque insolenter nimium se efferens, falsasque in Epigenem calumnias fingere, obtestari Regem, ne tam imprudenter contemneret, ne uel desereret Syriacum bellum

bellum. Denique ita excandescere, ut facile odium, quod in Epigenem conceperat, uniuersis ostenderet. Cum uero ad extremum melior omnibus Epigenis sententia uideretur, decretum in Concilio fuit, ut copie aduersus Molonem ducerentur, omnisque furor belli eo conuerteretur. Hermias mutasse se statim sententiam simulans, & oportere inquit decretum ab omnibus seruari, quæcumque necessaria ad bellum uidebantur, strenue parabat. Congregatis tandem Epamiam copiis, cum forte seditio quædam de diuisione frumenti, orta inter milites fuisset, percussus animo Regem, & finem tumultus formidantem nactus, pacificaturum se militum animos, frumentumque inter omnes concorditer diuisurum promissit, si Rex data fide astringeretur nunquam se posthac Epigenem secum in expeditionem ducturum. Nihil enim in exercitu dignum fieri posse, ipsis ita inter se dissidentibus atque infestis. Rex, & si id grauius, & iniquo animo ferebat, quod Epigenem consilio atque industria plurimum in rebus bellicis pollere experientia didicerat, circumuentus tamen Hermias promissionibus suæ spontis non erat. Quam ob rem presentibus rebus medendum ratus, confestim Epigenem dimisit. Quo facto, ingens repente omnes, qui de consilio Regis erant, pavor cepit. Copie autem id, quod concupiuerant, in diuisione frumenti adeptæ, mutata mox sententia Hermias adhererunt, exceptis Cytrastris. Hi enim numero circiter sex millia hominum facta seditione a Rege defecerunt, nec paruum diuersis temporibus impedimentum rebus eius præbuere. Tandem uero a quodam e Ducibus Regis bello superati, magna ex parte perierunt, reliqui se fidei Regis commiserunt. Hermias amicis quidem terrore, copie uero beneficio sibi conciliatis, motis castris cum Rege proficiscitur. Aduersus uero Epigenem tale quiddam machinatus est, conscio, atque adiutore Alexi, qui tum archiepamiam præerat. Conscriptis enim literis, quæ tanquam a Molone Epigeni mitterentur, puerum quendam Alexi subornauit, maximarum rerum spe proposita, qui ad Epigenem profectus huiusmodi literas clam cum cæteris literis illius misceret. Quo facto, repente Alexi ad Epigenem uenit, & an aliquas literas a Molone accepisset, percontatus, cum ille pertinacius negaret, inuenturum se affirmauit. Mox igitur uestigabundus domum ingressus literas reperit. Qua occasione sumpta, statim Epigenem interfecit. Hæc cum accidissent, Rex quidem merito hunc luisse poenas arbitrabatur. Cæteri uero, qui in aula Regis erant, & si graui animo ferebant id facinus, timore tamen languorem animi dissimulabant. Antiochus, cum usque ad Euphratem uenisset, motis denuo castris in Antiochia profectus in Mygdonia constitit, ubi circiter quadraginta

dies cōmoratus, mox Libam contendit. Illic cōgregato Concilio, cum forte, qua iter esset aduersus Molonem faciendū, disputaret: item quomodo, aut unde querendi cōmeatus, (quippe ea tēpestate Molon in Babylonia morabatur) Hermeæ quidē uisum est iter citra Tigrim, per ripam eius fluminis tenendum esse. Xeuxis uero sententiæ erat plane diuersæ, sed mortem Epigenis ante oculos habens, aperire iudiciū suum formidabant. Tamen cum manifesta omnibus Hermeæ ignorantia uideretur, uix ad extremum cōsulere ausus est, traiciendum esse Tigrim, cum propter reliquas difficultates uiæ, quæ est citra amnem, tum quod necesse erat, postq̄ certa loca pertransissent, sex dierū itinere per desertam regionem facto, ad regionem, quæ Diorex dicitur, peruenire, quā cum iam hostes præoccupasset, tuto pertransiri non posse. Quinetiam reditum per deserta, non sine discrimine futurum, maxime ob inopiā commeatus. Traiecto uero Tigri omnes Apolloniæ populos pœnitētia ductos Regem aduocatuos esse, quippe, qui in præsentia non sponte, sed necessitate atq̄ formidine Moloni parerēt. Copiam præterea cōmeatus ob fertilitatem regionis maximam futuram. Et, quod maioris momenti erat, reditum Moloni in Mediā interdusum iri. Ex quo necessario erat futurum, ut, uel Molon in prælium descenderet, uel hoc detrectante periculum, copiæ eius statim se fidei Regis cōmendarent. Approbata igitur in Concilio Xeuxidis sententiā, mox copias tribus locis traicientes multitudinem omnem, atq̄ impedimenta transfretarunt. Posthæc uersus Dura cum copiis profecti, repente obsidionem eius urbis dissoluerunt. Siquidem unus ex Molonis ducibus paucis ante diebus obsidere illam cœperat. Continuato deinde itinere, & monte, quē Oricum incolæ uocant, superato, Apolloniam descendere. Sub idem tempus Molon, cognito regis aduentu, & populis Susiani, ac Babyloniæ agri diffidens. Quippe quos recenter, inopinatēq̄ subegerat, timēs præterea, ne reditus sibi in Mediā intercluderetur, ingenti celeritate Tigrim cum omnibus copiis transfretandum censuit, festinans, si posset, saltus, qui in Apolloniatem agrum ducunt, præoccupare, q̄ maximam in funditoribus, quos Cyrtias uocant, spem haberet. Cum igitur iis locis appropinquasset, & Rex interea cum omni exercitu Apollonia profectus non longe abesset, accidit, ut leuioris armaturæ milites, qui præmissi ab utroq̄ fuerant, in quodam iugo una concurrerint. Hi primo quidem tentare inter se fortunam belli cœperunt, postea appropinquantes utrinq̄ copiis reuocarūt gressum, & ad suos utriq̄ reuersi, castrametati sunt, circiter quadraginta stadia inuicem distantes. Adueniente

niente nocte Molon, q̄ periculosum putaret pugnam interdū cū Rege conferere, utpote non satis fide suorum fretus, intempesta nocte adgredi Antiochum decreuit. Quam ob rem optimo quoq̄ milite ex omni exercitu delecto, per inuia quædam loca proficiscit, ex superiori parte facere in hostes impetum cogitans. Sed cum in itinere intellexisset, decem iuuenes ex suis clam noctu ad Antiochum iuisse, ab incepto destitit, statimq̄ mutato itinere, in castra reuersus. Cum surgente aurora eo peruenisset, ingenti tumultu exercitum compleuit. Expectati enim subituario aduentu suorū qui in castris erant, tanto terrore correpti omnes fuere, ut parum abfuerit, quin turpi fuga e castris discesserint. At Molon patefacta re inualecentem in exercitu tumultum pro uiribus sedauit. Rex autem, cum instructus paratusq̄ esset ad prælium capessendū, cum prima luce omnes copias e castris educit. Equites lanceas ferentes in dextro cornu locat. His præficit Ardym, uirum bellicarum rerum expertissimum, quibus addit socios Creteneses, post quos deinde Gallos, postea mercenarios milites, postremo equitum phalangem constituit. Sinistrum uero cornu dat sociis. Hi omnes equites erant, Elefantos in fronte ponit, inter utroq̄ cornu constitutos. Hi numero decem tantummodo erant. Auxilia peditum equitumq̄ in utroq̄ cornu distributa circūdare hostes iubet, simul atq̄ in prælium descenderetur. Posthæc hortatur milites, percurrens breuiter quæcunq̄ ei tempore conuenientia uidebantur. Et læuo quidem cornu Hermeam & Zeuxim præficit, dextrum ipse tenet. Molon contra nec libenter educit copias, tementēq̄ ob tumultum, qui nocte in exercitu fuerat, milites disponit. Verū tamen equites in utroq̄ cornu diuidit, ratus hostes eo ordine, quo fecerant, exercitum distribuisset. Clypeatos uero & Gallos, & reliquos grauioris armaturæ milites in medio equitum ponit. Sagittarios & funditores, cæterosq̄ id genus, ab utroq̄ latere extra equitum ordines falcarios, carpētariosq̄ ante omnes collocat. Et læuum quidem cornu Neolao fratri commendat, dextro ipse præest. Posthæc paulatim procedente utroq̄ exercitu, dextrum quidē Molonis cornu fidem seruauit, magnoq̄ ac forti animo impetum in Zeuxim fecit. Læuum uero cornu, simul atq̄ in conspectum Regis uentum est, ad hostes transiit. Quo facto, repente qui cum Molone erant, animis cecidere, regis uero copie duplo audatiores factæ. Molon, postquam proditum se a suis, & circūdusum ab hostibus intellexit, agitans animo, quas pœnas luere eū oporteret, si uiuus in manus hostium perueniret, mortem sibi consciiuit. Itidem cæteri quoq̄, qui a Rege defecerant, fecere. Ad suos enim

singuli quique ministros conuersi, mortem exorarunt. Neolaus, cum
 e praelio incolumis fugisset, in Persidem ad Alexandrum Molonis fra-
 trem profectus, matrem Molonis, & pignora interfecit. Post quorum
 mortem idem factitasse * Rex castra hostiū depopulatus, corpus Mo-
 lonis in celebriori Mediæ loco crucifigi iussit. Post hæc copias longa ora-
 tione hortatus, & uenia data, misit, qui eos in Mediā reducerent, resq;
 eius prouintiæ componerent. Ipse Seleuciam profectus, circumstantiū
 ciuitatum res composuit, mansuete, ac prudēter in omnibus se gerens.
 Hermeas propositi sui memor, euestigio Seleucensibus, q; a fide defe-
 cissent, mille talentorum mulctam irrogauit, optimates q; plures in exi-
 lium misit, multos carcere, uinculis, gladio interfecit. Rex tamen mitiga-
 to ad extremum animo humanius se in ciues egit, & dūtaxat centum &
 quinquaginta talenta patrati facinoris poenam a Seleucensibus exegit.
 His rebus moderatis, Diogenem quidem Mediæ, Apollodorum uero
 Susianæ prouintiæ duces reliquit. Tychonem scribarum principem co-
 piis præfectum, ad Rubri maris loca transmisit. Defectio igitur Molo-
 nis, & bellici motus, qui exinde sunt secuti, hunc finē habuere. Rex fœ-
 lici rerum successu elatus animo, & propinquos Barbaros principes de-
 terrere cupiens, ne in posterum auxiliis aut comœtu adiuuare a se de-
 ficientes auderent, castra aduersus eos mouit: & primo aduersus Artab-
 bazanem, qui & principatu ac uiribus maior cæteris, & ciuitatibus suis
 propinquior erat. Sub idem tempus Hermeas ascendere quidem in su-
 periora loca ob imminens periculum formidabat, cupiebat autem, uti
 a principio statuerat, exercitum aduersus Ptolemæum ducere. Verum
 tamen cum nunciatum interea esset ortum Regi esse filium, cogitans se-
 cum, si forte Antiocho accideret, ut a Barbaris opprimeretur, se filio tu-
 torem relictum, facile totius regni dominum fore, utilem sibi tandem
 esse eam profectioem existimauit. Paratis igitur ad hoc omnium ani-
 mis, profecti superato Zagro, Artabazanis prouintiā inuadunt. Artab-
 bazanes aduētū Regis perterritus, maxime propter ætatem, ut qui iam
 fere senio cōfectus erat, tempori cedendum ratus, cum Rege fœdus in-
 iit, pactis conditiōibus, quæ uisæ Antiocho fuerunt. Firmato fœdere,
 Apollophanes medicus, quē tum Rex uehemēter amabat, uidens Her-
 meam autoritate, quam habebat, nimis insolenter utentem, & de Re-
 ge timere cogebatur, sed longe magis de his, qui cum Rege erant. Quā
 ob rem expectata tēporis opportunitate, Regem adit, hunc precatur,
 ne Hermeæ audaciam contemnat, ne ue illam tam diu ferat, quoad in
 fratris calamitates incidat: certe id periculū iam non longe abesse, pro-
 inde

inde debere eum celeriter suæ amicorumq; salutē consulere. Antiocho
 consilium eius probante, quod & grauius ferret, & formidaret Herme-
 am, magnas autem illi gratias agente, quod de rebus, quæ ad salutem su-
 am pertinerent, secum loqui nō dubitasset, Apollophanes quidem au-
 datior in posterum factus est, ut uidens haud fraudatum se opinione,
 quam de Rege conceperat. Antiochus autem Apollophanem horta-
 tus est, ut non modo uerbis, uerum etiam operibus suæ, amicorūq; sa-
 luti prouideret, illo paratum se ad omnia asserente, tale quiddam machi-
 nati sunt. Dissimulantes Regem morbo oculorum grauius afflictum,
 curam eius in aliquot dies protendunt, quo spatium haberent rem inte-
 rea componendi. Potestatem quoq; a Rege accipiunt priuatim quibus
 uideretur, exhibendi pecuniam, ut facilius ad patrandum facinus acce-
 derent. Subornatis igitur, qui apti ad eam rem uidebantur, utpote ne-
 mine id propter odium in Hermeam non libenter faciente, tanto perfici-
 endo opere incumbunt. Asserentibus igitur Medicis, oportere Anti-
 ochum cum prima luce ad captandum frigus deambulare, Hermeas cō-
 stituto tempore ad eum uenit, una cum amicis, qui participes huius cō-
 silii erant, reliqui uero in castris remansere, ut qui nihil de profectio-
 ne Regis audiuerant. Illi igitur extractum e castris Antiochum in deser-
 tum quendam locum deduxere, ubi mox, Rege id nutu significante,
 Hermeam interfecerunt. Per hunc igitur modum Hermeas occiditur,
 haud satis digna rebus a se gestis poena affectus. Rex non paruo mœ-
 rore, ac formidine liberatus, domum deinde reuertitur, omnibus per
 uniuersam prouintiā consilia, & res gestas eius in coelū extollētibus,
 maxime postquam de Hermeæ morte cognouerunt. Eodem tempore
 Apamiæ mulieres uxorem pueri filios Hermeæ interfecerunt. Cum
 domum peruenisset Antiochus, dimissis in hyberna copiis, Legatos
 ad Achæum mittit, questum primo quidem, quod diadema assume-
 re, & se Regem appellare ausus fuisset: deinde, q; palam Ptolemæi par-
 tes sequeretur. Enim uero, Achæus, quo tempore Rex aduersus Artab-
 bazanem exercitum duxit, ratus, aut periturū in ea prouintiā Regem
 aut, si non periret, se ante reditū eius, propter longitudinem itineris,
 impetum libere in Syriam facturum, & Cyrrastarum, qui nuper a Re-
 ge defecerant, auxilio repente id regnum occupaturum, cum maximis
 uiribus e Lydia profectus est. Cūq; Laodiceam in Phrygiā uenisset,
 diadema assumpsit, & tunc primum se Regem appellare, ac ad ciuita-
 tes scribere ausus est, Syniride exule eum ad hoc maxime hortante. Cū
 deinde cceptum iter continuaret, & iam non longe a Lycaonia abesset,

diffidere ab eo milites cœperunt, moleste ferentes aduersus primum eorum Regem exercitum duci. Quam ob rem Achæus uoluntatem illorum cernens, a cœpto itinere deflexit, & uolens militibus persuadere, se ab initio quidem habuisse animum ducendi in Syriam exercitum: conuerso gressu Pisidicam omnem regionem depopulatus est, distributaq; inter milites innumerabili præda, omnium sibi beneuolentiam concilians domum remeauit. Rex igitur optime omnia hæc edoctus, legatos, ut supra diximus, ad Achæum misit, omnia interea prouidens, quæ ad bellum aduersus Ptolemæum gerendum necessaria uidebant. Congregatis tandem Apamiæ copiis, & iam ineunte Vere, amicos in consilium uocat, et quomodo rebus bellicis utendum uideatur, dicere singulos iubet. Tunc multis uaria differentibus, & de locis, & de apparatu, & de classe cōficienda. Insurgens tandem Apollophanes, de quo supra memorauimus, qui genere Seleucensis erat, omnes eorum, qui ante se dixerant, sententias damnauit, stultum esse inquiens, in inferiorem Syriam exercitum ducere, Seleuciam autem patia Ptolemæo teneri, quippe, quæ origo, & causa esset principatus eorum, quam præter dedecus, quod regno suo afferebat, Regum Aegyptiorum præsidio custoditam, maximas atq; optimas ad res gerendas commoditates habere. Etenim possidentibus hanc hostibus, maximum sibi ad omnes conatus impedimentum esse, cum nō minorem curam adhiberi oporteat, ad defendenda sua ob formidinem eius urbis, quam ad loca hostium offendenda: ipsis uero eam tenentibus, non solum tuto posse tueri sua, uerum etiam maximum quodq; facinus mari, terraq; adgredi ob summam loci opportunitatem. Omnibus Apollophanis sententiam approbantibus, hanc primum urbem recipere decreuerunt. Nam tum quoq; Seleucia Regum Aegypti præsidio custodiebatur a tempore, quo regnauerat Ptolemæus, cui Benefactor cognomentum fuit. Hic enim quo tempore propter casum Beronices, & iram, quam ex ea re animo conceperat, in Syriam exercitum duxit, hac urbe potitus est. Antiochus igitur firmata Apollophanis sententia, Diogneto præfecto classis iubet, ut amputata mora, Seleuciam nauiget. Ipse Apamia cum exercitu profectus, circiter quinque stadia distans ab urbe, castra iuxta Hippodorum ponit. Theodotum Hemiolium cum sufficienti exercitu in Syriam mittit, qui loci angustias præoccupet, & omni conatu rebus eius prouintia incumbat. Seleucia, & circumstantium locorum situm huiusmodi esse contingit. Urbs quidem, cum in littore maris posita sit, inter Ciliciam & Phœnicem altissimus mons eis subiacet, quæ Coryphæum uo-

um uocant. Cuius latus, quod ad Occidentem uergit, abluit extremitas pelagi, quod est inter Cyprum & Phœnicem: quod uero orientem spectat, Antiochenorum & Seleucensium regionibus imminet. Ad meridiem Seleucia sita est, diuisa quadā ualle profundissima, & prorsus inaccessa. Hæc ad mare usq; protenditur, compluribus in locis scopulis, ac præcipitiis circumdata. Sub latere, quod mare aspicit, sunt emporia, & suburbia, altissimis munita mœnibus. Similiter omnis urbs tutissimo muro septa est. Præterea nauibus, & omni genere apparatus amplissime ornata. Adgressum unum duntaxat habet a latere maris, & eū quidem difficilem, ac manufactum. Siquidem per scalas conscendere oportet. Non lōge ab hac Orontes fluuius in mare delabitur, qui a Libano, & Antilibano ortum habens in Antiochiam fertur, per quam iugiter defluens, & morbos ob multitudinem aquarum humanis corporibus deferens, tandem nō longe ab urbe Seleucia in mare diffunditur. Antiochus igitur principio ad eos, qui urbi præerant, misit pecuniā, & spes in futurū amplissimas pollicitus, si Seleuciam sibi sine prælio traderent. Cum autem principes urbis corrumpere nō ualeret, quosdam e mediocribus Ducibus subornauit, cū quibus re cōposita instruit acies, tanq; naualibus copiis urbem a mari, terrestribus uero ab ea parte, quæ Epirum aspicit, adgressurus. Diuiso itaq; in tres partes exercitu, & animis militū oratione accensis, amplissimis præterea unicuiq; propositis præmiis, Xeuxidi quidē, & his, qui cū eo erant, eum locū dedit, in quo est porta urbis in Antiochiam ferens. Hermogeni uero locum, per quem Dioscorium itur: Ardyi autē, & Diogneto suburbium, & Maritimas partes. Quippe ita cum proditoribus cōuenerat, ut q̄primū ui suburbium cœpissent, urbs quoq; eis traderet. Dato igitur a Rege signo, omnes undecunq; maximis uiribus urbem adgrediuntur: audacissime uero, qui cum Ardye, & Diogneto erant, nam cætera loca neq; inuadere quisq; poterat, neq; scalas mœnibus admouere, emporia uero & suburbium facile, & adgressionē hostiū & scalas recipiebāt. Quam ob rem naualibus quidē copiis emporia, qui uero cū Ardye erant, suburbium adgrediētibus, & frequētes mœnibus scalas admouētibus, cū ii, qui intra urbem erant, ferre suppetias nō possent, q̄ urbs undiq; ab hostibus claudebatur, accidit, ut suburbium repēte in potestatē hostium peruenerit. Quo facto, mox priuati duces a Rege corrupti ad Leontiū, qui tum in urbe principatū tenebat, cōcurrentes, mittendos ad Antiochū legatos de cōditionibus tradendę urbis iudicarunt, anteq̄ ui ab hostibus expugnaretur. Leontius, & si proditiōis ignarus erat, trepidatione tamē

suorū perterritus, repēte ad Antiochū misit, qui pacta omnīū, qui in ciuitate erant salute, urbem Regi traderent. Rex acceptis conditionibus, daturum se liberis salutem pollicitus est. Hi circiter sex millia hominū erant. Ingressus autē ciuitatem, nō modo liberis pepercit, uerum & reuocatis in urbem Seleucensium exulibus, & Rempub. & proprias fortunas omnibus restituit. Portum atq; arcem urbis sufficienti præsidio muniuit. Cum deinde adhuc Seleucia moraretur, literæ a Theodoto afferuntur, in quibus eum hortabatur, ut q̄primum in Syriam matura ret. Rex diu anceps consilii fuit, & quomodo his rebus utendum foret, anxius atq; sollicitus. Enim uero Theodotus, cum genere Aetolus esset, & maximos usus regno Ptolemæi, sicuti supra memorauimus, præstitisset, ac se penumero illius gratia de uita periclitatus fuisset, quo tempore Antiochus aduersus Molonem exercitum duxit, contempto Rege, & iis, qui in aula erant, diffidens, per se quidem capta Ptolemaide, per Panetolum uero Tyro, Antiochum confestim accersiuit. Rex omni conatu aduersus Achæum intentus, ac cætera omnia posthabenda existimans, eodem, quod prius fecerat, itinere copias mouit. Cunctq; ad eum locum peruenisset, quē Marlyam incolæ uocant, castra circa angustias quæ sunt iuxta Gerra posuit, non longe a palude, quæ in medio eius loci sita est. Hic cū per nuncios cognouisset, Nicolaum ducē Ptolemæi urbem Ptolemaidē, in qua Theodotus erat, obsidere, relictis grauioris armaturæ militibus, & iussis Ducibus, ut Brochos oppidū supra paludē situm obsiderent, ipse cum expeditis ad dissoluendam obsidionem maturat. Nicolaus aduentu Regis per exploratores cognito, ipse quidem dissoluta obsidione, mox inde abiit. Lagoram autē Cretensem, & Dorymenem Aetolum ad præoccupandas, quæ circa Berytum sunt, angustias misit. Cum quibus Rex congressus, cum statim eos in fugam uertisset, in ipsis angustias castrametatus est. Dehinc coactis eodem in loco reliquis copiis, multitudinem pro tempore hortatus, cum omni exercitu magno ac forti animo iter prosequitur. Accedentibus deinde obuiam Theodoto, & Panetolo cum eorum amicis, Rex benigne atq; humaniter illos suscipiens, Tyrum ac Ptolemaidem, omnēq; qui in iis erat, belli apparatus accepit. Erant autē in his ciuitatibus quadraginta naues, quarū uiginti erant cataphractæ, omnīq; apparatu necessario diligentissime instructæ, quinqueremes omnes, aut quadriremes, reliquæ uero triremes, aut biremes, aut actuariæ. Has Diogneto præfecto classis tradidit. Cum interea nunciaretur, Ptolemæum latenter Memphim confugisse, omnes uero copias eius iuxta Pelusium congregari,

& aqua

& aquarum aditum ex omni parte intercludere, a proposito inuadendi Pelusium destitit, & per prouintiam grassatus, ciuitates partim ui, partim per suasionibus conciliare sibi nititur. Ciuitatum quidem aliæ præsidio uacuae, in timore regiae potentiae confestim se hostibus dedere, aliæ uel apparatu rerum necessariarum, uel situ locorum fretæ, impetum eorum tolerarunt. Quas Rex obsidere compulsus, non parum temporis terere cōgebatur. Ptolemæus de ferendo suis subsidio ob impotentiam mentionem nullam faciebat. Ita semper res omnes ad bellum pertinentes contempserat. Agathocles, & Sosibius, qui tum summam regni in manibus habebant, non tam quid deceret, q̄ quid fieri posset, considerandum in præsentia existimantes, Legatos ad Antiochum de pacis conditionibus misere, missis etiam ad Rhodios & Byzantios, & Cyzicenos, & Aetolos nunciis: qui eos hortarētur de mittendis ad eundem pro componenda pace legationibus. Quæ cum eue stigio ad utrunq; Regem missæ fuissent, maximam eis opportunitatem præbuerunt parandi interim, quæ ad bellum necessaria forent. Ptolemæus enim susceptis humaniter cum cæterorum, tum præcipue Antiochi legatis, mercenarium interea militem, qui sparsus per exteras ciuitates erat, Alexandriae congregare, alios, qui nouum militum delectum haberent, extra prouintiam mittere, commeatum abunde omnibus parare: deniq; dies noctesq; intentus ad bellicos apparatus esse, Alexandriae continue aliquos, ne qua res ad bellum necessaria deesset, transmittere. Preparandorum armorum & conscribendi exercitus curam Echecrati Thessalo, & Phoxidæ Melitensi dederat. Item Eurylocho Magneti, & Socrati Bœotio, cum quibus etiam erat Cnopias Alorites. Aptissimos quippe esse ad hanc rem huiusmodi uiros putabat, qui, quoniam cum Demetrio etiam, atq; Antigono militauerant, bellicarum rerum peritissimi habebantur. Hi ingenti exercitu contracto, omnia prudenter ac strenue prouidebant. Primo enim pro generis atq; ætatis cuiusq; differentia armaturas inter milites diuidebant, singulis aptissimas quoq; distribuentes, & eas, quibus prius utebantur, improbant. Posthæc peculiariter unumquēq; ad futuros usus ordinabant, milites continue exercebant, non solum præceptis, uerum & fictis certaminibus eos assuefacientes. Deinde contiones armatorū aduocabant, & ad futurū bellum milites hortabantur, in quibus maximam uim habebant Andromachus Aspondius, & Polycrates Argius, qui nuper e Græcia aduenerant, homines rebus bellicis assueti, & patriæ ac morum splendore clarissimi. Polycrates etiam antiquitate fami-

Y iiii

lia, & Mnasiade patris gloria. Hi copias publice ac priuatim hortantes ad futura certamina animos militum inflammabant. Singuli præterea proprios Ducatus in exercitu habebant, prout quisque maxime in ea re expertus erat, Eurylochus Magnes tribus millibus hominum præerat, quos Reges Agnema uocant. Socrates Bœotius circiter duo millia scutorum sub se habebat. Phoxidas autem Acheus, ac Ptolemæus Thraensis, & cum his Andromachus Aspondius phalangem, & mercenarios milites exercebant. Præerant autem phalangi Andromachus & Ptolemæus, mercenariis Phoxidas. Phalanx circiter uiginti quinque millia hominum continebat, mercenarii haud pauciores erant octo millibus equites regios, qui fere septingenti erant, Polocrates instruxerat, item eos qui acciti ex Libya fuerant, item qui ex prouintia delecti. Horum omnium ipse dux erat, numero trium millium. Græcos uero, ac mercenarios equites Echecrates Thessalus assuefaciebat. Hi erant circiter duo millia hominum, quibus ipse præfectus non parum momenti rebus bellicis afferebat. Nullo autem in gerenda militum cura segnior erat Cnopiae Allorites. Hic Creteneses omnes sub se habebat, numero ad tria millia hominum, in quibus erant Tyrones mille, quibus Philonem Gnosium præfecerat. Armata præterea erant instar Macedonum tria millia Afrorum, quibus Ammonius Barcaeus præerat. Adhæc Aegyptiorum circiter duo millia, sub Sosibio duce erant. Denique Thracum, & Gallorum multitudo ex his quidem, qui iam diu militauerant, ad quatuor millia; ex his uero, qui nuper fuerant congregati, duo millia, Dionysium Thracem habebant ducem. Hæc tum Ptolemæi copiae erant. Antiochus autem, cum Duram urbem obsidione cinxisset, nihilque ad extremum efficere se posse intelligeret, partim munitione urbis, partim Nicolai subsidio impeditus, adueniente hyeme legatis, Ptolemæi inducias concessit, & decessurum se a prouintia, omniaque, quibus illi gratificare posset, sponte, libenterque facturum promisit. Quanquam longe hic animus a Rege aberat. Festinabat enim copias in hyberna Seleuciam ducere, quod Achæus esse quidem in societate secum uideretur, sed proculdubio Ptolemæo faueret. Factis igitur induciis, Antiochus repente Legatos emisit, iussos, ut quid Ptolemæo uideretur, statim nunciarent, sibi que Seleuciam occurrerent. Ipse relicto in locis, quibus erat opus, sufficienti præsidio, & cura omnium rerum Theodoto tradita, exercitum uersus Seleuciam mouit. Cum eo peruenisset, copias in hyberna dimisit, curam exercendorum militum iam deinde ab eo die negligere incepit, ratus haud necessarium sibi posthac prælium fore, quod iam

pleraque

pleraque loca Syriae, & Phœnicis occupasset, reliqua partim sponte, partim hortatu uentura in potestatem suam speraret, præsertim non audente Ptolemæo secum in prælium descendere. Accidit forte, ut Legati eundem animi conceptum haberent, quod Sosibius benigne atque humaniter eos Memphi allocutus esset: apparatus uero, qui Alexandriae fiebat, nemo unquam eorum, qui ad Antiochum mittebantur, cernere potuisset. Verum enim uero dimissis tunc Legatis, Sosibius quidem cum suis ad omnia gerenda paratissimus erat. Antiochus uero maximum adhibebat studium, ut non tam armis, quam iure ciuitates sibi asciscere uideretur. Cum tandem Legati Seleuciam uenissent, & in particularem sermonem de pace secundum Sosibii mandata descendissent, Rex quidem manifestam iniuriam, quam fecerant in occupandis Syriae locis, minime grauem, aut iniustam existimabat, nihilque a se non iure factum affirmabat esse. Antigonom enim Monoculum & Seleucum, qui primi ea loca occupauerant, uerissimos ac iustissimos dominos fuisse aiebat. Quam ob rem ad se, non ad Ptolemæum Syriae regnum, quasi hæreditario iure pertinere. Quippe, Ptolemæum aduersus Antigonom pugnasse, non sibi, sed Seleuco eorum socorum imperium querentem. Præterea communem omnium Regum concessionem in medium afferebat. Nam quo tempore superato Antigono, diuidere inter se regna Cassander & Lysimachus, & Seleucus uoluerunt, Seleuci esse omnem Syriam iudicauerunt. Hæc atque alia huiusmodi Rex Antiochus: at legati Ptolemæi his contraria afferre conabantur, siquidem & presentem iniuriam augebant, et rem longe quam fuerat, grauiorem faciebant, uolatum esse foedus dicentes, & in prodicione Theodoti, & in hostili prodicione Antiochi in Syriam. Addebant præterea Ptolemæi Lagi possessi onem, dicentes, idcirco Ptolemæum una cum Seleuco aduersus Antigonom gessisse bellum, ut totius Asiae imperium Seleuco uendicaret, Syriam uero, & Phœnicem sibi ascisceret. Hæc atque alia huiusmodi sæpius ab utrisque dicebantur, tandemque nihil prius concludi poterat, quanquam res per communes amicos tractarentur. Maximam quippe difficultatem utrisque afferebant Achæi partes. Nam Ptolemæus quidem includere eum in foedere summopere studebat. Antiochus uero, ne uerbum quidem ullum de eo poterat audire, graue existimans, audere Ptolemæum de iis facere mentionem, qui per prodicionem a Rege defecissent. Ad extremum igitur re infecta Legati discessere. Appetente deinde Vere, Antiochus omni studio copias cogit, ueluti terra marique Syriam adgressurus, & cætera eius prouintiae

loca subditurus, Ptolemæus uero haud segnius augere Nicolai tires conatur, commeatumque in loca Gazæ propinqua abundantissime mittit, terrestres naualesque copias, & cætera ad bellum necessaria suppeditat. Quibus rebus Nicolaus audacior factus, forti animo in bellum descendit, adiuuante Perigene classis præfecto, quem cum naualibus copiis Ptolemæus miserat, habentem catafractas naues triginta, onerarias ultra quadringenta. Nicolaus quidem genere Aetolus erat, usu atque audacia in rebus bellicis nemini eorum, qui cum Ptolemæo erant, secundus. Hic, præoccupatis cum parte copiarum angustiis, quæ sunt circa Platanum, ipse cum reliquo exercitu Porphyreonem profectus, ingressum Regi in prouintiam prohibet, naualibus copiis ad hoc eum adiuuantibus. Antiochus autem, cum Marachum uenisset, accedentibus ad eum de conditionibus ineundæ societatis Arcadibus, non solum societatem eorum libenter, cupideque amplexus est, uerumetiam omnem, quæ inter illos iam diu fuerat, discordiam sedauit, reconciliatis Arcadibus, qui insulam colebant, cum iis, qui habitabant Epirum. Posthæc in prouintiam per eum locum, quæ incolæ dei Prosopum uocant, ingressus, Berytum uenit, Botra urbe in itinere capta, Triereque, & Calamo incensis. Hinc Nicarchum & Theodotum præmittit, iussos, ut angustiis, quæ sunt circa Dycum amnem, præoccuparent. Ipse cum reliquis copiis profectus, iuxta Damuram flumem castrametatus est, Diogneto præfecto classis haud procul nauigante. Hinc rursus acceptis leuioris armaturæ militibus, quos cum Theodoto & Nicarcho præmiserat, speculatum proficisci angustiis quæ a Nicolao præoccupatæ fuerant. Vbi notato diligenter locorum situ, in præsentia quidem in castra reuertitur. Postridie uero relicta ibi grauioris armaturæ militibus, & Nicarcho eis præposito, ipse cum reliquis copiis gressum aduersus hostes maturat. Cum Libanus mons in iis locis litus intra breuem atque angustum locum claudat, accidit, ut ipse quoque breuis sit et difficilis, ac pene inaccessus, breuèque et difficile iuxta mare relinquat uiam. In qua tunc castrametatus Nicolaus, cum loca illa partim multitudine militum præoccupasset, partim machinis, edificiisque tumultuarie factis muniuisset, facile arcere se posse Antiochum existimabat. Rex, diuisis in tres partes copiis, unum quidem Theodotum præficit, iussum, ut facto impetu hostes, qui callem montis tenebant, adgredere. Aliam Menedemo assignat, pluribus eum uerbis hortatus, ut per medium montem iter facere conaretur. Tertiam partem duce Diode in littore collocat. Ipse cum Calonum multitudine medium locum tenet, quo & cuncta aspicere, et subuenire indigentibus posset. Eodem tempore Diognetus & Perigenes instructi, nauale prælium ingre-

ingrediebantur, terræ, quantum fieri poterat, nauigiis appropinquantes, ut quasi unus aspectus foret terrestris, naualisque certaminis. Cum igitur uno signo & una uoce præconis prælium omnes essent ingressi, in mari quidem diu æquis pene uiribus pugnatum est, nullam in partem inclinante uictoria, quod & hominum multitudine, & apparatu belli pares utriusque classis uires erant. In terra uero meliores principio Nicolai partes fuere, quod non parum opis ex situ locorum consequeretur: mox uero prorumpentibus ex superiore parte montis iis, qui cum Theodoto erant, & acerrime impetum in hostes facientibus, Nicolaus, cæterique, qui una erant, turpissime se in fugam uertunt. Circiter duo millia eorum inter fugiendum sunt cæsa, reliqui se Sidonem receperunt. Perigenes, & si de nauali bello optima spe esse uidebatur, conspecto tamen terrestrium copiarum conflictu, ipse quoque eodem tuto confugit. Antiochus congregatis copiis profectus, castra iuxta Sidonem posuit. Verum tamen tentare in præsentia eam urbem inutilem putauit, tum ob copiam commeatus, quæ intus maxima erat: tum propter hominum multitudinem partim incolentium prius hunc locum, partim eorum, qui nuper accepta clade, eo confugerant. Quam ob rem, motis castris, ipse quidem uersus Philoteriam abiit, Diogneto uero præfecto classis mandauit, ut Tirum nauigaret. Philoteria quidem iuxta paludem sita est, in quam Iordanes fluuius defluens, rursum in agrum eius urbis exit, quam Scytharum uocant. His duabus urbibus euestigio potitus, animum ad res futuras mirum in modum auxit, quod ager illarum satis superque esset ad præbendum uniuerso exercitui commeatum, ac cætera bello necessaria suppeditanda. Imposito igitur his urbibus sufficienti præsidio, superatis montibus, Atabyrum uenit, quæ urbs in Mastodie colle sita, fere XV. stadiorum ascensum habet. Hic collocatis prope urbem insidiis, urbanos in certamen prouocat, quos cum pugnano sui quasi cedentes longius protraxissent, rursus in eos conuersus, insurgentibus a tergo aliis, magna ex parte cæcidit, ac reliquos deinde persecutus, eos, & una eorum urbem cepit. Sub idem tempus Cereas, unus ex Ptolemæi præfectis, ab eo defecit, cuius opera usus Antiochus, plerisque ex illius Ducibus sibi asciuit. Quippe Hippolochus Thessalus non longe post cum trecentis equis ad eum uenit. Imposito Atabyrii quoque præsidio, iter coeptum prosequitur, & in itinere Pella, & Camum, & Geprum occupat. Inter hæc Arabie populi in unum conuenientes, unanimiter Regi adhaesere: qua spe Antiocho addita, accepto ab iis comeatu, in interiora loca progreditur, & mox Galatiam capit, una cum Abilitarum præsidio, quibus dux præerat Nicias Nennei necessa-

rius, atq; affinis. Cum adhuc Gadara superessent, quæ tum uidebatur natura loci inexpugnabilia esse, castris iuxta ea positis, et erectis machinis, hanc quoq; euestigio ciuitatem occupat. Posthæc cum ei nunciatū esset, in urbem Arabiæ Rabbatamassanam magna multitudine hostes cōuenisse, omnemq; agrū Arabum, qui ei adhaerant, depopulari atq; uastare, eductis repente copiis eo uenit, castraq; iuxta eos colles, in quibus ea urbs sita est, posuit. Deinde circum collem profectus, cum animaduertisset, e duobus tantummodo locis impetum in urbem fieri posse, in his machinas, cæteraq; ad expugnationem eius necessaria parauit, operum cura Nicarcho, & Theodoto data, ipse cætera exequitur. Nicarchus & Theodotus expugnationi urbis intenti, uter prius partē aliquam murorum in terram deiiceret, contendebant. Ex quo accidit, ut celerius omni expectatione ingens pars muri corruerit. Quo facto, assidua noctu & interdiu certamina committebantur, omnibus adhibitis uiribus, ne quid temporis uacuum permetteretur. Sed quantū continuata diu urbis obsidio fuisset, nihil tamen ob multitudinem propugnantium militum perfici potuit, donec ostenso per unum ex captiuis riuo, per quem aquatum obfessi proficiscebantur, eum clauerunt, lignisq; & lapidibus, & aliis huiusmodi rebus sepsere. Tunc enim nulla amplius aquationis spe relicta, confestim se hostibus dederunt. Per hunc tandem modum Rex urbe potitus, Nicarchum cū sufficienti præsidio in ea collocat. Hippolochum autē, & Ceream, quos defecisse a Rege diximus, cum quinque millibus peditum Samariam mittit, iussos, ut ibi confisterent, ac omnis sibi subiectos populos tutos ab omni periculo seruarent. Posthæc cum exercitu profectus, Ptolemaidem uenit, ueluti in ea urbe copias hyematurus. Eadem æstate Pednelissenfes, cum a Selgensibus obsiderentur, summoq; in discrimine res eorū essent, Legatos ad Achæum de petendo subsidio miserunt. Quos cum Achæus libenter audisset, seq; omnia facturū esset pollicitus, hi quidem magno ac forti animo obsidionem tolerabant, spe futuri præsidii audaciores facti. Achæus uero Garlyerim ducem cum sex millibus peditum, & quingentis equitibus misit, iussos, ut amputata omni mora Pednelissenfibus suppetias ferrent. Selgenses, aduētū illorum per exploratores cognito, angustias, quæ sunt circa locum, quem Scalam incolæ uocant, cum maiori parte copiarum præoccupant, uias, aditus omnes destruunt. Garlyeris facto impetu Myliadem ingressus, & castris circa urbē, quæ Crentensium dicitur, positus, quia ob præoccupatos a Selgensibus locos nō posse se ulterius procedere animaduertebat, huiusmodi dolum machi-

natus

natus est. Motis castris referre gressum coepit, simulans se ablatam sibi omnino ferendi subsidii potestatem existimare, q; præoccupatē ab hostibus locorū angustia forent. Selgenses ueluti desperata ferendæ opis facultate abiisse eum rati, alii in castra redierunt, alii in urbem commetatus gratia migrare. Garlyeris conuerso mox itinere ad angustias reuersus, cum locū hominibus uacuum reperisset, præsidium suorū imposuit, Phaylo duce illis præfecto, ipse cū exercitu Pergem uenit. Vbi aliquandiu cōmoratus, legatos Pamphiliam, & ad alias ciuitates misit, qui insolentiam Selgensium ostenderent, & ad societatem Achæi, ac Pednelissenfium subsidium hortarentur. Selgenses sub idem tempus duce cum copiis misso, sperabāt eiicere se ex angustis Phaylum posse. Cum autem id longe præter opinionem succederet, multoq; ex suis inter certandū amitterent, a proposito destiterūt, nihilominus tamē, immo longe magis, q̄ prius, obsidioni, & erigēdis machinis intenti. Garlyeri Etennenses, qui mōtanam regionē supra Siden incolunt, octo millia armatorum misere, Aspendii quatuor. Sidetæ, tum quia in amicitia cum Antiocho erant, tum propter odium Aspendiorū, nullam de mittendis auxiliis mentionem fecerunt. Garlyeris suis & sociorum copiis acceptis, Pednelissum uenit, ratus se primo aspectu obsidionem dissoluturum. Verum, cum Selgenses aduētū suo nequaquā perterritos animaduertisset, castra nō longe ab illorum posuit. Pednelissenfes ob longam obsidionem adeo penuria cōmeatus affligebantur, ut diutius iam tolerare famem non possent. Quam ob rem Garlyeris summa celeritate opus esse uidens, instructis duobus millibus hominū, & modio frumenti singulis dato, noctu eos in ciuitatem mittebat. Quod cum Selgeses intellexissent, repente illos adgressi, milites quidem magna ex parte interfecere, frumenti quantitatem omnem abstulerunt. Quibus rebus animo præter modum elati, iam non modo ciuitatem, uerumetiam castra hostiū obsidere nitebant. Ita semper nimia audacia Selgenses efferrī consueuere. Relicta itaq; in castris necessaria custodia, cū reliquis copiis ex diuersis locis uno tempore in hostes impetum faciunt. Cum undiq; periculum immineret, & iam quibusdam in locis labefactari castra cepissent, Garlyeris magnitudine rei obstupefactus, & per exiguam salutis spem habens, per quēdam locum incustoditū equites emittit, quos Selgenses timore futurę cladis arripuisse fugam rati, non solū non sunt persecuti, sed rem penitus contempserunt. At illi in circuitu parumper equitates, moxq; a tergo hostes adgressi, acerrimo prælio eos inuadūt. Tum congregati Garlyeridis pedites, quantū iam fugere uidebantur,

Z

conuerso rursus itinere in hostes feruntur. Ita undiq; circumuenti Selgenes, tandem se in fugam uerterunt. Pednelissenses uero ob hanc rem animis aucti, eruptione facta eos, qui ad custodiam castrorum relicti fuerant, expulere. Quos omnes Garlyeris longo itinere persecutus, non mediocri clade affecit. Quippe ultra decem millia hominum desiderati. Ex reliquis socii quidem omnes ad suam quisq; domum remeant. Selgenes, itinere per montes facto, in patriam refugere. Garlyeris postridie eius diei cum exercitu profectus, transcedere montes festinat, & antequam Selgenes recenti adhuc fuga solliciti aliquid prouiderent, urbi appropinquare. Selgenes tum paruam in auxiliis sociorum ob communem cladem spem habentes, tum recenti casu deterriti, formidine & anxietate pleni, de sua, patriæq; salute dubitabant. Quam ob rem aduocata contione de mittendo legato consultabāt uno ex ciuibus suis, nomine Logbasi, cui maxima amicitia, ac familiaritas fuerat cum Antiocho, qui mortem in Thracia obierat, præterea Laodicem Achæi uxorem sibi in adolescentia traditam, tanq; filiam educauerat, & uirginem egregie instituerat. Hunc igitur propterea ad obeundum id officium aptissimū existimantes, legatum misere. At is ad Garlyerim profectus, tantum absuit, ut commissum munus, sicuti bonum ciuem decebat exequeretur, ut econtrario Garlyerim hortatus sit, uti ad Achæum mitteret, dediturum se eis urbem pollicitus. Garlyeris spe consequendæ urbis erectus, confestim ad Achæum misit, qui eum prouocarent, ac de præsentibus rebus certiolem facerent. Cum Selgensibus uero factis indutiis, percutiendi foederis tempus sub prætextu longioris considerationis continue differebat, quo interea expectaret Achæum, & Logbasi perficiendæ rei opportunitatē præberet. Inter hæc cum in sermone frequenter inuicem conuenirent, paulatim quasi consuetudine quadam factum est, ut milites comæus gratia libere in urbem profiscerentur, quæ res multis sæpenumero internitionis causa fuit. Quo fit, ut mihi quidē uideatur ex omnibus animalibus nullū stolidius, aut magis expers rationis esse, q̄ hominē, qui a plerisque callidissimus omnium iudicari solet. Quot em̄ castra? quot munimenta? quot arces? quot & quales ciuitates per hunc modū in manus hostiū deuenere? Quæ cū quotidie accidant, cernanturq; ab omnibus, semper tamē nescio, quomodo noui ac rudes in huiusmodi rebus uidemur esse: quod ideo fit, quia ea, quæ superioribus sæculis maioribus nostris acciderūt, nō consideramus, sed ad apparatus frumenti, & pecuniarū & murorū, & sagittarum intenti, cū labore & sumptu hæc dūtaxat cōquirimus. Quod uero facillimum est,

mum est, maximosq; in periculosis temporibus usus affert, id omnes contemnimus, ac pro nihilo habemus, cū nobis alioquin liceat cū quiete & tranquillitate in historiis & cōmentariis rerum gestarū ediscere, & quasi experiri. Sed ut eo reuertamur unde discessimus, Achæus ad constitutā diem uenit, Selgenes una congressi, maximā de Regis erga se humanitate spem habebant. Logbasi, congregato interea domi fugatiis, qui comæus gratia in urbem ueniebant, haud exiguo militū numero hortari ciues cœpit, ne tempus per negligentiam cōtererent, sed presentem Achæi erga se humanitatem animaduertētes, rebus suis consulere, conuocatoq; in contionem populo de foederis conditionibus agerent. Quæ cum dixisset, congregata mox contione, consultare de rebus præsentibus cœperunt, conuocatis etiam iis, qui deputati ad locorum custodiam fuerant. Logbasi dato hostibus, uti cōuenerat, signo, repente quoscūq; domi habebat, instruit, seq; una cum filiis armatū ad periculum parat. Ex hostibus Achæus quidem cum medietate copiarū ad urbem uenit, cum reliquis uero Garlyeris Cesbedium uersus profiscitur. Id est templum Iouis adeo supra urbem opportune positum, ut quasi arcis locū tenere uideatur. Cum quidam forte fortuna appropinquantes urbi hostes prospexisset, idq; præcipiti cursu multitudini, quæ in contione erat, nunciasset, tanta repente animorū cōmotio facta est, ut dissoluta cōtione, alii ad Cesbedium, alii in loca, ad quorū custodiam positi fuerāt, multitudo ad Logbasi domū cōcurrerint, ubi detecta mox prodicione, quidā tumultuario impetu tecta cōscendentes, alii ui per portas ingressi, Logbasim, filiosq; & ceteros facinoris conscios, crudelissime trucidarunt. Posthæc, proclamata per præconem seruis libertate, se mutuo hortati in subsidiū urbis, ad loca necessaria concurrere. Garlyeris, cum præoccupatū iam a ciuibus Cesbedium conspiceret, a proposito destitit. Achæo autem facere in portam impetum uolente, egressi Selgenes septingentos eorum cœperunt, reliquos maximis uiribus a moenibus repulere. Posthæc Achæus quidem, & Garlyeris non sine dedecore in castra remearunt. Selgenes autem & seditionem ciuitatis, & præsentiam hostium ueriti, seniores urbis supplicatū pacem miserunt. Hi, cum ad Achæum uenissent, foedus his cōditionibus percussere, ut pax Achæo & Selgensibus foret, Selgenes subito trecenta talenta Achæo soluerent, Pednelessensium captiuos restituerent, post certum tempus alia quadraginta talenta persoluerent. Ita Selgenes, qui ob impietatem Logbasi de patria ac libertate periclitati fuerant, ob singularem animi magnitudinem & patriam tutati sunt, & necq; libertatem,

neque coniunctionem, quam cum Lacedæmoniis habebant, labefactarunt. Achæus, Myliade, & magna Pamphiliæ parte subacta, cum Sardes exercitum duxisset, bellum aduersus Attalum gerebat. Omnibus autem citra Taurum habitantibus grauis ac formidabilis erat. Per id tempus, quo Achæus exercitum aduersus Selgenes ducebat, Attalus Egosagas, & Galatas secum habens, omnem Aeolidem, & urbes ei regioni propinquas, quæ prius timore ad Achæum defecerant, peragrauit. Quarum magna pars sponte, libenterque se ei dedidere, pars uiribus expugnatæ sunt. Dediderunt se ei primo Cyme, Smyrna, Phocea. Post has Egenles & Lemnitæ timore obsidionis ad eum defecerunt. Venerunt præterea a Teiis & Colophonis legati, seque, & ciuitates suas dedentes. Quibus in eodem, quo prius erant, foedere susceptis, & acceptis obsidibus, Smyrnenis legatis perhumaniter usus est, quod hi magis erga se fidem seruassent. Continuato deinde itinere, Lycum flumen transgressus, primo ad Mysios, postea ad Carseas uenit: quibus perterritis, & una iis, qui Dydimam mœnia custodiebant, hæc quoque loca occupauit, tradente ea per prodicionem Themistode, qui in iis locis dux ab Achæo relictus fuerat. Hinc mox profectus, deuastato agro, quæ Apias incolæ uocant, Pelecantem montem transcendit, & iuxta Maximum flumen castrametatus est. Vbi cum defectus lunæ accidisset, Galatæ labores uiarum grauius, & iniquo animo ferentes, ut qui sequentes in curribus uxoribus, ac paruos filios habebant, notato hoc signo, minime processuros se ultra affirmabant. Rex Attalus, & si nullam omnino ex ea gente utilitatem habebat, ueritus tamen, ne, si a se ueluti contemptim relinqueretur, ad Achæum se conuerterent, & ipse non bonam ex hac re famam consequeretur, quasi per ingratitudinem dimitteret eos, qui ob egregiam erga se fidem transisse in Asiam uidebantur, hortatus est illos, ut paululum adhuc laboris itineris tolerarent, daturum se mox per opportunum locum, in quo quiescerent, & omnia, quæ illi uellent, quæque ipse posset, & deceret, prompto animo effecturum. Attalus igitur, constitutis ad habitandum Hellepontum Egosagis, & Lampacenis, Alexandrinis atque Iliensibus, quod in fide erga se permansissent, benigne atque humaniter tractatis, Pergamum cum exercitu est profectus. Antiochus & Ptolemæus ineunte Vere, & necessariis ad bellum paratis, educere uterque exercitum maturabant. Ptolemæus igitur Alexandriam proficiscitur, ultra septuaginta millia peditum secum habens, equitum quinque millia, tres & septuaginta Elephantos. Antiochus, cognito eorum accessu, euestigio copias cogit. Hæ autem copiarum eius fuere, Dææ quidem, & Carmanii, & Cilices in expedi-

expeditorum modum armati, circiter quinque millia. Horum Dux erat Byttacus Macedo. Sub Theodoto uero Aetolo prodicionis authore erant ex omni regno delecti, et in Macedonum morem armati decem millia hominum, quorum magna pars Argyraspides erant. Phalangis multitudo ultra uiginti hominum millia continebat. Huic Nicarchus & Theodotus cognomēto Hemiolius præerant. Præter hos Agriannes, & Persæ sagittarii, & funditores circiter duo millia hominum erant, cum quibus Thraces mille, quorum Dux erat Menedemus Alabandus. Dehinc Medi, Cissii, Cadysii, Carmani, ad quinque millia, quorum curam habebat Acuis Aspasiani Medi filius. Abares autem, & alii iis finitimi ultra decem millia Zabdibellum ducem sequebantur. Mercenarios præterea e Græcia milites ducebat Hippulocus Thessalus numero quinque millia hominum. Cretenses mille & quingentos Eurilochus habebat. Neocretenses mille Zelysgorgynius, cum quibus una conuenerant funditores Lydii quingenti, Cardaces sub Lysimacho Gallo mille. Equitum omnis multitudo erat ad sex millia hominum, quorum quatuor millibus præerat Antipater regii fratris filius, reliquis uero Themison. Ita Antiochi omnes copiarum erant duo & sexaginta millia peditum, equitum sex millia, Elephantum centum & duo. Ptolemæus iter per Pelusium faciens, hanc primum urbem in potestatem recepit, ubi distributo affatim inter milites frumento, paulo post inde profectus, per Cassium & Bathragazam uenit. Hic receptis copiis, mox inde abiens paulatim procedit, ac quinto post die quinquaginta stadia distans ab urbe Rhapsia castrametatus est, quæ urbs post Rinocolura sita est, prima ciuitatum Syriæ, quæ Aegyptum aspiciunt. Eodem tempore Antiochus cum exercitu uenit, & hanc urbem præteriens noctu, castra locat circiter decem stadia a castris hostium remota. Principio igitur hoc inter se spatio distantes utriusque morabantur. Paucis uero interiectis diebus, Antiochus opportuniorē locum occupare uolens, & animum militibus suis augere, castra propius hostibus admouit, ut uix quinque stadia inuicem distaret. Vbi, dum aquatum ac pabulatū quotidie proficiscuntur, crebra inter se certamina committunt. Similiter etiam uter utraque castra modo pedites, nonnunquam equites se mutuo adgressi, fortunam belli experiuntur. Sub idem tempus Theodotus magna, ac plane ætolica audacia usus est. Cum enim longa experientia uitam ac mores regios didicisset, sub auroram castra hostium ingreditur, & aspectu quidem propter tenebras incognitus erat, genere uero uestimenti, & reliquo ornatu haud multum a cæteris differens. Quippe uariis illi uestibus utebantur. Notato autem præcedentibus die-

bus loco, in quo tentorium Regis erat, quod ante ipsa fere castra sæpe inuicem fuerant congressi, recta ad illud contendit, cumque incognitus omnes pertrāsisset, clam in tentoriū uenit, in quo Rex uersari, accenare cōsueuerat. Vbi cum omnia diligenter lustratus, Regem minime cōperisset, (nam in secretiori quodam loco quiescebat) duobus, qui ibi cubabant, uulneratis, & Andrea medico Regis interfecto, tuto in propria castra reuersus est, audacia quidem propositū suum cōsecutus, sed deceptus prudentia, quod non recte locum, in quo cubare Ptolemæus consueuerat, inuestigarat. Reges, cum quinque diebus aduersus se inuicem castra tenuissent, descendere tandem in prælium ambo decreuere. Cum igitur Ptolemæus mouere e castris exercitum cōpisset, extemplo Antiochus quoque id fecit. Phalanges uterque Rex, & delectos in Macedonicū morem armatos aduersus se inuicem collocauit. Ptolemæus utrumque cornu hunc in modū instituit. Polycrates cum equitibus sibi subiectis læuum cornu tenebat. Inter hoc & Phalāgem Cretensem erāt iuxta ipsius equites collocati. Post hoc regiū agema, deinde scutati, qui sub Socrate erāt, postremo Libyci in Macedonicū morē instructi. In dextro cornu erat Echecrates Thessalus, subiectos sibi equites secū habēs, post quos erāt Galatæ & Thraces, post eos Phoxidas cum mercenariis e Græcia militibus, deinde Phalanx Aegyptiorū, Elephantorum in læuo cornu XL. posuerat, in quo Ptolemæus ipse pugnaturus erat, tres & triginta ante dextrum cornu iuxta mercenarios equites collocat. Antiochus uero sexaginta Elefantos, quibus præerat Philippus sodalis eius, ante dextrum cornu ponit, in quo certare ipse aduersus Ptolemæū decreuerat. Post hos duo millia equitum, qui sub duce Antipatro erant, collocat. Penes equites a fronte Cretenses cōstituit, post quos mercenariū e Græcia militem, deinde quinque millia peditū, qui in Macedonicū morem armati Bytticum ducē habebāt. In sinistro uero cornu ante omnes duo millia equitū ponit, quibus dux præerat Themison, penes quos Cardaces & Lydos sagittarios collocat, postea tria millia expeditorū, qui sub Menedemo erant, deinde Cissios, Medos, & Carmanios, post quos Arabas phalangi iunctos. Reliquos deinde Elefantos læuo cornu preponit, Myisico uno ex pueris Regis illis prefecto. Hunc in modū instructis utrinque copiis, Reges ordines suos una cum Ducibus, atque amicis hortari, publice priuatimque fortitudinem militum extollere, maximam in phalangibus spem habere, quæ sint uictoriam subsequutura premia, uterque proponere. Hortabantur autem una cum Ptolemæo copias Andromachus, & Sosibius, & soror eius Laodice. Cum Antiochō uero

Theodo-

Theodotus & Nicarchus, quod hi apud eos phalangibus præerant. Post hæc uterque Rex paulatim aduersus alterū præcedit. Ptolemæus quidem, cum sorore Laodice læuum cornu tenens, Antiochus cum Phalange regia dextrū. Hic igitur bellicum canētes, primū cum Elephātis se mutuo inuadunt. Pauci ex iis, quos Ptolemæus habebat, in aduersos feruntur. Ex quibus optimam certe faciebant milites pugnam, iacentes hastas & se inuicem crebris uulneribus afficiētes. Longe tamen meliorē ferē ipse faciebant ingenti impetu se inuicem impetentes, & faciem facie uerberātes. Est enim hic Elefantorū mos, ut inter se cōgressi, & mutuis se dentibus impetētes, acerrime pugnent, simul atque uero uulnus aliquod acceperint, non secus in omnes dentibus læuiant, quam tauri cornibus. Verum maxima pars Elefantorum Ptolemæi prælium formidabat, quod plerūque accidere Libycis Elephantis consueuit, odorem enim & uocem nō patiuntur, præterea magnitudinē ac uires, ut mihi uidetur, timentes, Indicos statim fugiunt, uti eo tempore accidit. Subito enim in fugā cōuersi, & ordines suorum perturbātes, maximā in Phalange Ptolemæi stragem fecere. Quod cernens Antiochus, extemplo cum Elephātis equites, qui sub Polycrate duce erāt, adgrediē. Similiter mercenarii milites, qui circa Phalāgem erāt, in scutatos Ptolemæi feruntur. Quā ob rem hos quoque ordines dissipātibus feris, læuū cornū Ptolemæi declinauit. Echecrates uero, qui dextro cornu præerat, principio quidē ut prædicta cornua congrederētur, expectabat. Vbi uero surgentē in aera puluerē, & Elefantos suos nequaquam ferri in aduersos audētes animaduertit, mandat Phoxidē mercenariū militem habēti, ut a fronte oppositos hostes adgrediatur. Ipse equites, Elefantosque paulatim educens idem facit. Paribus igitur animis utrinque cōgrediuntur. Præliū diu atrox fuit. Ad extremum tamē, cum Echecrates ipse quidē extra periculū Elefantorum esset, maximam uero stragem in hostiles equites faceret, Phoxide quoque, & cæteris, qui cum eo erant, Arabes & Medos præter modū prementibus, læuum cornu Antiochi in fugam uertitur. Ita cuius dextrum cornu superius erat læuum fugabatur. Phalanges utriusque integre permanebant, dubiam de futuro spem habentes. Inter hæc Ptolemæus fuga ad Phalāgem facta, cum in mediū uenisset, seque militibus ostendisset, tantū suis animi, hostibus uero terroris addidit, ut qui cum Andromacho & Sosibio erāt, abiectis repēte armis, fugge cōmiserint. At Rex Antiochus ut iuuenis, & bellicarum rerum expers, ex sua uictoria reliquorum quoque coniecturam faciens, fugientes summa celeritate insequabatur. Quodā uero e senioribus eum reuocante, & surgentē a

Z iiii

Phalange ad eius castra, puluerem ostendente, tunc demum rem intelligens, conuerso itinere in castra conatur reuerti. Cum uero suos omnes fugae expositos comperisset, consilii inops ipse quoque Rhaphiam fugit, putans non stetisse per se, quin pulcherrima atque honestissima uictoria potitus esset, totiusque cladis suae causam tarditatem, atque ignauiam militum fuisse. Ptolemæus in phalange quidem uictoria potitus, in dextro uero cornu compluribus equitibus ac mercenariis amissis, in praesentiarum in castra reuertitur, & curadorum corporum potestatem militibus facit. Postridie eius diei electa suorum cadauera tradi sepulturae iubet. Deinde hostium corporibus spoliatis, Rhaphiam cum exercitu contendit. Antiochus etiam statim ex fuga reuocatis suis castrametari extra urbes cupiebat, tamen quia milites eius magna ex parte in urbem refugerant, ipse quoque idem facere est coactus. Sequenti autem die eductis sub auroram, quae ex tanta clade superfuerant, copiis, Gazam proficiscitur, ubi castris positus, missisque, qui suorum cadauera repolcerent, mortuis parentauit. Desiderati autem fuerunt ex militibus Antiochi ultra decem millia peditum, equites plusquam trecenti. Vix circiter quatuor millia in potestate hostium peruenerunt. Elephantorum tres in ipso praelio, duo postea ex uulneribus periire, complures eorum uiui capti. Hunc igitur finem habuit memorabile praelium, quo duo maximi Reges prope Rhaphiam de imperio Syriae certauere. Sepultis cadaveribus Antiochus, cum uniuerso exercitu domum remigravit. Ptolemæus Rhaphiam & reliquis ciuitatibus repetere potitus est, uniuersis populis inter se certantibus, ut in dedendo se regi uicinum praerent. Antiochus, cum ad ciuitatem eius Eponymum peruenisset, subito Antipatrum fratris filium, & Theodotum Hemiolium Legatos ad Ptolemæum misit, qui pacem a Rege precarentur. Timebat enim Ptolemæi uires, & perexiguam spem ob acceptam nuper cladem in militibus habebat. Formidabat praeterea Achæum, ne opportunitate temporis motus, bello eum infestaret. Ptolemæus autem nihil horum cogitans, sed foelici atque insperato successu rerum letus, beneque secutum existimans, quod iam omnem Syriam possideret, haud alienus a conditionibus pacis erat, sed plus etiam quam satis esset, pronus ad hoc animum habebat, allectus desidia uite qua semper fuerat usus. Cum igitur ante eius conspectum legati uenissent, paululum in Antiochum inuectus, pacem in annum concessit, ac Solibium una cum Legatis sententiam suam ut enarraret, ad Antiochum misit. Ipse in Syria & Phoenice circiter tres menses commoratus, ordinatis mox ciuitatibus, & cura eorum omnium locorum Andromacho Aspendio tradita, Alexandriam cum sorore, & amicis reuersus est.

Antio

Antiochus firmato cum Solibio foedere, & rebus omnibus ex sententia compositis, ad apparatus belli aduersus Achæum, sicuti a principio statuerat, se conuertit. Hic igitur erat ea tempestate Asiaticarum rerum status. Eodem tempore Rhodii, sumpta occasione ex terra motu, qui paucis ante diebus apud eos fuerat, in quo & Colossus magnus, & incenia, ac naualia quae plurima deciderant, ita prudenter atque industrie se gesserunt, ut non detrimenti, sed potius summae utilitatis causa hic casus fuisse uideretur. Tantum apud homines ignorantia atque segnities a prudentia atque industria differt, non solum in priuata uita, uerum etiam in publicis rebus, ut in his secundae res detrimentum, in illis aduersae emendationem quandam errorum afferre uideantur. Rhodii enim eam rem magnam ac grauiem facientes, & in mittendis quotidie legationibus solliciti, in id ciuitates, & maxime Reges inducebant, ut non solum ab iis maxima munera consequerentur, uerum ita consequerentur, ut dantes ipsi, accipere ab iis gratiam se putarent. Hieron enim & Gelon non solum quinque & LXX. talenta ad gymnasii instaurationem eis dederunt, partim subito, partim breuissimo post tempore, uerum etiam lebetes argenteos, & eorum tripodes, & urnas, praeterea ad sacrificia peragenda X. talenta, ad ciuium usum alia X. ut omnia C. talentorum munus facerent. Post haec omnibus, qui Rhodum nauigarent, immunitatem concessere. Catapultas trium brachiorum L. & ad extremum tanquam a Rhodiis beneficium accepissent, statuas in celeberrimo totius urbis loco erexerunt, coronatum Rhodium populum a populo Syracusano. Ptolemæus uero eisdem promisit, talenta argenti CCC. frumenti Artabas (ea est mensura Medica) ultra decies centena millia, ligna ad faciendas quinqueremes sex, triremes X. buxi quadranguli brachia circiter XL. millia, funium tria millia, uela item, atque arbores ad tria millia, ad instaurationem Colossi talentorum tria millia, edificatores C. operarios CCCL. & ad horum uictum singulis annis XIII. talenta, praeter haec ad certamina, & sacrificia artabas frumenti circiter XII. millia, item ad comestum X. triremium artabarum XX. millia. Quarum omnium rerum magnam partem in praesentia dedit, argenti totius partem tertiam. Eodem modo Antigonus ligna XV. usque ad octo brachia ultra X. millia tabulas septem brachiorum ad V. millia, ferri talenta tria millia, picis talenta mille, alterius picis mille modios. Post haec omni C. argenti talenta pollicitus est. Chryseis autem mulier frumenti centena millia, plumbi talentorum tria millia. Seleucus Antiochi pater, praeterquam quod immunitatem nauigantibus Rhodum concessit, misit etiam quinqueremes instructas decem, frumenti biscentena millia, lignorum, retinæ, & capillorum X. millia

brachiorū, & mille talenta. Similia his Prusias, & Mithridates fecerūt. Principes præterea omnes, qui in Asia sunt, ut Lyfannias, Olympicus, Limneus, ac cæteri. Ciuitates uero, quæ Rhodiis pro suis quæq; uiribus gratificatæ sunt, nemo enumerare facile posset. Hæc in præsentia quidem recensenda existimauimus, primo Rhodiorum gratia, ut eorū industria ac uigilantia in rebus publicis manifesta omnibus foret, (sunt enim profecto & laude, & æmulatione digni) secundo auaritiæ Regum nostri temporis causa, & pusillanimitate gentium, ac ciuitatum, ne uel illi quatuor, aut quinque talenta largientes credant se grande aliquid atq; amplum facere, ac proinde eandem beneuolentiam, eosdemq; honores a Græcis quarant, quos pristini Reges habuere, uel ciuitates magnitudinem ueterum munerum memoria repetentes, existiment se exiguis nostri temporis muneribus maximos illis, atq; optimos honores debere sed seruare dignitatem suam contentur, ut Græciæ populi longe a cæteris hominibus differant. Ineunte iam ætate, cum dux Aetolorum esset Agetas, Aratus autē Achæorum dux imperiū deposuisset, (nam hoc loco superius a sociali bello digressi sumus) Lycurgus Lacedæmonius ex Aetolia rediit. Magistratus enim cum falso iniectam ei calumniam, propter quā discesserat, cōperissent, cōfestim eum in patriam reuocarunt. Hic igitur missus est ad Pyrrhiam Aetolum, qui tum Eliensium dux aduersus Messenios erat. Aratus & mercenarium militem Achæorū male instructū accepit, & ciuitates negligēter ad bellum dispositas, q̄ Eperatus, qui ante eum dux fuerat, male, ut supra diximus, ac segniter omnia administrasset. Verū tamen hortatus Achæos, & decreto eorum accepto, ad belli apparatus omni studio erat intentus. Decretum autem ab Achæis hoc fuerat, ut mercenarii pedites cogentur non pauciores octo millibus, equites quingenti, ex Achæis uero deligerentur tria millia peditum, & trecenti equites, ex quibus Megalopolitani æneum scutum habentes essent pedites quidē quingenti, equites L. totidē etiā Argiui essent. Præterea ut naues quoq; pararentur, in littore, & argolico sinu tres, circa Patras, & Dymen totidem. Aratus igitur in delectu habendo, & huiusmodi rebus parandis occupatus erat. Lycurgus autem & Pyrrhias, cōstituto inter se tempore, quo egredi uterq; deberet, uersus Messeniam proficiscebatur. Dux Achæorū, cognita eorum profectiōe, cū mercenariis, et quibusdā delectorū Megalopolim uenit, opem Messeniis laturus. Lycurgus Messeniorum agrum ingressus, mox Calamas oppidum per proditiōem accepit, deinde iter profectus, miscere se cū Aetolis maturabat. Pyrrhias, cum ferme nudus ex Elide aduenisset, statim a Cyparen-

Cyparenlibus reiectus iter cōuertit. Quam ob rem Lycurgus, cū neq; iungere se cum Pyrrhia posset, neq; ipse satis per se potens ad res gerendas foret, nulla re memorabili facta, Spartam reuersus est. Aratus, frustratis opinione sua hostibus, quod futurum erat, auguratus, iussit, ut a Taurione pararentur equites quinquaginta, & quingenti pedites, Messenii totidem pedites, atq; equites mitterent, uolens iis copiis ab incursionibus hostium seruare Messeniorum, & Megalopolitanorū, & Tegeatarum, & Argiuorum agros, (quippe omnes hæc regiones Spartano agro finitimæ plus cæteris Lacedæmoniorū bello sunt expositæ) Achæis uero, ac mercenariis militibus ab Eliensium atq; Aetolorum periculo Achaiam custodire. His peractis, dissensionem, quæ orta inter Megalopolitanos fuerat, iuxta Achæorum decretum composuit. Megalopolitani enim, cum paulo ante a Cleomene patrio solo eiectioni fuissent, egebant quidem multis, sed rebus omnibus carebant. Siquidem in dignitate sua permanentes, cōmeatum & sumptus necessarios, nec publice, nec priuatim habebant. Quam ob rem seditione, ira, simultatibus omnia apud eos plena erant. Hoc enim & in rebus publicis, & in priuata hominum uita accidere consuevit, quando necessarii sumptus desunt. Primo igitur inter se de mœnibus urbis dissidebant, dicentibus aliis, tantū facere eius circuitū oportere, q̄tum & præsentis eorū fortunæ paterentur, & custodire in tanta paucitate hominū possent, aliis autē plane contrarium asserentibus. Maxime autē de legibus a Pritanide scriptis inuicem contendebant, quæ legumlatorem eis Antigonus dederat, eratq; inter Peripateticos celeberrimus. Cum hæc in ciuitate dissensio esset, Aratus ciuiles omnes discordias sedauit, et exardescētē iam mutuam Megalopolitanorū irā publice, priuatimq; restinxit. Recōciliatis inuicem Megalopolitanis, repente Aratus inde profectus, ad Achæorū conciliū uenit, mercenariis Seleuco Phario duci relictis. Elienses Pyrrhiæ, q̄ negligēter se gessisse uideretur, infensi, Euripidē ducem ex urbe Aetolia accersuerunt. Qui obseruato Achæorum concilio, & acceptis sexcentis equitibus, ac duobus millibus peditum, copias extemplo eduxit, omnemq; regionem usq; ad Egiadem depopulatus est, & capta ingenti præda, mox Leontium reuertebat. Lycus ea re cognita, obuiā eis profectus, euestigio hostibus occurrit, & collatis uiribus circiter quadringētos eorū interfecit, ducētos uiuos coepit. In quibus dariores erant Phyllias, Antanor, Clearchus, Euanorides, Aristogiton, Nicasippus, Aspasius. Armis uero, atq; impedimentis omnibus potitus est. Sub idem tēpus Præfectus classis Achæorū Moliciam uenit, unde mox profectus, cōuerso itinere

Chalceam nauigauit, ubi cum oppidani obuiam exiuiſſent, duas longas naues remigibus, & cæteris neceſſariis rebus inſtructas cœpit. Præterea nauigia quæ plurima parua abduxit. Collecta præterea eodem tempore terra marique ingenti præda, & cōmeatu ac rebus ad uictum neceſſariis inde acceptis, milites quidem audaciores in poſterum ſunt facti: ciuitates uero meliorem ſpem animo conceperunt, quod neceſſaria ad uictum non cogentur copiis ſuppeditare. Inter hæc Scerdilaidas iniuria ſe affectum a Rege exiſtimās, quod integre ſibi ſtipendiū, ſicuti ex fœdere cū Philippo cōuenerat, ſolutū non fuiſſet, quindecim Lembos cū dolo emiſit, qui cū Leucadem appuliſſent, omnibus eos propter factam cū Rege ſocietate tanquam amicos accipientibus, cum nihil aliud effice re mali poſſent, Agatnum & Caſſandrum Corinthios, qui tanquam amici eundem portū cum quatuor nauibus ingreſſi fuerant, uiolato fœderis iure, ipſoſque, & naues eorum cœperunt, ac ad Scerdilaidā ſubito miſere. Poſthæc Leucade proſecti, & curſu uerſus Maleam directo, mercatores depopulabatur. Inſtante iam æſtate, & his, qui cū Taurione erant, cuſtodiam prædictarū urbium ſpernentibus, Aratus delectos milites ſecum habens, cōmeatus gratia in argiuū agrum uenit. Euripides autē cū multitudine Aetolorū egreſſus, populabundus per Triteniū regionem graſſabatur. Lycus & Demodocus priuati Achæorū duces, ubi de aduētū Aetolorū intellexere, congregatis Dymenſibus & Patrenſibus ac Phariſibus, præterea etiā mercenarios ſecū habentes, in Elienſem agrū impetū fecerunt. Cuncti ad locū ueniſſent, quē incolæ Phyxium uocant, leuioris armaturæ milites una cū equitibus diſcurrere per agrū iuſſerunt, grauiorē uero armaturā circa eum locū in inſidiis poſuere. Cōcurſantibus mox paſſim, temereque in ſubſidiū ſuorū Elienſibus, cum inſidiarū locū pertraſſiſſent, inſurgentes, qui cū Lyco erant, magno impetu in Elienſes irruere, qui cū reſiſtere eorū uiribus nō poſſent, repente in fugam cōuerſi. Ducenti fere deſiderati ſunt, octuaginta uiui capti. Illi prædam omnē integram abegerunt. Per idē tempus præfectus quoque claſſis Achæorū, cū ſæpenumero Calidonē & Naupaſtū nauigaſſet, regionē omnem depopulatus eſt, & hoſtes bis in fugam uertit. Cœpit etiā Cleonicum Naupaſticū, qui quoniā hoſpes Achæorū erat, in præſentia quidem nihil mali paſſus eſt, paucis uero interiectis diebus, ſine pretio liberatus fuit. Sub idem tēpus Agetas Aetolorū dux, cōgregata multitudine Aetolorum, omnē Acarnanū regionē ferro ignique uaſtauit. Similiter uniuerſam Epirū depopulatus eſt. Quæ cū feciſſet, in patriā reuerſus, ſuam cuique domum abeundi poteſtatem fecit. Acarnanes deinde in

Straten

Stratenſem agrum proſecti, ſtatimque ab hoſtibus repulſi, turpem quidē, ſed tamē incolumem fugam fecere, quæ Stratēſes inſidias ueriti, perſequi illos nō ſunt auſi. Apud Phanotenſes eodem tēpore rursus proditio facta eſt in hunc modum. Alexander Phocidi a Philippo præfectus, ordinauit proditionē aduerſus Aetolos per Iasonē quendā, qui a ſe Phanotenſium urbi præpoſitus fuerat. Hic ad Agetam Aetolorū ducē miſſus, pollicitus eſt, ſe Phanotenſiū arcē illi traditurū. Qua de re & pactū inter ſe firmarunt, et iuſiurandū præſtitere. Cū cōſtitutus dies adueniſſet, Agetas noctu eo cū Aetolis uenit, collocatiſque in occulto quodā loco iuxta urbem copiis, centum ex omni multitudine delectos in arcem mittit. Iason Alexandrū in urbe cū ſufficienti numero militū paratū habens, iuuetutem ex pacto intra arcem recipit. Alexander repente impetu in arcem cū ſuis factus, Aetolos omnes cœpit. Exorta deinde luce Agetas, cum id factū cognouiſſet, exercitum domū reduxit, hac dade, ut aliis ſepenumero, turpiter ab hoſtibus affectus. Per eorū dies Philippus Rex Byzazonem cœpit, urbē in Pæonia maximā, & peropportune ſitam ad ingreſſum Macedoniae ex Dardania. In qua ſufficienti præſidio collocato, Cryſogonū ſumma celeritate in ſuperiores Macedoniae partes miſit, qui nouū militū delectū haberet. Ipſe acceptis ex Bœotia, & Amphaxitide copiis, Edelam uenit, ubi expectato cum Macedonibus Cryſogono, mox inde cum omni exercitu diſceſſit, & ſexto poſt die Lariffam uenit. Continuato deinde per noctē itinere, Meliteam appulit, & ad motis mœnibus ſcalis capere urbem conatus eſt, tantoque terrore ob repentinū & inopinatum aduentū Melitenſes affecti, ut parū abſuerit, quin urbe ſit potitus, & niſi ſcale aliquanto, quæ erat opus, breuioribus extitiſſent, proſecto compos deſiderii fuiſſet. Verumtamen hac ſpe fraudatus, & caſtris iuxta Enipem flumen poſitis, copias ex Lariffa, & cæteris ciuitatibus coegit, quas per hyemem obſidionis gratia parauerat. Omnis enim intentio eius erat Thebas capere. Hæc urbs nō longe a mari ſita eſt, diſtatque ab urbe Lariffa circiter trecenta ſtadia. Adiacet autem peropportune Magnesia & Theſſaliae, & maxime ei parti Magnesia, quæ Demetriadem uocant. Theſſaliae uero ei parti, quæ Pharfalii & Pherenſes incolunt. Ex qua, cū eam per id tēpus Aetoli tenerent, maximū detrimentū Pharfalienſibus ac Demetrienſibus inferbat, nec minus etiā Lariffæ. Quippe Aetoli crebras in eum agrū incurſiones faciebant, quæ Namyrice incolæ appellant. Quam ob rem Philippus haud parui hanc rem faciendā exiſtimans, omni ſtudio ad urbis expugnationē incumberebat. Paratis igitur centum et quinquaginta catapulis, balisſtis uero quinquaginta et uiginti, Thebis cū copiis appropinquauit, diuiſoſque in tres partes exercitu, urbem a tribus la

Aa

teribus cinxit. Vnam quidē partem circa Scopiū posuit, aliam circa Helio tropiū, tertiam ipse iuxta mōtem, qui urbi imminet, tenuit. Quod uero inter castra locorū supererat, fossa, ac duplici uallo diligentissime muniuit. Addidit præterea ligneas turres in singulis iugeribus, sufficienti præsidio refertas. Posthęc omni bellico apparatu simul cōgregato, adiciere arci machinas cœpit. Verū, per tres primos dies nullam partē operū admouere potuit tāta audacia ac fortitudie milites e mœnibus propugnabāt. Postq̄ uero propter continuationē certaminis, & multitudinē telorū, alii ex ciuibus interfecti sunt, alii uulneribus affecti, tunc parua mora a propugnantis facta, Macedones uix nono die sustentacula, ac cæteras machinas mœnibus admouerunt. Posthęc cōtinue expugnationi urbis intenti, ita ut nec noctu, nec interdiu catapultæ, & balistæ cessarent, intra triū dierū spatium ad duo iugera muri cōfregerunt. Verū, cū adhibita mœnibus sustentacula magnitudinē ponderis sustinere nō ualerent, in terram decidētes, murū quoq̄, anteq̄ ignis a Macedonibus iniiceret, secum traxerunt. Quo factō, cū animi omniū creuissent, seq̄ ad ingressum urbis pararent, ac iam incepturi preliū uiderētur, perterriti Thebani, seq̄, & urbem dediderunt. Philippus, cū per hunc modū Magnesiæ & Thessaliæ loca tuta reddidisset, præciosissima quæq̄ Aetolorū bona abstulit. Urbem uero, eiectis antiquis cultoribus, ac Macedonibus ad eius habitationē cōstituitis, mutato nomine pro Thebis Philippolim appellauit. Cū adhuc in ea urbe moraretur, rursus Legati de pace a Chiis, & Rhodiis, & Byzantiis, & Rege Ptolemæo uenerunt. Quibus cū idem, quod ante, responsum dedisset, seq̄ haud alienum a pace animū habere respondisset, eos remisit, & ut Aetolorū quoq̄ animos tentarent, iussit. Ipse cōtempta pace, toto animo exteris rebus incumberebat. Quā ob rem, cum ei nunciatū fuisset, Scerdilaidæ Lembos omnia circa Maleam depopulari, & mercatoribus omnibus non secus, q̄ hostibus uti, præterea quasdam naues ex suis in Leucade præter foedus cœpisse, armatis duodecim cataphractis nauibus, et octo aphractis, præterea onerariis triginta, per Euripū nauigat, simul sperans Illyriorum Lembis potiri, simul omnibus uiribus ad bellū aduersus Aetolos intentus, q̄ nondū res in Italia gestas cognitas haberet. Nam quo tempore Philippus Thebas obsidebat, Romani ab Annibale profligati in Tuscia fuerant, sed nondū fama earum rerū in Græciā peruenerat. Philippus igitur parata classe, cū Cenchreas appulisset, cataphractas quidē nauigare circa Maleam uersus Egiū, & Patras mādauit. Reliquas uero in Lecheo positas, cōmorari in eo portu iussit, q̄ celerrime ad Nemeos ludos profectus, Argos uenit. Hic cū spectaculo interesset, literę ei ex Macedonia afferunt,

signifi

significantes, Romanos ingenti clade ab Annibale superatos fuisse, Annibalē ipsum campis potiri. Subito igit̄ Demetrio Phario, duntaxat literas ostendit, iusso, ne quicquam alicui loqueretur. Hic, ea occasione sumpta, hortari Regē cœpit, ut expedito mox Aetolorū bello, Illyricas res adgrederet. Oē em̄ Græciā & in præsentia parere Regi, & post hac idē facturā esse, cū præsertim Achæi spōse sua Regi beneuoli foret, Aetoli uero tot claudibus præsentī bello affecti, potentiā eius formidarent. Italiā autē, inquit, transfretationē in eā initiū esse totius orbis principatū assequendi, quē ne minī meliori iure, q̄ illi cōuenire. Tempus præterea in præsentiarum ad id peropportunū esse, Romanis ingenti clade ab Annibale profligatis. Huius modi ratiōibus usus Demetrius, statim id Regi persuasit, ut pote adhuc et adolescenti, & natura audaci, ac præter modū imperiū auido. Posthęc Philippus cōgregato amicorū cōcilia agere de pace Aetolorum cœpit. Ad q̄d cū Aratus quoq̄ libētē ueniret, Rex haud expectatis legatis, qui publice de cōditionibus pacis referrent, subito Cleonicū Naupactiū ad Aetolos misit. Hūc em̄ reperit adhuc ex captiuitate conciliū Achæorū expectantē, ipse nauibus Corinthi cū pedestribus copiis acceptis, Egiū uenit, deinde Lassionē profectus, & occupata in Perippiis turri irrupturū se in Eliēsem agrū simulabat, ne forte nimis appetere pacē iudicaret. Posthęc bis aut ter reuerso Cleonico, & precantibus Aetolis, ut Rex ipse ad eos proficisceret, libētē cōcessit, datiq̄ repente ad oēs socias ciuitates literis, ac bellico seruire restincto, singulos hortatus est ad mittēdas p̄ cōponendis rebus, & pace cū Aetolis firmāda legatiōes. Ipse transportatis copiis, & castris circa Panormū positis, qui Pelopōnesi portus est e cōspectu Naupacti situs, legatos sociorū p̄stolabat. Inter hęc dū illi cōgregarent, in Zacynthū profectus, solus res eius insule cōposuit, ac mox inde ad eundē locū reuersus est. Cōgregatis tandē legatis, Aratum & Taurionē cū quibusdā aliis ad Aetolos misit. Qui cū ad eos uenissent, (erant em̄ in cōcilio Naupacti cōgregati) pauca quedam locuti, & intellecto eorū desyderio de pace faciēda, euestigio ad Philippū reuersi, oīa Regi nunciarūt. Aetoli desyderio pacis flagrantes, una cū iis legatos ad Regē misere oratū, ut ad se cū copiis ueniret, q̄ res melius accelerius cōponerent. Rex precibus eorū pellectus, in locū circiter uiginti stadia a Naupacto distantē cū copiis nauigauit, ubi eucta multitudine, & castris nauibusq̄ uallo ac fossa circūdati, aduentū Aetolorū p̄stolabat. Aetoli inermes uersus Regē profecti duo stadia p̄cul a castris regis cōstitere, statimq̄ ad Regē miserunt, qui de rebus præsentibus differerent. Rex igit̄ primo oēs, qui a sociis ciuitatibus cōuenierant, ad eos transfremisit, iussos, hac conditione pacē cū Aetolis firmaret, ut ea quicq̄ in posterum teneret, quę in præsentia tenebat. Quam conditionem cum libenter

Aetoli acceptassent, pro particularibus deinde rebus frequētes hincinde nuncii mittebātur. Quarū rerū maximam partē consulto prētermisimus, q̄ nihil in iis memoratu dignum esse uidebat. Libuit autē adhortationē, qua apud Regē, & socios principio usus est Agelaus Naupactius, paucis referre. Hic enim cū facta esset dicendi copia, omnesq; ad audiendū parati forent. Oportere, inquit, maxime Græcos, nunq̄ aduersus se inuicē bellū gerere, sed maximas diis habere gratias, si oēs unius sententiæ, & instar eorum, qui flumina traiciunt mutuo nexu manū colligati Barbarorū impetum repellere, seq; & ciuitates suas tutari queant: quod si fieri cōtinuē nō possit, hoc saltē tēpore omni studio seruandū, q̄ nunq̄ in maiori periculo Græcia fuerit. Prospicere enim se multitudinē copiarū, et magnitudinē instantis belli, neq; dubitare, seu Carthaginenses Romanos, siue Romani Carthaginenses in Italia superarint, neutros Siciliae atq; Italiae imperio cōtentos fore. Cæterum statim uictores plus, q̄ satis sit, manus extensuros, transitumq; in Orientē facturos, proinde oēs puidere huic rei oportere, & præsertim Philippū, puidere autē hoc dūtaxat modo posse, si restincto præsentī bello nō solum Græciæ ciuitates cesset affligere, sed ecōtrario oīm ipse quasi unius corpis curam habeat, & uniuersæ Græciæ saluti tanq; propriæ, & ditioni suæ subiectæ cōsulat. Hoc enim si fecerit, & Græcos sibi beneuolos, ac ad futura bella optimos concertatores futuros esse, & Barbaros fidē Græcorum erga Regē timētes, minus imperio eius insidiaturos. Quod si ad propagandum imperium animū habeat, aspicere eū in Occidentem oportere, & quo in statu res Italiae sint, consyderare. Esse enim in præsentia tēpus, quo facile totius orbis principatū sperare possit, minus negocii habiturus, q̄ Romani apud Thrasimenū lacum uicti ab Annibale fuissent. In summa Regē hortat, ut bella, atq; discordias totius Græciæ in pacē concordiaq; cōuertat, enitaturq; omni studio cōseruare sibi in posterum libertatē pro arbitrio suo bellū, aut pacē in prouintia cōstituendi. Quod si semel nubem illam, quā consurgentē in Occidente uidebant, trucidis, & cruēti belli Græciæ locis appropinquare pmitteret, uereri se, inquit, ac uehementer sollicitum esse, ne huiusmodi dissensiones & concordie, & Iudi, quos inuicem committebant, ita ab eorum omnium potestate exciderentur, ut ne precari quidem Deos liceret, hanc sibi facultatem adesse, ut bellari inuicem, ac pacem facere pro eorum arbitrio liceret. Hæc cum dixisset Agelaus, animos sociorū mirum in modū ad pacē inflammauit. Maxime autē permouit Philippū Regē, q̄ nō mediocriter iam propter uerba Demetrii ad id mentem inclinauerat. Quam ob rem unanimi consensu pacem cum Aetolis fecere. Firmato igit̄ scedere, omnes discesserūt, pacem in patriam pro bello reportantes. Hæc omnia gesta sunt anno ter-


tio centesimæ & quadragesimæ olympiadis. Dico autē id prælium, quod Romani in Tuscia cōmiserunt, & bellum Antiochi in Syria gestum, & pacem ab Achæo, & Philippo cum Aetolis factā. Græcas igitur atq; Italicas res, item etiam Africanas hæc primū tempora cōiungere. Neq; enim post eum diem Philippus, nec ceteri Græciæ principes cogitationes suas ad Græciam referebant, neq; bella, aut pacem inuicē moliebātur, sed omnes iam mentē, oculosq; ad Italiam cōuertebant. Paucis quoq; interiectis diebus insularū & locorū Asiæ cultores idē fecere. Omnes enim qui uel Philippo infensi erant, uel ab Attalo dissidebant, nō iam ad Antiochū & Ptolemæum, neq; ad Meridiem, aut Orientē, sed ad occasum oēs cōuertebant, alii Carthaginenses, alii Romanos crebris legationibus fatigantes. Similiter Romani quoq; Philippi uires atq; audaciā ueriti, Legatos in Græciā mittebant. Nos autē, quoniam, sicuti a principio statueramus, manifeste nobis (nisi nos opinio fallit) ostendimus, quādo & quomodo, & quibus excaulis res Græciæ cū Italicis & Libycis, quasi in unum corpus coaluerunt, superest, ut narrationē rerū in Græcia gestarū prosequamur, quousq; ad ad ea tēpora uentum sit, in quibus Romani iuxta Cannas, a Carthaginensibus uicti, ac profligati fuere. Hinc enim a rebus Italicis digressi sumus, & de iis, quæ in Græcia & Asia iisdem temporibus gesta sunt, hunc & superiorem librum perscripsimus. Achæi, cum primum finis bello impositus fuit, Timoxeno duce eiecto ad instituta patriæ reuersi, similiter etiā reliquæ Peloponnesi ciuitates paulatim Respublicas componebant, colebant agros, ludos, ac sacrificia Deorum renouabāt. Quippe assiduo bellorum usu factum erat, ut hæc omnia quasi e memoria excidissent. Athenienses timore Macedonum liberati, optima iam libertate frui uidebantur. Verum, cum Euryclidam, & Mitionem Duces haberent, eorum imprudentiam secuti, omnium fere Regum, ac præcipue Ptolemæi tributarii erant. Ptolemæo statim post hæc tempora bellum aduersus Aegyptios subortum est. Hic enim cum Aegyptios in bello aduersus Antiochum secum habuisset, aliquandiu opera eorū usus, mox ab eis relictus est, elati enim rebus circa Rhapsiā gestis, haud amplius parere Regi uoluerunt, sed ducē aliquē querebant, tanq̄ ipsi iam gerendo bello per se sufficerent. Quod etiam tandē nō longo post tēpore factū est. Antiochus, ingenti apparatu ad res bellicas per hyemem factō, proxima dehinc æstate Taurum transcendit, & inita cum Attalo Rege societate, bellum aduersus Achæum renouauit. Aetoli, & si pacem initio gratissimam habuere, quod bellum longe aliter, q̄ spes eorum fuerat, successisset, proinde Agelaum Naupactium Ducem elegerunt, cuius præcipua opera pax fuerat secuta. Procedente tamen tempore grauius Agelaum accusare, ac de eo

non mediocriter conuertere cepit, quod eius causa omnes utilitates, quas extrinsecus permultas habebant, amisissent, quandoquidem non aliquam partem, sed uniuersam plane Graeciam pacificasset. Veruntamen Agelaus aequo animo huiusmodi iniuriam ferens, impetum eorum reprimebat. Ex quo illi quoque contra eorum naturam temperare iracundiam suam sunt coacti. Philippus rex, cum post factam pacem soluta classe in Macedoniam nauigaret, Scerdilaidae in itinere obuias, qui sub praetextu debite sibi pecuniae, cuius rei gratia naues in Leucade, uti supra diximus, ceperat, tunc Pelagoniae quoque oppidum, nomine Pisseum in praedam uerterat, & complures Daretidis ciuitates Antipatriam, Chrysondionem, Gertonem: praeterea etiam non paruam Macedoniae partem sibi partim hortatu, partim uiribus ascuerat, extemplo copias in terram posuit, omni studio ad praedictas ciuitates recuperandas intentus. Omnino autem bellum aduersus Scerdilaidam gerere decreuit, per necessarium existimans Illyrii ditioni suae subiicere, cum ad alias res gerendas, tum maxime ad transfretationem in Italiam. Quam opinionem Demetrius confirmare Regi nitentem, uidisse se in somnis, inquit, Philippum haec omnia molientem, quod non tam Philippi gratia faciebat, quam odio Romanorum, & quod per eum modum recuperaturum se loca, quibus circa Pharus spoliatus fuerat, arbitrabatur. Philippus itaque ad motis copiis praedictas omnes ciuitates occupauit. In Dassaretide enim cepit Creonium & Gerontem, circa Lychnidiam paludem Enchelanas, Ceracem, Sationem, Boios, in Calcoenorum uero partem Bantiam, apud Pissantinos Orgysum. Quibus pactis, copias in hyberna dimisit. Erat autem haec hyems, qua Annibal praecipua Italiae loca depopulatus in Daunia hyemabat. Romani uero C. Terentium, & L. Aemilium Consules nouis comitiis creauerunt. Philippus, dum in hybernis esset, ratus naues parare sibi opus fore, non tam ad naualem pugnam, (quippe impotentem se omnino mari esse aduersus Romanos arbitrabatur) quam ad transfretationem copiarum in Italiam, centum Lembos parauit. Quod ante eum nemo fere Regum Macedoniae fecerat. Adueniente deinde aestate, & Macedonibus remigio leuiter exercitatis, cum copiis soluit. Sub idem tempus Antiochus Taurum transcendit. Philippus, facto per Euripum, & Maleam itinere, ad loca, quae sunt circa Cephaleniam & Leucadem, uenit. Vbi castris in terram positus, uallo ac fossa ea diligenter muniuit. Siquidem Romanorum classem mirum in modum formidabat. Vbi uero eam iuxta Lilybicum esse, per exploratores didicit, animo auctus ceptum iter profectus, cursu Apolloniam uersus directo. Cunctum iam iis locis appropinquasset, quae sunt circa Loium amnem iuxta Apolloniam praeterfluentem, quidam ex Lembis, qui ultimo loco sequebantur, delati in insulam, quae Sason dicitur, estque in ingressu Ionici sinus, noctu ad Philippum uenerunt, dicentes, allocutos se quosdam

quosdam fuisse a Siculo freto nauigantes. Hos nunciasse quinqueremes Romanorum a se circa Regium relictas Apolloniam, & ad Scerdilaidam cursum tenere. Philippus, ratus ob id classem iam non longe abesse, subito terrore correptus, collectis ancoris inhibere remos, ac conuertere iter iussit, trepidusque & nullo seruato ordine retrocedens, postridie Cephaleniam appulit, ne nocte quidem cursum dirimere. Hic recreatis parumper animis, aliquod diu constitit, simulans se urgentibus certis Peloponesiacis rebus eo reuersum esse. Accidit autem omnem eum timorem esse falsum, etenim Scerdilaidas cum audiisset Philippum per hyemem magnam multitudinem Lemborum edificasse, aduentum eius per mare ueritus, auxilium Romanorum per legatos implorauit. Romani decem naues ex classe, quae Lilybicum erat, misere. Haec iuxta Rhegium transeuntes fuerunt uisae. Quarum timore nisi frustra correptus rex fugisset, & iis potiri facile poterat, & per opportunum ad res Illyricas tempus habere. Romanis rursus ingenti clade iuxta Cannas ab Annibale affectis, & fere ad internitionem usque profligatis. Nunc autem inani timore percussus, tutam quidem, ueruntamen turpissimam fugam in Macedoniam fecit. Sub idem tempus Prusias quoque rem memoria dignissimam gessit. Galli, quos ex Europa rex Attalus bello aduersus Aegyptum in Asiam transfretauerat, cum ob memoratas a nobis superius suspensiones a praedicto Rege discessissent, uniuersas Hellepontici ciuitates cupidum nimium ac crudeliter depopulabant. Hi cum ad extremum Eliensium quoque urbem obsidione cinxissent, egregium sane facinus commissum fuit ab his, qui Alexandria colebant. Siquidem Themiste duce cum IIII. millibus hominum aduersus illos misso, non solum Eliensium obsidionem dissoluerunt, uerum etiam Gallos ex orae Troade expulere, partim prohibentes eis comitum, partim omnes eorum conatus impedientes. Galli, Arisba oppido in Abydenorum regione capto, reliquum iam uicinis ciuitatibus insidiabant, bellumque aduersus omnes gerebant. Contra quos Prusias cum copiis profectus, in toto mox praelio exercitum eorum profligauit, filios fere omnes atque uxores passim, nulla sexus aut aetatis ratione habita, interfecit, castra diripi a militibus passus est. Quibus pactis maximo timore ac periculo Hellepontum liberauit, optimumque posteris exemplum reliquit, ne barbari tam facile ex Europa in Asiam transfretarent. Haec igitur ea tempestate in Graecia atque Asia gerebantur. In Italia uero post profligatum Cannensem praelio Romanorum exercitum quam plurimae ciuitates ad Carthagenenses defecere, sicuti superioribus libris memorauimus. Verum nos quidem narrationem eorum temporum hoc loco terminabimus. Quandoquidem satis ostensum est, quomodo in statu res Asiaticae, & Graecae forent centesima & quadragesima olympiade. Quibus in sequenti libro breuiter ac summam repetitis, orationem deinceps ad Romanorum Rempublicam, sicuti ab initio statuimus, conuertemus.

FINIS.





76

P
e
R
i

